This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Baso 9930.2

The gift of
MRS. N. A. HAVEN JR.

HARVARD COLLEGE LIBRARY

BIBLIOTHECA

CRITICA.

VOLUMEN PRIMUM.

By Daniel Wyttenbach, the younger.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXIX.
1779

Class 9930.2
~~13226.28~~

1857. April. 25.
Gift of
Mrs. N. A. Haven jr.
of Portsmouth N. H.
vol. 1-3.

L. S.

Diu & multum hoc nobiscum cogitavimus, quid cauſſae eſſet, quod antiquarum literarum ſtudia apud pleroſque noſtra aetate refrigeſcerent & fere in contemtum abirent. Nam ſi memoriam ſuperiorum ſeculorum repetimus, his praecipue ſtudiis majores noſtros a barbarie liberatos, humanitatique reſtitutos, reperimus: & ſi ad noſtras ipſi mentes attendimus, facile intelligimus, unam hanc eſſe disciplinam, cum ad cognitionis ſuavitatem, tum ad ingenii fructum, uberrimam. Sed hujus calamitatis cum alias cognovimus eſſe cauſſas, tum eam haud minimam, quae effecit, ut hanc ſcriptionem ſuſciperemus. Nam ut ars hominum ſtudiis floreat, opus eſt, non ſolum viris egregiis, qui eam factitent & profiteantur: ſed ipſa quoque ars veluti in lucem prodire debet & vocem efferre ſuam, qua, & artificum opera ad publicam notitiam celebrentur, & aliorum aures perſonent, ingeniaque ad ejusdem laudis ſtudium

excitentur. Videmus quotidie literulas illas, quibus inanis ac brevis voluptas propoſita est, ita ſe in vulgus jactare, ut earum ſcriptiunculis atque diariis aliarum doctrinarum ſtudia abſorbeantur! Quin igitur illae literae, quae certum permanſurumque ingenii fructum ferunt, tandem ex umbra erumpant, ſua bona in luce ponant atque explicent, hominesque a cognoscendi levitate ad accuratae doctrinae ſtudium revocent? Atque ad iſtud opus nos literis his omnem noſtram curam, diligentiam, induſtriam, dicare & conſecrare profitemur. Qua quidem in re gratiam nos inituros ſperamus, non ſolum apud ſtudioſos harum literarum, ſed apud univerſam etiam civitatem eruditam, cujus ſanitati conſulimus, cavendo, quantum in nobis est, ne ejus quaſi flos, antiqua venuſtas, penitus exareſcat. Ratio operis haec est, ut, ad exemplum hujus libelli, alii ſubinde edantur, in quibus referatur de novis libris ex literis Romanis, Graecis, & Orientalibus, ut vocantur, & in eadem genere

ine-

inauditae diſputationes ſaepius adjiciantur. Atque hanc nos provinciam ex hominum eruditorum ſententia adminiſtraturos eſſe, hac maxime de cauſſa confidimus, quod viri praeſtantes ingenio doctrinaque operam nobis ſuam polliciti ſunt. Spatium, in quo verſemur, tantum erit, quantum Critices vis atque poteſtas patet: quae quidem, auctore Hemſterhuſio, omnes humanitatis diſciplinas complectitur, & in alias frequenter egreditur. Atque hoc ſpatium non ita antiquarum literarum cancellis circumſcripſimus, quin per recentiora quoque ſtudia vagemur, ſcriptisque ac libris omnibus locum demus; qui quidem aliquam cum doctrinae elegantia conjunctionem habere videantur. In hac copia ac varietate non erit quod huic operi aliunde lenocinium petamus. Praeſtabimus eam ſuavitatem, quam ipſae literae ſponte ferunt, magis auſteram & ſolidam, quam dulcem atque decoctam. Ceterum cenſura noſtra maxime occupabitur in iis libris, quibus vel auctoris, vel editoris & interpretis, vel argumenti, prae-

ſtantia, momentum aliquod addit; de iisque accurate in utramque partem exponemus, ita, ut, in celebrandis virtutibus, & reprehendendis vitiis, unice veritatem ſequamur. Quam quidem libertatem nemo erit, qui, ſuperbiae magis, quam literarum cauſſa, ſumſiſſe nos putet. Nam levium hominum errores nec cautos lectores inficiunt, & ipſi ſua levitate evaneſcunt: magnorum virorum errores auctoritate plurimum nocent, & celerius animos capiunt; & in iis altiores radices agunt. Et nos iis, qui, ſi qua lapſi fuerimus, nos admonuerint, gratiam habebimus. Neque enim alium uberiorem, ex toto hoc literarum ſtudio, fructum capere nos poſſe judicamus, quam ut erroribus quotidie & praejudicatis opinionibus liberemur.

BIBLIOTHECAE CRITICAE PARS PRIMA.

I.

M. T. CICERONIS *Opera omnia, ex recenſione Jo. Aug. Erneſti, cum ejusdem Notis & Clavi Ciceroniana. Vol. V.* 8 maj. *Halis Sax.* 1774.

Volumen Primum, quo Libri Rhetorici continentur. 1772.

Neque ſcriptor eſt ullus ex tota antiquitate erudita Cicerone praeſtantior, neque ex omnibus iis viris, qui, poſt reſtituta bonarum literarum ſtudia, in eo expoliendo emendandoque operam poſuerunt ſuam, quisquam anteferri debet Joanni Aug. Erneſto. Itaque haud temere nobis cenſurae hujus initium ab eo libro ducere videmur, quo ſimul & auctoris excellentiſſimi opus & interpretis acutiſſimi artificium continetur. Ac de Ciceronis quidem laudibus ſi verbum adderemus, haud liberaliter de lectorum noſtrorum

ingeniis judicare videremur. Neque vero Erneſti nomen cuiquam obſcurum eſſe poteſt: quis enim eſt locus, noſtra aetate, in quo bonis literis aliquid tribuatur, quo hujus viri fama non pervenerit? Quare nos in rem praeſentem veniamus, ac de meritis Erneſti in Ciceronem, quae hac editione cernuntur, exponamus.

Erneſtus igitur, cum primum ante quadraginta annos Ciceronem ederet, ſolum textum dabat e Gronoviano exemplari, ſubjecta locis difficilioribus varietate lectionis; omnem vero illam materiam, quae ad intelligentiam rerum verborumque pertineret, in Clavem conjiciebat ſive Lexicon tripertitum, cujus in prima parte Leges, quae a Cicerone laudantur, ſecunda hominum locorumque nomina, tertio verba explicantur, quibus etiam quarta pars adjecta eſt, quae Graecas Ciceronis voces continet. Atque vel ſola hac editione immortaliter de bonis literis meritus eſt.

Nam & in Clave omnem Ciceronianae doctrinae ſylvam dilucide explicuit, multarumque rerum & verborum vim, quae antea perverſe intelligerentur, aperuit, multisque libris brevia, ſed elegantia accurataque, addidit argumenta; & praefatione ad Stiglitium de auctoritate, ingenio, doctrina Ciceronis, & de recta elegantique ratione legendorum tractandorumque veterum ſcriptorum, tam luculente tamque egregie diſputavit, ut huic diſputationi in laudatiſſimis praefationibus merito tribuendus ſit locus.

Poſt-

Poſtea, cum omne ſtudium ſuum conferret in Graecos Latinosque ſcriptores emendandos atque edendos, nullumque fere eſſet diſciplinae genus, quin illud ſcriptis illuſtraret ſuis, brevi id effecit, ut, cum in omnium doctrinarum literarumque generibus excelleret, tum in Latinis literis, una omnium eruditorum conſentienti voce, principatus ad eum deferretur. Nam ubique in ejus ſcriptis apparebat doctrina varia, judicium & ſenſus veri pulcrique acer ac limatus, critica ratio elegans, accurata, & ad mathematicam fere ſeveritatem exacta. Huc accedebat Latinae orationis facultas tam excellens atque egregia, ut qui hac laude propius ad ipſius Ciceronis praeſtantiam accederet, ex iis, qui nunc ſunt, repertus ſit nemo. Itaque factum eſt, ut omnes, qui aliquid auctoritate apud Erneſtum valerent, eum flagitare non deſinerent, ut, quam operam juvenis Ciceroni praeſtitiſſet, eandem maturiore jam aetate inſtauraret atque augeret. Neque enim dubium eſſe poterat, quin, cum juvenilis opera multis partibus utilis fuiſſet Ciceroni, haec aetas & doctrina ei prorſus ſalutifera futura eſſet; praeſertim, cum omnes facile intelligerent, & Erneſtus ipſe fateretur, ſe Ciceronis lectione adeo delectari, ut eum diem fere nullum de manibus poneret. Horum igitur precibus victus provinciam depoſitam iterum ſuſcepit, palmariumque munus eruditae civitati abſolvit. Quam vero & in univerſi operis deſcriptione & ſingularum partium

perfectione, rationem ſecutus ſit, age videamus.

Exemplum, ſeu textum, hac editione reddidit Gruterianum: ad quem emendandum & conſtituendum libros multos antiquos, cum ſcriptos tum typis expreſſos, adhibuit, multasque praeterea emendationes ipſe ſuo ingenio peperit. Ex lautiore hac critica ſupellectile notas ſubjecit textui, ſed ejusmodi ſaltem, quibus vel vera lectio vindicaretur vel falſa argueretur. Nam tota illa obſervationum copia, quae ad illuſtrationem rerum verborumque pertinet, in Clavi ſepoſita eſt, ut in antecedentibus editionibus. Verum de Clavi poſtea exponetur.

Sed, ut ſingulae operis partes habent peculiares ſuas praefationes, ſic univerſo operi communis ac nova praemiſſa eſt praefatio, quam ex vero πρόσωπον τηλαυγὲς vocare poſſumus. In ea hoc egit Erneſtus, ut univerſe de Critica Ciceroniana diceret, & veluti formam perfecti Critici Ciceroniani proponeret. Tota ejus ratio eſt bipertita: primum ipſe perfectus Criticus Ciceronianus informatur, & cum ejus exemplari comparantur, qui ante Erneſtum in recenſendo Cicerone verſati ſunt: deinde, ut in ſingulis operum Ciceronis voluminibus de editionibus dicitur, ſic in hoc, veluti aditu operum univerſorum, de editionibus eorum accommodate ad criticam rationem exponitur.

Et Critici quidem Ciceroniani perfecti laus quatuor virtutibus cernitur. Prima eſt exquiſita Latinitatis ſcientia in ſingulis verbis formisque di-

dicendi: ſecunda, eadem in analogia linguae univerſae, ut in temporibus, modis, ſimilibusque: tertia ſenſus venuſtatis, concinnitatis, numeri, atque ſoni orationis Ciceronianae: quarta, uſus rectus & accuratus librorum tum ſcriptorum tum editorum, cum ingenio odorandae verae lectionis per vestigia ejus in libris antiquis. Ac nos quidem veremur ne anguſtius, quam res ipſa patitur, Criticus circumſcribatur, cum intra verborum & emendationis ſpatium includitur. Nam univerſum Critici munus conſumitur in aperienda rerum veterum intelligentia; ejusque duae ſunt partes, altera locorum depravatorum emendatio, altera obſcurorum illuſtratio. Atque haud ſcio an plus ex illuſtratione quam emendatione utilitatis ad veterum ſcripta pervenerit. Et meminimus ſaepius nos in obſcuros locos incidere, qui, cum ingenioſiſſimis conjecturis a viris doctis tentati eſſent, facile obſervatione ex interioribus literis profecta vindicarentur. Sed redeamus ad Erneſtum. Latinitatis ſcientiam in Critico Ciceroniano ſummam debere exſtare, res ipſa loquitur. Conſtat enim Ciceronis aetate, tum aliorum, tum ipſius in primis ingenio, ſtudio, arte, ad eam perfectionem adductam fuiſſe & Latinitatem univerſam & orationis cujusque formam, ut major non modo extiterit nulla umquam, ſed ne cogitari quidem poſſe videatur, ejuſque adeo perfectionis exemplum unum certiſſimum & pulcerrimum in

 Ci-

Ciceronianis libris extare. Continetur autem Latinitas duabus rebus, quarum prima poſita eſt in ſingulis verbis & phraſibus, tum omnibus, tum in primis exquiſitioribus & aliquid propriae commendationis habentibus; altera in analogia linguae in ſingulis verbis in primisque eorum variandorum ſtruendorumque modo, ut ne quid, quemadmodum ipſe Cicero praecipit, in generibus, numeris, caſibus atque etiam temporibus ac modis, diſcrepet. Ac de hujus partis ſcientia ratione que eo magis dicendum eſt, quod eam, inter omnes interpretes Ciceronis, primus cepiſſe, ejusque, in animadverſionibus, quaedam praecepta ſparſiſſe, videtur Erneſtus; cum antea ipſi ſaepius viri docti in recto temporum modorumque uſu fluctuarent. Veluti, cum Latini, ex imitatione Graecorum, *habeo* pro *ſcio* dicerent, & *non habeo quod dicam*: nam id verbum conjungebant cum *quod*, ut Graeci οὐκ ἔχω ὅ, τι ἂν εἴπω: librarii ſaepius, ex frequentiore Latinorum formula, *neſcio quid dicam*, illud *quid* aſſumſerunt, perperamque fecerunt *non habeo quid dicam*. Simile quid accidit particulae *cum*, quae, ubi rationem cauſamque exprimit, conjunctivo jungitur, ubi tempus, indicativo. Habet enim hoc Graeca lingua, atque ab hac Latina, ut omnem varietatem temporum diſtincte definiat. Et Cicero, Or. III, 10, aberrationem a tempore legitimo aequat plane aberrationi in numeris,

ge-

generibus, & caſibus. Nec id modo ad ſingulorum verborum tempora pertinet, ſed etiam ad temporum nexum atque conſecutionem: nec qui dixerit *erunt qui dicent*, aut *multos audivi qui putabant*, minus peccat, quam qui *poetam magnam* aut *mentem bonum*. Similis eſt ratio modorum eaque multiplex, quorum uſus non diligenter cognitus magnum numerum vitiorum in libros induxit; in primis ille qui eſt in conjunctione membrorum per pronomina, relativa maxime, aut particularum, quibus membra copulantur, denique tota forma orationis, vel directe res exprimentis, vel ſuſpenſae alicunde, *obliquam* dicunt, in quibus etiam proclivior eſt lapſus, quod linguae recentiores in eo illam ſubtilitatem nec ſervant, nec omnino capiunt. Itaque nos, quo magis quotidie videmus viros ceteroquin Latine non indoctos, in hac parte, ſcribendo errare, eo vehementius optamus, ut ipſe Erneſtus hanc rationem, quam brevibus praeceptis in eo Rhetorices ſuae capite, quod eſt de elegantia, inchoavit, ſingulari libello perficiat atque abſolvat. Hunc enim qui cum ipſorum auctorum lectione conjunxerint, nae illi certiſſima via bene emendateque ſcribendi facultatem aſſequentur, atque omnibus omnium *Praeceptis vel Fundamentis Stili* aequo animo carebunt. Sed de reliquis duabus Critici Ciceroniani virtutibus ſi omnia, quae ab Erneſto egregie diſputata ſunt, referremus, narrationem intra fines, quos nobis conſilii noſtri ratio circumſcrip-

 ſit,

ſit, continere non poſſemus. Quare ea tantum commemorabimus, quae ad eam partem emendationis, quae vulgo conjectura vocatur, pertinent. „ Sed non omnia, inquit p. 10, per libros ſanari poſſunt; etiam ingenii quaedam in eo & doctrinae pars eſt, conjecturam vulgo non bene vocant: Enim vero hic non ſemper conjectura res agitur: nam ea in dubiis modo rebus locum habet, eſtque plerumque incerta: ſed ſaepe etiam judicio certo, quod in emendando Criticus ſequi debet, ut ſaepe & a multis factum eſt, invitis quamquam hujus artis non ſatis peritis. Nam quae ſecundum eas rationes, quas ſupra explicavimus, manifeſte ſunt vitioſa, ea quidem etiam ſine libris corrigere neceſſarium eſt, nec committere, ut vitia relinquantur in Ciceronis oratione, quae in noſtris eloquentiae Latinae tironibus nemo ſatis Latine doctus ferat. Statui Latinitatem veram poſtulare *non habeo quod ſcribam*, non *quid ſcribam*: id triginta v. c. exemplis firmatum a libris habui, in quibus *quod* eſſet, ubi alii *quid* haberent. Non ergo neceſſario corrigam ac jure in exemplo primo & trigeſimo, etiam ſi nullo in alio libro repererim?"

In ſecunda praefationis ſectione recenſentur illae Ciceronis editiones, quibus univerſa ejus opera continentur, repetitis omnibus, inde a prima illa Romana Sweinhemii, & Mediolanenſi Alexandri Minutiani anni 1498. & 1499. quam ipſe habuit Erneſtus,

qua-

quaque Graevium negligenter uſum eſſe dicit, usque ad recentiſſimam Pariſinam Lalemandi 14 volum. formae duodecimae. Tota haec diſputatio, in qua diligenter de ſingularum editionum auctoritate uniusque ex altera quaſi prognatione exponitur, & de interpretum meritis, ingenio, doctrina, accurate ſtatuitur: haec igitur diſputatio cum ejusmodi ſit, ut haud quaquam a nobis in compendium redigi poſſit, accedamus potius ad recenſenda hujus operis deinceps ſingula volumina, initio facto a primo, quo libri Rhetorici continentur. Et hi quidem ſuperiori aetate, longe minus ceteris, ejus artis curam experti ſunt, quae ſcripta antiqua liberat a corruptelis & vitiis. Nam praeſtantiſſimi Ciceronis correctores & interpretes, P. Victorius & Paulus Manutiis, omnium diligentiſſime Epiſtolas Ciceronis, in primis eas, quae ſunt ad diverſos ſcriptae, tractarunt, quod per eas maxime aditus juventuti ad Latinitatem cognoſcendam & bene ſcribendi facultatem patefieri ſolebat; ceteris libris, qui vel ad artem pertinerent vel ad philoſophiam, leviter omnino tractatis, praeter unum de Officiis opuſculum. Quare Erneſtus id in primis operam dedit, ut libris Rhetoricis integritatem reſtitueret, ex libris cum ſcriptis tum editis.

Nullorum autem librorum tot ſcripta exempla exſtant in Bibliothecis, quam eorum qui ad Herennium ſunt. Ad hos emendandos adhibuit Erneſtus primum quatuor codicum excerpta, quibus ante eum

nemo uſus erat, Bibliothecae Paulinae Lipſienſis, Winklerianae, Guelpherbytanae, & quarti ignoti, cujus lectiones ignota manu ad exemplum Verburgianum adſcriptae ſunt, quod exemplum olim emerat Erneſtus ex Bibliotheca Cortiana. His acceſſere excerpta librorum ſcriptorum, quae, ab Oudendorpio ex MSS. pluribus magna diligentia collecta, edidit P. Burmannus Secundus V. Cl. ad calcem exempli recenſionis Graevianae, quod ab eo ante annos non multos editum eſt. Editionibus uſus eſt, praeter eas, quibus univerſa opera continentur, principe Nic. Jenſoni Venetiis 1470. fol. librorum ad Herennium & de Inventione, cujus textum conſtituit Omnibonus, quaeque ſaepius repetita eſt ſine alicujus novi acceſſione boni, ut 1474. Mediolani, 1476., ſine loci & anni nota, Venetiis 1479., 1487., & adjecto Omniboni commentario Venetiis 1488., 1490. Sunt tamen exempla, quae ſolos libros ad Herennium habeant, quorum vetuſtiſſimum Romae factum eſt a Vendelino de Wila, artium magiſtro a. 1474. fol. In libris de Inventione, praeter editiones memoratas, & excerpta codicum Oudendorpiana, habuit Erneſtus varias lectiones libri Caſſellani, quas Cortius in margine Verburgiano ſcripſerat, itemque codicem ſcriptum ex Bibliotheca Guelpherbytana. Sed Juntina editio a. 1508. formae octavae, cum in libris ad Herennium ſaepius diſcedat a Mediolanenſi, in libris de Inventione tamen Mediolanenſem totam fere ad verbum exhi-

exhibet. Aldus, mutatis frequenter, ſaepius etiam temere, veteribus lectionibus, ut in reliquis libris Rhetoricis, ſic in his novam recenſionem dedit, quae poſtea in ſequentibus editionibus, propter auctoritatem officinae ejus, pro baſi fuit. In Bruto minus fuit felix Erneſtus quam in ceteris libris; nam nec ſcriptum librum nec editum illum principem Romae a Pannartio & Sweinhemio, quo *libri de oratore cum ceteris* contineri dicuntur, reperire potuit. Quamquam ejus editionis textum, in exemplis Venetis Andreae Aſculani 1485. repetitum eſſe, a conjecturae veritate haud abhorrere videatur. Libri ejus, qui dicitur *Orator*, exemplum primum inventum eſt a Gerardo Landreano, Laudis Pompejae Epiſcopo. Nam quod vulgo viri docti ab eo *libros de Oratore*, primum inventos eſſe dicunt, in eo manifeſtus eſt error. Hunc codicem a Gerardo Landreano impetravit deſcribique curavit Barzizius, quod ex ipſa ejus ad Gerardum epiſtola intelligitur. Ex iſto Barziziano exemplo fluxere reliqua omnia & ſcripta & typographorum formulis expreſſa; ac in illis liber Wittenbergenſis Bibliothecae, quem Erneſtus nactus eſt per veterem ſuum amicum Ritterum, Juris veteris & Hiſtoriae omnis, omnium qui uſpiam ſunt, doctiſſimum. Hoc libro continentur Orator, Topica, Partitiones, & praefatio Orationum Aeſchinis & Demoſthenis, de optimo genere oratorum.

De

Denique in Partitionibus habuit quoque Erlangenſem librum ſcriptum, de quo mox dicetur.

In libris de Oratore, Erneſtus multo plura ſubſidia ad emendandum habuit, quam in aliis libris. Nam quamvis primis illis, Sublacenſi a Pannartio Sweinheimioque facta, & Romana, Anni 1486., editionibus caruit, copiae tamen aliarum editionum ei non defuerunt, interque illas exempla quae hos ſolos libros habent, Waldarferi A. 1470., aliud ſine loci & temporis nota, Venetum 1485. Juntinum, Aldinum, Phil. Melanchthonis Lipſienſe, Strebaei, Cockmanni, Pearcii. Nam Phil. Melanchthon, egregius bonarum literarum vindex, hos libros edidit cum notis brevibus & ſcholiis Hagenoae, 1525. 8vo. Non multo poſt Lud. Strebaeus eos Pariſiis edidit illuſtratos luculentiſſimo commentario, & emendatos delectis judicio ſuo, ex libris editis, lectionibus iis, quas optimas putaret. Sub finem ſuperioris ſeculi, ſeparatim editi ſunt a Cockmanno, ſubjectis lectionibus ex quinque codicibus ſcriptis Oxonienſibus, & quibusdam editionibus. Anno denique hujus ſeculi decimo ſexto, & plenius diligentiusque anno trigeſimo ſexto, recenſiti emendatique ſunt a Zach. Pearcio, viro elegantis ingenii & doctrinae, cum ex copiis Cockmannianis tum quinque aliis libris ſcriptis, & editionibus Mediol. 1498., & Veneta 1478, tum etiam judicio ſuo, in quo Latinitate maxime & rebus niteretur. His tot

tan-

tantisque ſubſidiis acceſſit codex Erlangenſis ſec. X., qui multas bonas ſuppeditavit lectiones, ut dolendum ſit eum multis locis lacunoſum eſſe.

Sed, peragrata hac parte, quae veremur ne quibusdam enumeratione editionum horrida videatur, veniamus in amoeniores locos laetaque vireta, atque ipſius artis Erneſtinae elegantiam ſpectemus. Ne vero in tanta rerum copia oculi noſtri menteſque diſtrahantur ad varia ſpectacula, noſtram cenſuram ad unum praeſtantiſſimum de Oratore opus adſtringamus, noſtrumque de arte expolitioneque Erneſtina judicium interponamus. Et cum tantam vim habeant hi libri ad imbuendum animum pulcri venuſtique ſenſu, quantam vix alius ex tota antiquitate liber, neque quisquam fere ad doctrinae elegantiam proficere poſſit, niſi eos legat, diſcat, in ſinu ferat, videmur nobis haud ingratum facturi bonarum literarum amantibus, ſi in hac cenſura ita verſemur, ut ex ea aliquid vel medelae vel lucis ad hos Ciceronianos libros perveniat.

Lib. I. Cap. 43. in ea parte, qua Craſſus ſtudium juris civilis commendat, haec ſunt verba: *Nam, ſive quem aliena ſtudia delectant, plurima eſt & in omni jure civili, & in Pontificum libris, & in XII tabulis, antiquitatis effigies, — ſive quis civilem ſcientiam contempletur, totam hanc, deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus & partibus, XII tabulis contineri videbit; ſive quem iſta praepotens & glorioſa philoſophia delectat, dicam audacius,*

cius, *hosce habebit fontes omnium diſputationum ſuarum*, *qui jure civili & legibus continentur.* Hic Erneſtus primum ex edd. princ. recte, poſt Pearcium, edidit *videbit*, pro vulgato *videbitis*. Praeterea, ut temporum ratio conſtaret, pro *habet* dedit *habebit.* Qua quidem in mutatione nos non habet diſſentientes. Sed alia nobis de toto loco ſubnata eſt dubitatio. Nam, primum, quomodo inter duos indicativos *delectat* & *delectant* interjectus eſſe poteſt conjunctivus *contempletur*? Deinde vero, ipſi verbo *contemplari* locus hic nullus eſt, cum tota oratio vehementiorem quandam animi inclinationem, quae in contemplando nulla eſt, requirat. Quare in eam cogitationem inducti ſumus, ut pro eo verbo ponendum putaremus *conſectatur*, vel *complectitur*. Illud pro *operam dare*, *ſtudere*, ponitur de Or. III, 11. Sic quoque *conſequi* non infrequens eſt: vid. Clav. Voc. Hoc propius ad vulgatae veſtigia accedit, & pro *diſcere*, *ſtudere*, eſt ap. Ciceronem, Brut 93: *nemo qui philoſophiam complexus eſſet: nemo qui jus civile didiciſſet:* & Ovidium, ex P. I. 6, 9: *Nec quiſquam meliore fide complectitur illas*, i. e. artes ingenuas. Denique, quid ſibi *aliena ſtudia* velint, & quomodo ipſa ab hoc loco non aliena ſint, excogitare non poſſumus. Itaque conjecimus *antiqua* ſtudia. Nam ſi nemini interpretum *aliena ſtudia*, pro *ſtudia alienarum rerum*, minus Latinum viſum eſt, certe *ſtudia antiqua*, pro *ſtudiis antiquitatis*, haud minus Latinum

tinum videri debet: ſic *divina officia* ſunt *officia erga Deos*: vid. Erneſt. Clav. V. *Divinus*. Atque huic correctioni plus tribuere coepimus, poſteaquam vidimus ſimiliter fere peccatum fuiſſe infra cap. 49: *Neque vero, ſi quis utrumque poteſt, aut ille conſilii publici auctor ac ſenator bonus, ob eam ipſam cauſam orator eſt; aut hic diſertus atque eloquens, ſi eſt idem in procuratione civitatis egregius*, aliquam *ſcientiam dicendi copia eſt conſecutus*. Vox *aliquam*, licet in omnibus ſit ſcriptis libris, nullo tamen pacto hic ferri poteſt. Quare Manutius & Lambinus ex conjectura dederunt *illam*, quos ſecuti ſunt etiam alii & Erneſtus. Sed Pearcius, noſtro quidem judicio, perperam defendit vulgatum *aliquam*. Nos vero nobis ejusmodi emendationem repeꝛiſſe videmur, qua ipſa Ciceronis manus reſtituta ſit, legendo *alienam*. Primum ipſa loci ſententia hanc vocem flagitat. Nam orator, ſi civilem ſcientiam aſſecutus eſt, haec ei *aliena* poteſt dici, neque tam propria, quam oratoria facultas. Deinde ipſe Cicero in ſimili re & argumento utitur eadem voce, de Or. I, 11: *Etenim videmus iisdem de rebus jejune quosdam & exiliter, ut eum, quem acutiſſimum ferunt, Chryſippum, diſputaviſſe, neque ob eam rem philoſophiae non ſatisfeciſſe, quod non habuerit hanc dicendi in arte* aliena *facultatem*. Eſt enim philoſopho ars oratoria *aliena*, ut oratori ſcientia civilis. Et eadem ratione cap. 50: *Ac, ſi jam placet, omnes*

artes

artes oratori ſubjungere, tolerabilius eſt, ſic potius dicere, ut; quoniam dicendi facultas non debeat eſſe jejuna atque nuda, ſed aſperſa atque diſtincta multarum rerum jucunda quadam varietate; ſit boni oratoris multa auribus accepiſſe, multa vidiſſe, multa animo & cogitatione, multa etiam legendo, percurriſſe: neque ea, ut ſua, poſſediſſe; ſed, ut aliena, *libaſſe.*

Cap. 53: *Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui ſui, Q. pupillum filium ipſe paene in humeros ſuos extuliſſet, qui patris clariſſimi recordatione & memoria fletum populo moveret, & duos filios ſuos parvos tutelae populi commendaſſet.* Eſt in his verbis nulla definita ſententiae conſecutio. Nam particula & non poteſt conjungere antecedens *moveret* cum ſequenti *commendaſſet*: &, qui commendaverat filios ſuos tutelae populi, erat C. Sulp. Gallus, qui vero moveret fletum, erat vel filius ejus parvulus, vel per eum Galba. Quare pro & ſuſpicamur olim fuiſſe *ut*, illudque commutatum fuiſſe cum antecedente *qui*; ut ita locus reſtituendus videatur: *extuliſſet, ut patris clariſſimi recordatione & memoria fletum populo moveret*, qui (ſc. pater) *duos filios ſuos cet.* Itaque non ſatis bene nobis Cl. editor loco hoc corrupto abuti videtur ad emendandum ſanum, infra Cap. 57. in ſimili re: *vel ſi cauſam ageres militis, patrem ejus, ut ſoles, dicendo a mortuis excitaſſes: ſtatuiſſes ante oculos: complexus eſſet filium, flensque eum centumviris commendaſſet: lapides mehercule*

omnes

omnes flere ac lamentari coegisſes. Ernestus mallet haec de oratore, quam de parente inducto, accipere, & legere *complexus esſes*, *commendasſes*, *coegisſes.* De poſtremo non vehementer repugnamus; de prioribus duobus non ei adſentimur. Nam primum *commendasſet* de patre bene dici, vel ex ipſo, quem tractamus loco, clarum eſt. Deinde in ejusmodi excitationibus mortuorum, vel repraeſentationibus abſentium, ipſi quaſi agentes inducuntur. Ita v. c. Pro Coelio cap. 14. cum, Claudiam exagitans, Appium Claudium Caecum inducit: *Exiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis: ac potisſimum Caecus ille; minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit: qui profecto ſi extiterit, ſic aget & ſic loquetur: Mulier, quid tibi cum Coelio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno?* — Et ſimiliter aliquoties, conſtituendis ante judicum ora reorum filiis, fletum atque miſericordiam excitare conatus eſt Tullius: v. c. Pro. L. Flacco, cap. 40. 41, & Pro P. Sylla, cap. 32.

L. II. c. 6: *Sic enim ſe res habet*, ut, *quemadmodum volucres videmus, procreationis atque utilitatis ſuae cauſa, fingere & conſtruere nidos, easdem autem, cum aliquid effecerint, levandi laboris ſui cauſa, pasſim ac libere ſolutas opere volitare: ſic nostri animi, forenſibus negotiis atque urbano opere defesſi, gestiunt ac volitare cupiunt vacui cura atque labore.* Ernestus, post Lambinum, *ut* inducendum esſe putavit. Pearcius concinnitatem huic loco reſtitui duobus modis

 posſe

ret, non ei erat laborandum atque ſudandum, quomodo minora illa ſigna, quae in clypeo inſculpenda erant, abſolveret. Itaque verba, *ut in clypeo idem ille artifex*, referenda ſunt ad *facere*, non ad *diſcat*, nec ad *laborabit* : & tota ſententia ita est accipienda, *non laborabit quemadmodum minora illa opera facere discat, ut nec Phidias laboravit quemadmodum minora illa ſigna in clypeo Minervae efficeret*. Sic de Polycleto ſupra cap. 16. De ſigno hoc Phidiae videatur Junius Catalog. Artific. Vet. p. 157 ſequ. & J. Daviſius ad Cic. Tuſc. I, 15.

Cap. 38: *Nam & omne, quod eloquimur ſic, ut id aut esſe dicamus aut non esſe, & ſi ſimpliciter dictum ſit, ſuscipiunt dialectici ut judicent, verumne ſit an falſum : & ſi conjuncte ſit elatum, & adjuncta ſint alia, judicent, rectene adjuncta ſint:* —— Quamquam non fugit interpretes, esſe aliquid vitii in primis hujus loci verbis, eorum tamen emendationes Ernesto non placuerunt, qui illud *&* delendum esſe judicavit. Sed nobis quidem nec Ernestina haec correctio certa, ſed potius *est* pro *&* legendum, videtur. *Nam est omne quod eloquimur, ſic, ut id aut esſe dicamus aut non esſe.* Atque hac poſita enunciationis vi, eam in ſua Cicero genera distribuit, de iisque a dialecticis disputari dicit. Est autem enunciationis omnis haec natura, ut aliquid vel esſe vel non esſe ponat. Vid. Ariſtot. Categor. IV. 4. Cicero Tuſc. I. 7. & ibi J. Daviſius.

Cap. 53: *Argumentum enim ratio ipſa confirmat,* quae,

quae, *ſimulatque* emiſſa *eſt*, *adhaereſcit*. Hoc vero loco, ſi quo alio, mirum nobis accidit, Cl. editorem nil de labe monuiſſe; praeſertim, cum, in nota ſubjecta, nos ablegat ad Clavem in voce *Adhaereſcere*, ubi diſerte, *adhaereſcit argumentum*, ex hoc loco profert. Atqui, ut *adhaereſcit* ad *argumentum* refertur, ita *emiſſa* eodem referenda eſt. Nam *ratio emitti* qui tandem dici poſſit? Itaque legendum: *Argumentum enim ratio ipſa confirmat*, cui (ſc. rationi), *ſimul atque* emiſſum (ſc. argumentum) *eſt*, *adhaereſcit*. Sic *emitti* ponitur de re, quae dicitur. Simillime infra c. 54: *ante illud facetum dictum emiſſum haerere debeat, quam cogitari potuiſſe videatur.* Or. pro Coel. 16: *aculeos* —— *emittere. in hominem & in reum*.

Cap. 78: *Neque eſt dubium quin exordium dicendi vehemens & pugnax non ſaepe eſſe debeat: Sed ſi in ipſo illo gladiatorio vitae certamine*, quo *ferro decernitur*, *tamen ante congreſſum multa fiunt*, *quae non ad vulnus*, *ſed ad ſpeciem valere videantur: quanto hoc magis in oratione* exſpectandum, *in qua non vis potius*, *ſed delectatio poſtulatur?* Primum bene fecit Erneſtus, quod Pearcii conjecturam, non malam quidem illam, ſed tamen minus neceſſariam, *quod ferro decernitur*, rejecit. Sed mox, quomodo nec eum, nec alium quemquam, quod ſciamus, ex ſuperioribus editoribus, vox *exſpectandum* offenderit, exputare nulla ratione poſſumus. Nos, vel omni bus libris invitis, *eſt ſpe-*

ſtandum reponimus. Denique *non vis potius ſed delectatio*, nec Pearcius ferre potuit, qui pro *ſed*, ex libris Gruteri, *quam* dedit; nec Ernesto ſatis ſanum viſum est, qui *potius* delere voluit. Nobis nil mutandum videtur. Ponitur enim *non* cum *ſed* pro *quam*, ut ſi dixisſet, *in qua potius delectatio quam vis postulatur*. Sic De Finib. II. 33, *non* pro *quam* est: *aliud quiddam iis propoſitum, non voluptatem*. Graecis frequens est hic uſus. v. c. Plato Comic. ap. Athen. VII. p 279. B: οὐκ ἔστιν δ᾽ ἔχειν ταύτην ἑτέρωθεν, ἐκ δὲ τοῦ ζῆν παγκάλως. Plutarch. Conſol. ad Apollon. p. 111. B: τὴν γὰρ εὐκαιρίαν μᾶλλον, οὐ τὴν εὐγηρίαν, πανταχοῦ καθορῶμεν πρωτεύουσαν.

Sed maximi eſt momenti Graecarum literarum ſcientia ad criticam feliciter exercendam in Latinis ſcriptoribus, cum univerſis, tum in primis iis, qui ſe totos ad Graecorum rationem comparaverunt. Ex quibus ſine dubio etiam Cicero fuit: cujus vim atque venuſtatem multis locis ne percipere quidem poſſunt Graecarum literarum vel rudes vel leviter gnari. Itaque & corruptis ſaepe locis medelam, & obſcuris lumen, conciliat Graecarum rerum dictionumque ſcientia, & ſanis locis mirificam adjungit ſuavitatem cognitio fontium, e quibus ducti ſunt. Quare ex iſto genere pauca quaedam addamus. L. I. cap. 2, cum Cicero dicit, *ſe ſtatuere, eloquen-*

quentiam contineri prudentiſſimorum hominum artibus: Quintum autem fratrem putare, eam ponendam eſſe in quodam exercitationis genere, non est dubium quin haec duxerit ex Platone Phaedr. p. 350. apud quem Socrates in eodem argumento verſatur, & ita pronunciat: ῥητορικὴ οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἄτεχνος τριβή. Ex eodem adumbratum eſt illud, quod infra cap. 13. est, in philoſophi & oratoris contentione: *Quibus* (philoſophis) *ego, ut de his rebus omnibus, in angulis, conſumendi otii cauſa, disſerant, cum concesſero; illud tamen oratori tribuam & dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exſanguique ſermone diſputant, hic cum omni gravitate & jucunditate explicet.* Sic enim in Gorgia p. 298. contra Socratem disputat Callicles, philoſophum ſe abdere, μετὰ μειρακίων ἐν γωνίᾳ -- ψιθυρίζοντα, ἐλεύθερον δὲ καὶ μέγα καὶ ἱκανὸν μηδέποτε φθέγγεσθαι. Porro II, 44. illa oratoris cum medico comparatio ducta est ex ejusdem Phaedro p. 354. Non minus ex Ariſtotele multa deſumſit Cicero, v. c. I, 19. de fide & auctoritate, qua orator valere debet apud audientes, est Rhetoric. I, 2, 3. & II, 27. Enumeratio probationum est ex eodem libro, 2, 2. Et plura ad Aristotelem notavit P. Victorius. Sed in aliis quoque locis Graecae conſuetudinis cognitio ad veram lectionem ducit: v. c. II, 23. Iſocratis enumerantur discipuli, quorum partim

oratores partim ſophiſtae fuerunt: ac de oratoribus ita dicitur: *& ii, qui ſe ad cauſſas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, Dinarchus, alii complures, etſi inter ſe pares non fuerunt, tamen ſunt omnes in eodem veritatis imitandae genere verſati; quorum quamdiu manſit imitatio, tamdiu genus illud dicendi ſtudiumque vixit.* Pearcius pro *veritatis* ex uno Msto dedit *virtutis;* quod oratores ſuſciperent veritatem, non, ut histriones, imitarentur. Hanc correctionem merito repudiavit Erneſtus, ſed vim *veritatis* nobis non cepiſſe videtur, cum eam accipit pro *vera & una probanda ratione dicendi.* Est enim *veritas* idem ac verae cauſſae, non fictae, quales ſunt ſophiſtarum, opponiturque his, ut acies pompae. Quare, ſi quid mutandum eſſet, potius ejiceremus *imitandae*, quod facile ex ſequenti *imitatio* oriri potuit. Sed de hoc non firmiter contendimus. Illud aſſeveramus, *veritatis* & relinquendum, & ita, ut diximus, accipiendum eſſe. Sic apud Graecos rhetores ἀλήθεια & ἀληθινὸς frequentantur. v. c. Dionys. Hal. de Iſocrate, p. 98. veras cauſas a fictis declamationibus ſecernens, eas vocat ἀληθινοὺς ἀγῶνας. de Lyſia p. 83. de Thucydidis Proprietate, p. 157. Cicero ipſe de Orat. I, 34: *commentatio incluſa in veritatis lucem proferenda est.* I, 51, *expers veritatis* vocatur ſophiſta, qui in ſchola fictas cauſſas declamat. Et ſimilem ratio-

nem

nem videmus eſſe illam, qua Ruhnkenius hunc locum purgavit, qui legit *tutandae veritatis*, Hist. Crit. Orator. Gr. p. 61, & ad Rutil. p. 92, hanc potestatem vocis *Veritas* accurate expoſuit. Cujus viri animadverſiones Ernestus, neſcimus qua de cauſa, non commemoravit. Veluti II, 13: *Postea vero, quaſi ex clariſſima rhetoris officina, duo praeſtantes ingenio, Theopompus & Ephorus, ab Iſocrate magistro impulſi, ſe ad historiam contulerunt*; Ruhnkenius Hist. Crit. Or. Gr. p. 87. verba *quaſi ex clariſſima rhetoris officina*, ex Bruto 8. & Oratore 13, a ſciolo quodam hic inculcata arbitratus est. II, 21. Pearcii correctionem, pro *oratorum* ſubſtituentis *rhetorum*, judicio ſuo confirmaverat idem Praef. ad Rutil. p. 26. Bruto 8: *Iſocrates magnus orator & perfectus magister, quamquam forenſi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo, meo quidem judicio, est postea conſecutus.* Lipſius Var. Lect. III, 14. ex Rufino Grammatico legit, *quam nemo, meo quidem judicio, est poeta conſecutus.* Quam conjecturam temere in textum recepit Gruterus, quamvis nil magis ab hoc loco alienum eſſe poſſit: vid. Ruhnk. Hist. Crit. Or. p. 62. Ernestus, qui Gruterianum exemplum hac editione exhibuit, et *poeta* dedit, nec tamen de ejus lectionis vel origine vel falſitate in notis monuit. Gesnerus Thes. L. L. V. *Exceptans*, corrigit locum de Orat. III, 2. quo de L. Craſſi morte

dicitur: *Illa tamquam cycnea fuit divini hominis vox & oratio, quam quaſi exſpectantes, poſt ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipſum, in quo ille postremum inſtitisſet, contueremur.'* Gesnerus vere & eleganter corrigit *exceptantes* pro *exſpectantes*. At correctionem non memorat Ernestus. Ita & hujus viri per Theſaurum ſparſas Ciceronianas emendationes, quarum haud parvus est numerus, & alias aliorum, veluti Burmanni, Oudendorpii, Drakenborchii, in Miscellaneis Obſervat., & Taylori, Marcklandi, Chapmanni, Jortini, peculiaribus Anglicis libris proditas, has igitur omnes, nulla in notis mentione facta, neglectas reperimus.

Sed nos finem faciamus hujus cenſurae. Nam ex iis, quae hactenus disputavimus, facile intelligitur, unum fuisſe, post renatas literas, Ernestum, qui perfectam abſolutamque ſuis numeris editionem Ciceronis efficere potuisſet, ſi, quantum ad hanc provinciam attulit facultatis, doctrinae, ingenii, tantum in ea collocare voluisſet temporis, curae atque diligentiae. Quae enim virtutes inesſe debent in critico Ciceroniano, eximias in eo exſtare vidimus. Primum literarum Latinarum Graecarumque ſcientia egregia: tum Latinitatis, & in ſingulis verbis, & in analogia, conſtructione, conſecutioneque temporum ac modorum, cognitio plane ſingularis: tum Ciceronianae conſuetudinis in figuris atque ſententiis intelligentia, & ſenſus numeri

&

& ſoni Ciceroniani, aurésque tritae notando juſto orationis ambitu: denique copia & uſus librorum antiquorum, & editorum, & ſcriptorum, cum ingenio indagandae verae lectionis per veſtigia ejus, quae in libris exſtant. Itaque ſperamus neminem fore, qui credat, nos cenſuram hanc ſuscepiſſe, non magis, ut de Cicerone bene mereremur, quam ut laudibus Erneſti detraheremus. Neque profectò nobis ipſi aliquid cum humanitate commercii habere videremur, ſi ei viro obtrectaremus, quem immortalia de humanitate merita ſupra invidiam collocarunt, cujusque luce ut diu adhuc fruantur bonae literae, vehementer optandum eſt.

II.

PLATONIS *Dialogi Duo, Philebus & Sympoſium, e recenſione H. Stephani, Varietate Lectionis & Animadverſionibus Criticis illuſtrati ab Jo. Frid. Fiſchero. Lipſiae. 8. 1776.*

Quae Ciceroni obtigit interpretum & editorum felicitas, ea adeo caruit Plato, ut non ſolum paucos nactus ſit, qui ejus ſcripta typis ederent, ſed, qui ejus orationi nitorem reſtitueret, eamque a corruptelarum labe purgaret, & ſenſus obſcuros atque abditos ex interiore doctrina patefaceret, omnino repererit neminem. Et ex ipſo hoc editionum parvo numero, nam ſex omnino ſunt, nulla eſt recentior anno ſuperioris ſeculi ſecundo; ut mirandum ſit, centum & ſeptuaginta annorum ſpatio neminem ex tot viris doctis exſtitiſſe, qui ita ſuam criſin Platoni addiceret, ut intelligentiam ejus verae eruditionis amantibus aperiret. Itaque in tanta literarum luce caret adhuc ſua luce divinum illud Platonis ingenium, neque caret tantum, ſed infamiam quoque apud multos & contemtum ſuscepit. Nam qui eum legant, pauci ſunt: qui intelligant, paucisſimi: qui vero, vel ex verſionibus, vel ex jejuno hiſtoriae philoſophicae compendio, de eo judicent & cum ſupercilio pronuncient, plurimi ſunt. Sed ex ipſis iis, qui Platonem non

non aliunde quam ſcriptis ejus cognoscere ſtudent; quotusquisque est, qui, ad eam lectionem, accuratam ſcientiam Graecae philoſophiae, linguae, historiae, & omnino antiquitatis adferat; ut omnem Platonicae doctrinae ubertatem ſuavitatemque percipiat, neque ullam ex ea partem effluere ſinat? Tanta enim est ejus bonorum copia, tantaeque divitiae, ut variis ſufficiat materiam ſtudiis, & unus quisque discendi cupidus habeat, quod ex eo tollere posſit. Nam ex Platone et orator ad perſuadendum certam viam, ad delectandum elegantias rerum et verborum, ad commovendum vim atque impetum conſequetur: & poeta imaginum florumque copiam, et omnino magnam ſuae artis ſupellectilem depromet: et philoſophus rerum abditarum ſcientiam, de iisque clare eleganterque disſerendi facultatem, aſſumet: et antiquitatis ſtudioſus inſignem rerum, cum Atticarum & Graecarum, tum aliarum, memoriam excitabit: et grammaticus exquiſitam linguae Graecae ſcientiam colliget: & omnes denique virtutis amantes ad vitae rationes bene & prudenter inſtituendas, moresque emendandos, praeſidia adjumentaque ſibi in eo parata reperient praeclara & prorſus divina.

Sed omnibus his bonis ſe ipſi defraudant, qui uno levi hodiernae philoſophiae inſtrumento freti ſe ad ejus lectionem conferunt: & in illum etiam errorem incidunt, ut infeliciter & perverſe de Platone ipſo judicent, cum eum ad nostrorum philoſopho-

ſophorum formulam exigunt. Quare, ut fructus univerſos, qui percipi posſunt, ex eo percipiamus, necesſe est eum intelligamus. Neque vero intelligere eum posſumus, niſi libri ejus ſint a mendis purgati, & obſcuri eorum loci illuſtrati. Atqui hoc tam magnificum munus Critica ſustinet. Quod dum perficiatur, tamen iis etiam habenda est gratia, qui, etiamſi interiorem Platonis intelligentiam non recludant, ejus tamen libros typis deſcribendos curant. E quorum numero est Fiſcherus, qui, cum alios ſcriptorum Graecorum libellos, tum Platonis aliquot dialogos, in uſum ſcholarum edidit. Neque enim nos ii ſumus, qui eas ſolum editiones in aliquo loco habeamus, quae omnibus criticae artis inſtrumentis expolitae ſint: quamquam eas primo loco ponimus. Sed, ut veteres auctores hominum ſtudiis frequententur, ante omnia necesſe est, ut eorum exempla ne ſint rara & pauca, ſed crebra & paratu facilia. Quare, qui id unum agit, ut veterum libros, nulla addita vel verſione vel animadverſione, recudi & ad hominum uſus divulgari curet, hic, nobis quidem judicibus, vel hoc nomine ſolo, haud mediocriter de bonis literis meretur. De animadverſionibus autem haec ſemper nostra fuit ſententia, ut eas accommodandas ad eorum, quibus ſcribuntur, ingenia ſtatueremus. Tironibus igitur verborum vis, constructionis ratio, orationis elegantia, exponatur, re-

rerum obſcuritas explicetur; ut & ingenia ad veri venuſtique ſenſum ac judicium acuantur, & memoria paulatim antiquitatis cognitione repleatur. Veteranis vero ne quotidianae apponantur dapes, ſed ex interioribus literis depromtae explicationes & obſervationes. Est etiam aliquod inter tirones ac veteranos interjectum genus lectorum, cui utriusque rationis quaſi temperamentum adhibendum est. Qui vero notulis aliunde compilatis doctrinae ſpeciem conſectantur, locis perſpicuis enarrandis immorantur, obſcuros vero & corruptos praetereunt, neque ipſi ſuam ignorantiam ingenue profitentur, ii non ſolum intemperanter ſuo aliorumque otio abutuntur, ſed & bonis literis damnum inferunt & criticae arti infamiam addunt. Sed Fiſcherus utiliſſimam navavit operam Graecis literis, adornandis editionibus accommodatis ad uſus tironum, quibus nil additum eſſet niſi quod ad intelligentiam auctoris duceret, verbis in primis ac phraſibus in indice explicitis: ex quo genere v. c. eſt Aeſchines Socraticus. Poſtea magis magisque ab hac ratione deflexit. Primum in Theophrasto ac Palaephato, ad quos ex libris editis tantam variarum lectionum copiam congeſſit, ut vix Graecus textus appareat: quamquam indices tamen verborum adjecit. Deinde in Platonis Dialogis, in quibus jam altius evolare & criticam facere voluit; non ut ex libris antiquis, praeſertim ſcriptis, vel ex ingenio ve-

ram

tam lectionem restitueret, neque ut obſcuros locos ex antiquitatis vel philoſophiae ſcientia illustraret, ſed ut varias lectiones, tum ex editionibus, tum ex antiquis ſcriptoribus, quos quidem noverat Platonis locos in ſuos libros transtulisſe, notaret, indices autem tironibus utiles omitteret, in eorumque loco alios poneret, ad morem criticorum, alterum, *ſcriptorum, qui in notis laudantur, illustrantur, emendantur*, alterum, *verborum Graecorum, quae explicantur in notis*. Quamquam nos veteris ſcriptoris locum, nec mendoſum emendatum, nec difficilem bene explicatum, nec verbi vim accurate expoſitam, in notis reperimus. Neque profecto hoc postulabatur a Fiſchero, ut ad alios ſcriptores divagaretur, cum in Platone tantum esſet, quod ageret. Atque ex eadem critices faciendae gloriola, profecta nobis videtur illa vel arrogantia, vel levitas, qua fere omnes in Platone virorum doctorum, Batavorum maxime, emendationes vanas atque ſupervacaneas esſe pronunciavit, & Batavis in primis rationem praeſcripſit ad quam veteres auctores ederent.* Quamvis difficile ſit riſum tenere ad istam ſeveritatem, malumus legem, quam nobis ipſi diximus, constantiae atque humanitatis ſequi, quam acerbius in hominem quid dicere. Sed tamen est ſuperbi, univerſas una ſententia Batavorum editiones condemnare: deinde

* Praef. ad Platonis Sophiſtam, Politicum, & Parmenidem. Lipſ. 8. 1774.

deinde inconſiderati & parum res humanas callentis, dicere, eas ſingulas ad eandem rationem esſe conformatas; ac ſi omnes, qui in eodem populo viverent, eadem literarum ſtudia, aut in iisdem ſtudiis eandem rationem, ſequi necesſe esſet. Neque enim ſi v. c. in Germanis Erneſtus & Heynius praeclare veteres ſcriptores interpretantur, continuo Fiſcherus, quia Germanus est, in ejuſdem laudis ſocietatem adjungitur. At ſint nonnullae in hac regione factae editiones tales, quales Fiſcherus pronunciat: has quidem nos, licet non probemus, tamen Fiſcherianae jejunitati omnino praeferimus: aut ſi notandae ſunt etiam hae editiones, certe non eſt is Fiſcherus, qui hanc cenſuram ſuſcipere poſſit. Ceterum & Platoni plures conciliasſet lectores, & lectoribus difficultatem intelligendi minuisſet, ſi amoeniores & ad communem captum faciliores edidisſet dialogos. Ita, ex illis, qui ab eo ſunt editi, faciliores ſunt Euthyphro, Crito, Apologia S., Sympoſium, Cratylus, &, ex majori quidem parte, Phaedon: ſed Theaetetus, Sophiſta, Politicus, Philebus, & in primis Parmenides, adeo verſantur in rebus abditis, & pleni ſunt dialectici acuminis, ut interpretem requirant haud quaquam hebetem Graeciſque literis leviter tinctum. Quid igitur cauſſae fuit, quin potius Protagoram, Hippiam, Euthydemum, Gorgiam ederet, aut Sympoſio Phaedrum adjungeret? Nos vero alio tempore de uno atque altero Platonis dialogo peculiariter

C dis-

diſputabimus, in quibus etiam erit Philebus: nunc de Sympoſio exponamus.

Plurimum valet ad perfectam libri intelligentiam, ut ad ejus lectionem adferamus ſcientiam, cum generis ipſius in quo ſcriptus eſt, tum auctoris ejuſque conſilii atque voluntatis. Et ut plerorumque forma Socraticorum dialogorum ad poeticum genus refertur, judice Ariſtotele (Poet. c. 1. & ap. Athen. p. 505. B.), ita eorum in primis, qui a Platone ſunt. Atque hoc ipſo genere Plato plurimum a Xenophonte differt, cujus omnes dialogi ad hiſtoriae fidem compoſiti ſunt, cum Plato ποιητὴν agere, & Socratem ad ſuum ingenium fingere videatur. Quare diligenter attendendum eſt, quid Socrates dicere potuerit, quidque ſub ejus perſona ipſe pronunciet Plato. Quae quidem res jam apud antiquos multarum dubitationum cauſſa fuit. Ac nobis videtur hic dialogus a Platone jam ſeniore conſcriptus eſſe, eo quidem conſilio, ut ſuſpicionem illam impuri amoris a Socrate abſtergeret, quam ei in aliis libris adſperſerat, & ut eſſet quod in eodem genere Xenophontis Sympoſio opponeretur. Nam eo aetatis tempore Leges etiam ſcripſit, in quibus puerorum amorem damnavit, eumque τὸ παρὰ φύσιν τόλμημα vocavit. Xenophon autem, cui major fides habenda eſt de Socrate, non ſolum nullam hujus ſceleris ſuſpicionem in Socratem movet, ſed ab illo eum diſerte etiam vindicat. Ceterum quamvis hujus dialogi

logi ſumma, multis partibus, temporum rationibus repugnet, nil tamen in eo reperitur, quod ab ingenio & moribus eorum, qui inducuntur, alienum ſit.

Ducitur initium narrationis ab *Ariſtodemo*, qui Socrati, praeter conſuetudinem lauto calceatoque, obviam veniens, eum interrogat, unde tam elegans repente exſtiterit: Ad *Agathonem*, inquit Socrates, proficiſcor, invitatus ad convivium; nam heri, cum victoriae ſuae tragicae feſtum celebraret, nolui convivarum multitudini me immiſcere; quare promiſi ei hodie ad cœnam: atque ita me ornavi, ut elegans ad elegantem venirem; ſed vin'tu mecum, quamquam non invitatus, ad ejus coenam venire? Ego vero, inquit, ut tibi videtur. Igitur ſimul procedunt. Sed cum intraret aedes Agathonis Ariſtodemus, ſolum ſe videt relictum, Socrates nuſquam apparet; ſubſtiterat enim in via, qui ejus erat mos, cogitationi intentus. Poſtea venit & ad Agathonem conſidet. Convivae coena peracta libant, paeanem canunt, ad potum ſe conferunt. Ibi Pauſanias ejuſmodi ſermonis initium injecit, quo convivas moneret, ut viderent, qua ratione ſuaviſſime biberent: ego enim, inquit, potius ex heſterno potu requiem, quam nova pocula quaero. Hoc conſilium reliqui probant; convenit inter eos, ut doctis potius ſermonibus, quam vino peragatur convivium. Suſcipit ſermonem E-

ryximachus medicus, eumque rationibus ex ſua arte depromtis confirmat, atque auctor est reliquis, ut ſinguli deinceps oratione laudes Amoris celebrent. Dimittitur tibicina: ſine dubio, ut Xenophon notaretur, qui tibicinae & aliis ludis, in ſuo convivio, haud obſcurum locum dederat. Primus de Amore dicit Phaedrus, eumque, Heſiodo Parmenideque auctoribus, Deorum omnium antiquiſſimum eſſe oſtendit, & multis ex veteri hiſtoria propoſitis exemplis probat, ejus divinam eſſe vim ad hominum animos ad omnem virtutem incitandos. Secundus eſt Pauſanias, vir in primis ἐρωτικός. Hic reprehendit Phaedrum, quod ſimpliciter neque judicio laudaverit Amorem, ac ſi unicus tantum esſet Amor. „ Verum, inquit, ut duplex eſt Venus, altera coeleſtis, altera vulgaris, ita duplex eſt Amor, alter coeleſtis, vulgaris alter. Atque natura etiam humanarum actionum talis eſt, ut nulla in ſe ipſa ſit vel turpis vel honeſta. — Sed Athenienſes & Lacedaemonii reliquas gentes, cum aliarum legum ſapientia vincunt, tum earum maxime quae de Amore ſunt. Nam apud Perſas & Graecos, qui horum imperio ſubjecti ſunt, turpis habetur puerorum amor, quod tyrannidi maxime eſt infeſtus. Apud Boeotios & Elienſes contra, impunita ejus eſt licentia. Apud nos vero & Lacedaemonios leges eum nec permittunt ſimpliciter nec vetant, ſed cautionibus & certa ratione circumſcribunt. Itaque Amor, ſi ex mentis pulchritudine

tudine & virtutis ſtudio ſuſcipitur, laudatur: ſi vero ad corporis formam refertur, magna & amatoris & amati ignominia a legibus notatur". Proximus ei eſt Ariſtophanes; ſed dicendi provincia, quae ordine ad eum pervenerat, quominus fungatur, prohibetur ſingultu, ex nimio cibo potuque, vel alia cauſſa, orto. Itaque ad proximum ſe convertit Eryximachum medicum, ab eoque poſtulat, ut vel, a ſingultu ipſum liberet, vel pro ſe dicendi provinciam ſuſcipiat: Ego vero, inquit Eryximachus, utrumque faciam. Nam & nunc ego tuo tempore dicam, tu poſtea meo: & auctor tibi ſum, ut vel fauces aqua perluas, vel, nares titillando, ſternuas; quo ſingultus tibi ceſſet. Orationem autem ejuſmodi habet Eryximachus: „ Bene quidem mihi videtur, inquit, duo Amoris genera feciſſe Pauſanias: ſed illud in ejus oratione deſidero, quod imperio Amoris ſolas mentes humanas ſubjecit. Ejus vero vis tam late patet, ut omnem & animorum & corporum naturam complectatur. Quod quidem, cum aliunde multis partibus, tum ex noſtra medica arte deprehendiſſe mihi videor. Nam ut animi duplici amore trahuntur, coeleſti & vulgari, ita & corpora noſtra duplici voluptate ducuntur, altera ſana, altera morbida; illam confirmat noſtra ars, hanc expellit. Medicinae enim hoc eſt propoſitum, ut rerum ſanarum cupidinem corpori inferat, & res contrarias in concordiam redigat, repletionem & evacuationem,

 ca-

calorem & frigus, ſiccitatem & humiditatem. Idem eſt finis idemque officium reliquarum artium, Gymnaſticae, Agriculturae, Muſicae; idem Religionis, & Divinationis, quibus Deorum hominumque communio efficitur ac continetur, & inter utrumque genus juſtus amor conciliatur ac ſervatur". Hic cum finem feciſſet, Ariſtophanes ſepoſitas dicendi partes ſuſcipit, cujus tota oratio comica eſt, & in ridiculo conſumitur. „Antiquitus enim, ait, alia, ac nunc eſt, hominum erat natura; nam & ſinguli homines non ſimplex habebant corpus, ſed geminum, ex duobus corporibus concretum: & ſexus erat triplex, marum mulierumque generi addito tertio ἀνδρογύνῳ, ex ambobus commixto. Forma igitur cujuſque hominis erat iſta, ut duobus corporibus conjunctis dorſa extra verterentur, unum eſſet caput, ejuſque vultus averſi duo; motus talis, ut non currerent, ſed quatuor pedibus brachiiſque volutarent ſe mira velocitate. Sed cum pro corporum robore magnos elatoſque ſpiritus gererent, Deoſque ipſos adgrederentur; Jupiter Deorum concilium convocat, quaerit quid agendum ſit, utrum exſtirpandi ſint homines, an alia ratione puniendi & coercendi. Diis trepidantibus dubiiſque, optima tandem ſententia ipſi Jovi in mentem venit; diſſecat homines ſingulos in duo corpora, quae formanda ſanandaque Apollini tradit. Hic pellem, ut contractas crumenas, in ventrem colligat ad umbilicum,

licum, vultum etiam in hanc partem vertit, ut ſemper hujus poenae monumentum in promtu haberent. Sed diſſectis ita hominibus, quilibet alteram ſui partem quaerebat, & complexi ſe invicem, aliarum omnium rerum obliti, neglectoque cibo & potu, paſſim emoriebantur. Et huic quoque calamitati Jupiter ſubvenit, nam verſis unius cujusque genitalibus membris in adverſam partem, effecit, ut non impliciti manerent, ſed, coitu ſemel facto ſatiati, disſcederent ad reliqua vitae negotia. Verum remanſit in hominum mentibus recuperandae veteris naturae ſtimulus, quo quisque agitur, ut vetus ſui dimidium quaerat; quo invento, verus exiſtit amor & ita vehemens, ut nullius, nec ipſius Deorum, felicitatis conditione nos avelli ac disſociari patiamur; ſed potius, ſi fieri poſſit, conglutinari & ex duobus in unum animum corpusque colliquescere velimus. Itaque, ut quisque olim vel ex uno ſexu vel ex duobus compoſitum habuit corpus, ita ſe nunc quoque ad alterius ſexus hominem applicat, exiſtitque varium ſtudium, moechorum moecharumque ex androgynis, tribadum ex mulieribus, paederaſtarum ex viris". Sequitur Agathon, qui in priorum orationibus id reprehendit, quod in operibus amoris, non in amore ipſo conſumtae eſſent. Itaque facultate poetica ipſius imaginem amoris informat. Non enim, ait, ut Parmenides Heſiodusque cecinerunt, antiquiſſimus est Deorum; ſed juvenis, mollis, tener, floridus,

pravitatis deformitatiſque inimicus, fortior omni vi atque potentia, Deorum hominumque gubernator, ad omnes artes diſciplinaſque certiſſimus dux. Atque hac oratione ita exſultavit juvenis ingenium, ut omnes convivae eadem mentis concitatione abrepti plauderent, & uno ore clamarent, dignam eum & ſe ipſo & Deo habuiſſe orationem. Jam vices veniunt ad Socratem. Hic reliquorum orationes, quae nec ex firmo principio ductae, nec ad certam rationem adſtrictae erant, revocat ad dialecticum acumen, & ſolita εἰρωνείᾳ orditur. „Video, ait, quam ſtulte egerim, o viri, cum profiterer, me quoque inter vos laudes Amoris oratione celebraturum. Nam & Agathonis magniloquentia ita modo perculſus ſum, ut, ſi fieri potuiſſet, aufugiſſem, quod poſt eam nil dignum veſtris auribus allaturum me ſperarem: & ex aliorum orationibus intellexi, me totius rationis laudandi penitus eſſe ignarum. Hactenus enim in eo verſatus ſum errore, ut putarem, laudatorem vera tantum debere expromere, ex iiſque pulcherrima eligere, eleganterque pronuntiare; nunc vero cognovi, laudando, omnem bene dicendi, veritatis nullam, habendam eſſe rationem. Sed ſi me vultis meo more dicentem audire, dicam ut potero. Hoc vero a te, Phaedre, qui hujus ſermonis auctor es & praeſes, peto, ut mihi Agathonem breviter quaedam interrogare liceat; ut, cum de principiis inter nos convenerit, totam inde meam

diſ-

diſputationem ducam. Tuo quidem arbitratu, o Socrates, inquit Phaedrus. Atqui, mi Agathon, cum bene diſpertiiſti orationem tuam bifariam, ut primum diceres qualis ſit ipſe Amor, deinde qualia ejus ſint opera, tum eam verbis ac ſententiis magnifice exornaſti. Tu igitur hoc mihi dicas, Amor ſitne alicujus rei an nullius. Hoc autem volo; cum omnes res vel per ſe ipſae intelligantur, vel ad alias referantur, ex quarum genere ſit Amor? ut patrem v. c. dicimus eſſe filii vel filiae; & frater eſt ob hanc cauſſam frater, quod fratrem vel ſororem habet? *Est Amor alicujus rei*, o Socrates. Eam vero rem an cupit, nec ne? Cupit. Quod vero cupimus, illudne habemus, an non habemus? Non habemus, ut videtur. Ita non videri tantum, ſed eſſe, neceſſe eſt; nam quod quis poſſidet, illud non cupit: & ſi v. c. ſanitatem corporis poſſideat, ea quidem ut in poſterum perpetuo fruatur, poteſt cupere, nunc in praeſentia non cupit, ſed, ſive velit ſive nolit, eam poſſidet: Amorem vero eſſe pulchritudinis, tu ipſe Agathon, oratione tua dixiſti. Et recte quidem, o Socrates, nam ita ſe res habet. Sed Amor cum cupiat pulchritudinem, neceſſe eſt eam non habeat? Ita ſit. Pulchrum vero, an non idem quoque bonum eſt? Eſt ita. Caret igitur pulchro bonoque Amor? Non contra te poſſum diſputare, Socrates, ſed ita ſe res habeat, ut dicis. Contra veritatem non potes diſputare, mi Agathon;

thon; nam contra Socratem quidem tibi facile eſt. Sed te jam dimittam, & potius ſermonem referam Diotimae, quo me, cum Amorem, ut tu, praedicarem & Deorum maximum vocarem, redarguit. Neque enim Amor, ajebat Diotima, eſt pulcher & bonus, neque etiam turpis & malus, ſed in medio quaſi collocatus; ut inter ſcientiam & ignorationem interjecta eſt vera opinio, & inter ſapientes & ignorantes eſt philoſophus. Neque Deus eſt; nam eorum eſt beatitudo, eaque poſita eſt in poſſeſſione boni pulchrique: quae amor, quia non habet, cupit. Neque tamen homo eſt. Sed ex daemonum eſt genere, quorum hoc eſt munus, ut nuncii interpretesque Deorum ſint apud homines, &, repleto hoc ſpatio, totum univerſum uno vinculo contineant. Inde omnia divinatio atque religio pendet; Deus enim cum hominibus non ipſe agit, niſi intercedente daemonum miniſterio. Patre autem natus eſt Poro, matre Penia; unde factum, ut a matris indole haberet ſqualorem, duritiem, vigiliam ad januas: a patre audaciam, dolum, ingenium efficax. Sed in hominibus, qui dicitur Amor, eſt *cupiditas beatitudinis omnibus innata.* Quamquam Amoris nomen loquendi conſuetudo temere ab univerſo genere avellit, & ad unam formam adſtrinxit: quod in aliis quoque rebus factum eſt: veluti *Poeta* cum proprie omnis ille ſit, qui *efficit*, tamen nomen adhaeſit parvae parti ei, quae in metris & mu-

muſica *efficiendis* verſatur. Sic Amoris vis in anguſtius ſpatium redigitur, & continetur ſtudio pariendi & generandi pulchrum ex pulchro, tam quod ad animum, quam corpus. Nam ea eſt hominis natura, ut, cum ad juſtam aetatem pervenerit, parere geſtiat. Et corpore quidem hoc efficitur viri mulierisque coitu; in quo profecto divina quaedam ineſt vis, ut hominum genus propagatione immortale fiat, cum ſinguli ſint mortales. Ac propter hanc ipſam conjugii divinitatem fit, ut pulchra corpora conſectemur, quae deformibus propiorem cum divina natura habent conjunctionem. Ceterum ipſe procreandae ſobolis ſtimulus ex illo proficiſcitur principio, quod quilibet, quantum fieri poteſt, ſuam naturam augere, & ultra hujus vitae ſpatium proferre, ſuique memoriam ſupereſſe cupit. Sed multo eſt divinior praeſtantiorque animorum amor & conjunctio, quo ſapientia & reliquae virtutes pariuntur, maxime a poetis & legiſlatoribus: qua quidem amatoria arte tu quoque aliquando initiari poſſis; ſed ad perfectam & ſupremam myſteriorum ſanctitatem eniti difficile eſt. Quamquam quibus gradibus eo perveniatur tibi exponam. Primus eſt naturae motus, qui nos ad corporum pulchritudinem ſentiendam impellit, & ad unum corpus adplicat, ex quo virtutem & bonorum ſermonum fructum procreare cupiamus. Mox uno gradu adſcendimus, cum hunc amo-

amorem non amplius ad unum quoddam adſtringimus, ſed pulchris omnibus aeque tribuimus. Altior gradus eſt, cum jam ſolam animi pulchritudinem conſectamur, prae eaque corporis florem contemnimus; unde fit, ut ſtudia, leges, moresque eos cognoscere velimus, quibus iis, quos amamus, via ad ſapientiam virtutemque aperiatur. Tertius est gradus, quo ſcientiarum & philoſophiae venuſtatem percipimus, & a ſingularium ad univerſalium rerum pulchritudinem convertimur. Hic, ſi probe nos exercuerimus, lux nobis oborietur pulchritudinis verae, conſtantis, immutabilis, aeternae, ſimplicis & remotae ab omni corporea natura. Quo adſpectu ut fruamur, operae pretium est omnes ſubire labores —. Haec cum dixisſet Socrates, aulae porta vehementer pulſatur, auditur tibicinae vox & comisſatorum clamor. Jubet ſervos Agathon, cognoſcere qui homines adſint, et ſi ſint familiares, eos admittant, ſin minus, ablegent. Ingruit de repente Alcibiades ebrius, coronatus, turbat convivium: dicit ſe venisſe, ut coronaret Agathonem: adſidet ad eum, neque tamen ei proximum Socratem conſpicit. Quo animadverſo, exterritus reſilit, eum increpat, mox tamen coronat. Turbis paulum ſopitis, Nimis, inquit, ſobrii eſtis, amici, ac triſtes; bibendum! adfer, puer, magnam phialam. Reprehendit eum Eryximachus, monetque, ea lege eos bibere, ut ſinguli ad poculum laudes Amoris oratione

tione celebrent. Alcibiades accipit conditionem dicendi, neque tamen de alio, vel homine vel Deo, quam de Socrate dicere vult. Hunc igitur ita laudat, ut in ebrietate nil niſi verum pronuntiare eum appareat. Deſcribit faciem ejus & vultum, quem cum Silenis comparat. In ejus ironia quanta ſit ſapientia & eloquentia docet, patientiam & fortitudinem in militia laudat, immortalia, de ſui & aliorum juvenum diſciplina, praedicat merita. Praeterea ejus ſanctitati in amore clariſſimum dat teſtimonium, ſeque a Socrate non ſecus ac filium a patre amatum eſſe adfirmat. Mox alii ſuperveniunt comisſatores, turbis repletur convivium, potatur, reliqui paulatim vel domum diſcedunt, vel ibi manentes ſomno ſopiuntur. Agathon, Socrates & Ariſtophanes, ſoli longam noctem, uſque ad ſolis ortum, bibendo tranſigunt. Socrates disputat de poetica, & demonſtrat ejusdem esſe poetae officium & tragoediam & comoediam ſcribere. Illi ſemiſomni eum audiunt, & tandem obdormiunt, primus Ariſtophanes, ſecundus Agathon. Socrates lautus cum Ariſtodemo in Lyceum ſe confert, ibique toto die peracto, ſero domum abit dormitum. Haec est libri hujus ſententia ſummaque, quantum fieri potuit, breviter in compendium redacta, circumciſis multis venuſtatibus, quibus dialogus ad ſimilitudinem quotidianae vitae & veritatis conformatus est.

Re-

Reſtat ut de critica ratione, quam ſecutus eſt, aut debebat ſequi editor, exponamus. Contextum repetiit Stephani, in quem virum ſaepius invehitur, quod Cornarii emendationes, nulla ejus facta mentione, in uſus ſuos converterit. Nobis vero alia quaevis cauſſa potius fuiſſe videatur, quare Cornarium non nominaverit, quam vanitas aut plagium. Nam Cornarii verſio, typis vulgata, in multorum manibus verſabatur, ut ſtultum fuiſſet ei ſuas copiolas ſurripere. Ex editionibus minutiſſima quaeque lectionis varietas notatur a Fiſchero, parcius ex antiquorum ſcriptis, quibus Platonis loci laudantur, quem fontem parum cognovit. Grammaticorum frequenter auctoritates adferuntur: ſaepe inutiliter, & praeter rem. Timaei Gloſſae ubique memorantur, neque tamen ex Ruhnkenii animadverſionibus aliquid lucis Platoni accenditur. Sed videamus deinceps quosdam locos.

In alluſione Homerica p. 108. Σύντε δύ' ἐρχομένω πρὸ ὁδοῦ βουλευσόμεθα ὅ, τι ἐροῦμεν, loco πρὸ ὁδοῦ legit πρὸ ὁ τοῦ, ex Homero. Mutatio quamvis in promtu ſit cuilibet Homeri locum inſpicienti, tanti viſa eſt Fiſchero, ut eam in ipſa praefatione commemoraret. Sed nimirum quia πρὸ ὁδοῦ bonum ſenſum efficit, nos quidem, quo primum tempore hunc dialogum legebamus, noluimus ex Homero πρὸ ὁ τοῦ recipere, in eaque etiam, poſt

Fi-

Fiſcheri animadverſionem, ſententia manemus: πρὸ ὁδοῦ eſt *progrediendo*, *utiliter*, & cum ἰέναι *proficere*. Vid. Budaeus Comm. Gr. L. p. 715. ex Ariſtotele. Lucian. T. I. p. 739. Synes. Dion. p. 48. Reſpexerat ad eundem locum Plato Alcib. II. p. 39. D. σύν τε δυὸ σκεπτομένω σχεδὸν εὑρήσομεν.

Non male eſt, quod defendit vulgatam lectionem in verbis Ariſtodemi, p. 110. Καὶ ἐμὲ ἔφη ἀπονίζειν τὸν παῖδα, ἵνα πῃ κατακέοιτο. Eſt enim uſitata converſio orationis ex obliqua in directam, de qua monuit Wyttenbachius ad Plutarch. Ser. Num. Vind. p. 126 & 127. & Interpretes nonnulli ad Act. Ap. I, 8.

Ib. ἔθος γάρ τι τοῦτ᾽ ἔχει. Ex utraque Baſilienſi laudat probatque τοι pro τι. Perperam: τι & elegantius & magis Atticum est, & eadem formula utitur Plato Hipp. Maj. p. 98, B. ἔροιτο ἂν οὐ περὶ ἄλλου πρότερον ἢ περὶ τοῦ καλοῦ. ἔθος γάρ τι τοῦτ᾽ ἔχει.

P. 114. Ἡ μὲν μοι ἀρχὴ τοῦ λόγου ἐστὶ κατὰ τὴν Εὐριπίδου Μελανίππην. οὐ γὰρ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλὰ Φαίδρου τοῦδε. Multum feciſſet ad intelligendam hujus loci venuſtatem, ſi ipſum locum ex Fragmentis Euripideis excitaſſet, qui eſt ap. Barneſium p. 479. ap. Valkenarium in Diatrib. p. 46.

Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ᾽ ἐμῆς μητρὸς πάρα.

P. 115. Ἔρωτα δὲ μηδένα πω ἀνθρώπων τετολμηκέναι εἰς ταυτηνὶ τὴν ἡμέραν ἀξίως ὑμνῆσαι, ἀλλ' οὕτως ἠμέληται τοσοῦτος θεὸς. ταῦτα δή μοι δοκεῖ εὖ λέγειν Φαῖδρος. Correctionem certiſſimam Stephani, ἠμελῆσθαι τοσοῦτον θεὸν; repudiat ut inanem: *Eſt enim ἀνακόλουθον*, ait, *quibus Plato vehementer delectatur, ut Euthyphron. 4. aliiſque locis pluribus.* Primum in Euthyphrone nil est, quo hic locus defendi poſſit. Deinde magnus est noſtra aetate abuſus anacoluthorum. Nam poſtea quam unus vir Graece doctus, ea in animadverſionibus ſuis commemoravit, paſſim videmus alios, qui criticam facere volunt, eamdem machinam locis vel ſanis vel corruptis, quos expedire nequeunt, adhibere. Atque ex eodem genere est illud p. 119. τούτου δὲ καὶ ἡ Πελίου θυγατὴρ Ἄλκηστις ἱκανὴν μαρτυρίαν παρέχεται, ὑπὲρ τοῦδε τοῦ λόγου, εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐθελήσασα μόνη ὑπὲρ τοῦ αὑτῆς ἀνδρὸς ἀποθανεῖν. Verba ὑπὲρ τοῦδε poſt παρέχεται recte delenda cenſuit Stephanus, & Ficinus jam omiſerat vertendo. Quid vero Fiſcherus? Sanum pronunciat locum; *Ego vero*, inquit, *mihi videbar hoc quoque loco deprehendiſſe veſtigia gratae cujusdam negligentiae, quae eandem rem bis expreſſiſſet.* Si haec grata est Fiſchero negligentia, quae tandem ingrata & vitioſa ei videatur? Nos quidem non repugnamus, quominus interpretes anacolutha & gratam negligentiam

tiam ſermonis laudent, ſi modo prius apti atque diligentis ſermonis rationes didicerint. Melius de hujus loci intelligentia meritus esſet, ſi exquiſitum uſum εἰς τοὺς Ἕλληνας pro ἐν τοῖς Ἕλλησι expoſuisſet; quo loco uti poterat Hemſterhuſii copiis ad Ariſtoph. Plut. p. 456.

Non minus vitioſa & contorta est illa interpretatio Κρανίων p. 156. quae non pro calvaribus, ſed plantis, accipit. P. 116. Ταῦτα δὴ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ἄρα ξυνέφασαν. Parvo acumine opus erat ad percipiendum vitium, quod est in ἄρα, pro quo ſine dubio legendum ἅμα *ſimul.* Sed p. 120. cum Fiſcherus docet, quis Orpheus quaeque Alceſtis fuerit, neſcimus cui lectorum generi conſulere voluerit. Quanto melius fuerat v. c. ad illa verba p. 138. Φοβοῦμαι περὶ τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι. οὔτι μὴ γελοῖα εἴπω. τοῦτο μὲν γαρ ἂν κέρδος εἴη, καὶ τῆς ἡμετέρας Μούσης ἐπιχώριον· ἀλλὰ μὴ καταγέλαστα, hic igitur memoraſſe Wyttenbachii obſervationem Epiſt. Crit. p. 26. & ejuſdem notam in animadverſionibus ad Plutarch. de S. N. V. p. 127. de locutione ἐν παντὶ εἶναι, quae infra occurrit p. 148. & Toupii correctionem, Emend. Suid. T. III. p. 188. verborum in Platonis convivio p. 141.

P. 132. Eryximachus Ariſtophanem remedia docet, quibus ſingultum depellat, & in aliis hoc etiam: ἀναλαβὼν τι τοιοῦτο οἵῳ κινήσαις ἂν τὴν ῥῖνα, πτάρε,

-ρε, legendum ibi *κνήσαις titilles*; titillatione enim, non motu tantum, opus erat. Neque p. 191 Alcibiadis menti ſatis convenire videtur ἀλλ᾽ ἰςέον ἤδη τί ἐςι τὸ πρᾶγμα: ſed legendum, ἀλλ᾽ ἰτέον ἤδη ἐπὶ τὸ πρᾶγμα, *ſed jam ad rem ipſam aggrediendum est*: ſimiliter dixit pag. 178. τὸν ὀρθῶς ἰόντα ἐπὶ τοῦτο τὸ πρᾶγμα, & ἰέναι ἐπὶ τὰ καλὰ σώματα: & p. 180. ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι. Sic & Thucydid. VIII, 92. Lucian. T. I. p. 793.

Larga omnino est in hoc libello emendationum obſervationumque ſeges, quod unus maxime ex Platonicis dialogis poſteriorum ſcriptorum imitatione frequentatus est. Habet autem comparatio imitationum ſummam & ſuavitatem & utilitatem. Ex quo genere pauciſſima adtulit Fiſcherus. Est vero imitationum Platonicarum duplex forma: ſunt enim vel tales, quas ipſe ex aliis auctoribus expresſerit, vel tales, quae ex ipſo a ſcriptoribus poſterioribus expreſſae ſint. Harum longe major est copia, quam illarum. Quamquam fuit Plato poetarum ſtudioſus, & ſubinde eorum floribus orationem ſuam ornavit. Veluti p. 154. πᾶς γοῦν ποιητὴς γίγνεται, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρὶν, οὗ ἂν ἔρως ἅψηται. Locus est multorum imitatione celebris, ex Euripidis Stheneboea: apud Valkenarium Diatrib. ad Eurip. Fragm. p. 205.

Μουσικὴν δ᾽ ἄρα
Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Sic

Sic verba Platonis p. 159. Ἡ γλῶττα οὖν ὑπέσχετο, ἡ δὲ φρὴν οὔ.

ſunt ex ejuſdem Hippolyto v. 612.

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Sed aliorum etiam, qui ex Platone profecerunt, ſcriptorum comparatio ſaepius lucem adfundit: v. c. p. 157. Cum Socrates ſe perculſum eſſe Agathonis magniloquentia fatetur: καὶ γάρ με Γοργίυ ὁ λόγος ἀνεμίμνησκεν, ὥςε ἀτεχνῶς τὸ τοῦ Ὁμήρυ ἐπεπόνθειν ἐφοβούμην μή μοι τελευτῶν ὁ Ἀγάθων Γοργίυ κεφαλὴν δεινοῦ λέγειν, ἐν τῷ λόγῳ ἐπὶ τὸν ἐμὸν λόγον πέμψας, αὐτόν με λίθον τῇ ἀφωνίᾳ ποιήσειε. Alluditur & loco Homeri Od. λ, 632, quo Ulysſes veretur, ne Gorgûs capite adſpiciendo lapideus fiat, & ſimilitudini nominum Gorgiae Sophiſtae & Gorgûs. Ità bene poſt Stephanum accepit Fiſcherus. Neque opus erat multis verbis: res ipſa loquitur, & dubitationem omnem tollit Ariſtidis imitatio, Orat. Platonic. I. p. 93. ὦ Γοργεία κεφαλή: ubi recte Canterus, *alludit*, inquit, *ad Gorgiae nomen:* ſic T. II. p. 388. τῆς Γοργείας κεφαλῆς ἀπογόνους τινὰς εἶναι.

Denique de Xenophontis cum Platone comparatione ne cogitaſſe quidem videtur Fiſcherus. Est vero illa cum in omnibus utriuſque libris utilis, tum

in Sympoſiis magis; quae ex aemulatione mutua conſcripta ſunt.

Ceterum haec reprehenſio non eo valet, ut Fiſchero laboris, aſſiduitatis, diligentiaeque laudem negemus. Omnino haud inutilem literis navabit operam, ſi minus criticam exercebit in animadverſionibus, plusque in rerum obſcuritate dictionisque vi & elegantia explicanda curae ponet.

III.

A New Syſtem, or, an Analyſis of Ancient Mythology: wherein an Attempt is made to divest Tradition of Fable, and to reduce the Truth to its Original Purity. In this Work is given an Hiſtory of the Babylonians, Chaldeans, Egyptians, Canaanites, Helladians, Jonians, Leleges, Dorians, Pelaſgi: alſo of the Scythae, Indo-Scythae, Aethiopians, Phenicians &c. Vol. I. Second Edition. By Jacob Bryant. London: 1775. 4.

i.

i. e.

Novum Syſtema, ſeu, Explicatio veteris Mythologiae; qua ex fabularum involucris Veritas eruitur, & ad nativam ſimplicitatem fidemque revocatur, praeterea Hiſtoria traditur Babyloniorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Canaanaeorum, Helladicorum, Jonum, Lelegum, Dorum, Pelasgorum, Scytharum, Indoſcytharum, Aethiopum, Phoenicum. Per univerſum opus exponuntur, cum praecipuae res, quae a diluvio usque ad hominum diſperſionem

 evene-

evenerunt, tum eorum migrationes, coloniaeque in varias orbis partes deductae. (3 *voll.*) 4. *maj. auctore Jacobo Bryant. — Londini. Vol. I. Editio Secunda* 1775.

Epicurus cum novam philoſophiae ſectam conderet, duobus maxime uſus eſt artificiis: altero, ut ipſe ſe profiteretur ſapientem, & antiquos philoſophos, ne Democrito quidem, a quo plurimum profecerat, excepto, inſaniiſſe diceret: altero, ut ab eodem Democrito excogitatas atomos ſumeret, ſeu corpuſcula minutiſſima & individua, ſed concreta tamen & variis figuris, hamata, uncinata, fingeretque, ea ab aeterno ad rectos angulos mota fuiſſe, donec forte & caſu ab hoc motu deflecterent, coirent, cohaererent ita ut animalia, plantae, & omnia procrearentur. Cujus opinionis inanitas etiamſi nemini non ſponte in oculos incurrat; tamen eadem ratio, cum ad alias doctrinas adhibetur, non ita facile attenditur atque animadvertitur. Ac nuper adeo hujus rei documentum habuimus hunc Bryantii librum, ab hominibus doctis haud paucis laudatum probatumque: quamquam eo conſilio ſcriptus eſſe videatur, ut Epicurea temeritas, dudum ex philoſophicis ſtudiis exploſa, in antiquae hiſtoriae & grammatices rationem induceretur. Nam & Bryantius paſſim veterum in his rebus ignorantiam exagitat,

ſuam ſcientiam jactat: & vel ab aliis ſumſit, vel ipſe finxit ingentem vim atomorum ſeu elementorum primaevae linguae, ex iisque, verſando commiſcendoque, vetuſtisſimarum gentium hiſtoriam conſtruxit,

Atque omne immenſum peragravit mente animoque;
Unde refert nobis victor, quid posſit oriri,
Quid nequeat, finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus haerens.

Sed nos conſilium auctoris, quod ipſe ſatis copioſe in praefatione expoſuit, ſummatim referamus.

„ Propoſitum, inquit, nobis est, infantiam atque incunabula gentium, cum ex Graecis ſcriptoribus, tum libris Moyſis, prodere. Nam quod vulgo hiſtoriarum ſcriptores gentium origines a Phoenicibus aut Aegyptiis repetunt, in eo haud mediocriter falluntur. Alia longe est gens, quae tot tantasque colonias in omnes terrarum oras deduxit, poſteri nimirum *Chuſi*, dicti *Cuthitae* ſeu *Cuſeani*. Hi cum, diſperſo humano genere, propriam ſibi occupasſent regionem, tandem ipſi per totum terrarum orbem diſperſi ſunt. Primi divinam veritatem deſeruerunt, & humanarum rerum ſcientiam coluerunt; in qua quidem mire excelluerunt, & artes, quocunque venirent, utiles induxerunt; unde factum est, ut a poſteris plus quam humano cultu celebrarentur, vocarenturque Daemones, Heroes, Heliadae, Maca-

rii. Socios habuerunt expeditionum ſuarum cognatos populos, ab eodem avo Hamo oriundos, Mezraimos, Caphtorimos, & Cananaeos. Itaque cum totus hic populus communem avum divino honore coleret, Solemque & *Ammonem* vocaret, factum est, ut communi nomine *Ammonei* nominarentur. In horum monumenta, quae quidem diligenter literis conſecrare ſolebant, non pauca incidit Sanchoniathon, ut est apud Euſebium Praep. Ev. I, 9. — Sed cum univerſa Gentilium hiſtoria derivanda ſit vel ex Graecis ſcriptoribus, vel Latinis, qui ipſi ex Graecis hauſerunt; accurate exponemus de Graecis, cum Helladicis, tum Ionibus, Doribus, Lelegibus, ac Pelasgis. Ex Graecorum monumentis novarum rerum ſcientiam expromemus, de qua ipſi, qui eam literis mandarunt, Graeci haudquaquam cogitarunt: quod quidem hujus gentis ſcriptoribus plerumque contigit, ut rerum, quas memoriae proderent, veram vim & rationem non intelligerent. Exponetur de Phoenicibus, Scythis, Aethiopibus, Indis, Indoſcythis, Cimmeriis, Hyperboreis, Amazonibus, Colchenſibus, Cyclopibus, Laeſtrygonibus, Lamiis, Sirenibus; quarum gentium res, ſpiſſis antiquitatis tenebris abditae, aut omnino non tactae ſunt, aut leviter & temere tractatae a ſcriptoribus. Antiquiſſima Graecorum hiſtoria obſita est fabulis, quas nos nec curabimus, nec ulla fide dignabimur: veluti Inachi memoria, Aegialei Sicyonii, eorumque poſterorum;

rum; expeditiones Oſiridis, Seſoſtris, Bacchi, Cadmi, literarum apud Graecos auctoris, Nini, Semiramidis, Saturni, Pelopis, Atlantis, Dardani, Minois, Zoroaſtris, Phryxi, Jaſonis & Argonautarum. — Tum fontes apperientur, a quibus Graeci hauſerunt. Dicetur de Titanibus eorumque bello, de Cuthitis, ac Babyloniis antiquis. His adjungetur Graecorum narratio de diluvio, migratione humani generis ex campis Sinnearenſibus, & diſperſione ad Babelem. Finis imponetur univerſae tractationi deſcriptione veteris Aegypti, qua multis maximi momenti rebus certa fides *adjungetur.* Per totum vero opus multa eaque eximia adferentur documenta, ex quibus appareat ſumma fide diligentiaque in prodendis rebus verſatum eſſe Moyſen. Ceterum gentes, quae diluvii memoriam conſervarunt, non ultra illud tempus rerum ſuarum originem repetere posſunt; quamvis antediluvianae doctrinae parva quaedam & obſcura veſtigia in cerimoniis earum ac myſteriis appareant; de quibus accurate exponetur. Chaldaeorum Aegyptiorumque chronologiam, quae ſupra noſtram mundi epocham aſcendit, falſam fictamque eſſe evincemus; quae quidem facile cum Moyſaica hiſtoria in concordiam redigitur. --- Quod ut efficere posſimus, neceſſe eſt, ut tradantur gentis Helladicae & Ammoneae mores, ritus, origo. Varii multique Graecorum errores notabuntur in pervertendis antiquis nominibus ac verbis, ac certisſi-

nis argumentis fontes demonſtrabuntur, ex quibus hi errores fluxerunt. Nam cum Ammonei colonias in disjunctisſimas terrarum oras deducerent, ubique ſuos mores, ritus, religiones induxerunt; unde neceſſe fuit, in omnibus eorum poſteris, quamvis locis remotiſſimis, ſimilitudinem remanere. Quare primam hujus gentis linguam indagabimus, ex eaque, certisſima etymologiae ratione, in gentium antiquisſimam hiſtoriam lucem inferemus. Viam ſimilem ingreſſus est Bochartus, vir eruditisſimus; qui, cum gentes ex Phoenicia oriundas esſe ſtatueret, multa hominum, Deorum, urbium, rerumque nomina ex Hebraica, cujus dialectum Phoenicienſem arbitratus est, lingua repetiit. Sed quamquam nec ingenium nec doctrina ei deesſet, tamen conjectura eum fefellit; neque enim ſola Phoenicia tot coloniis, ſufficere potuit; neque, ut nos, Bochartus *illud* egit, ut notationibus ſuis etymologicis aliunde fidem conciliaret, easque ad mores, leges, cultum, & totum ſtatum gentis, de qua ageret, accommodaret. Caruit igitur ejus etymologia hac probabilitate (*the kollateral evidence*) ex rebus ipſis ducta.——Itaque conſilium noſtrum illud fuit, ut antiquisſimae hiſtoriae novam formam induerēmus, eique fundamenta ſubjiceremus certiora. Nata est enim Graecorum Mythologia ex antiquis monimentis multis, quae cum hieroglyphicis literis ad poſteritatem commendarentur, & paulatim in allegorias abirent, & a

poe-

poetis audaciſſima interpretatione vexarentur, confluxit rudis indigeſtaque moles, cui nullius adhuc artificis ingenium certam formam adjungere potuit. Quod quidem opus a nobis effectum iri ſperamus."

Hujus tam lautae tamque magnificae ſpei, quam nobis fecit *Bryantius*, ſi vel minimam partem abſolviſſet, fatendum eſſet tantum eum de historiae veritate meritum eſſe, quantum vix omnes ii, qui umquam apud antiquos & hodiernos in ea memoriae prodenda operam poſuerunt ſuam. Nunc illud fateri debemus, multa nos in hoc libro inveniſſe nova & inaudita, certa vel probabilia pauca. Quamquam habet auctor ingenium ſollers & verſatile ad opiniones ſuas tuendas, eruditionem vagam & variam, ſed non accuratae linguarum ſcientiae ſuperſtructam. Sed nos videamus qua ratione, illud quod profeſſus eſt, effecerit.

Prima parte hujus voluminis a p. 1. usque ad 27. exponitur de elementis, ſeu ſimplicibus verbis, & inde derivatis nominibus, linguae primitivae Ammoneorum. Non illud nunc ab auctore exigatur, quaenam ſit illa argumentorum vis, qua nobis hanc gentem tam illuſtrem fuiſſe evincat. Regionem gentemque Ammoniam Libyae novimus; eam vero in Aſiam induxit, & ad tantam dignitatem evexit, nemo ante Bryantium. Sed fuerit ſane: videamus elementa ejus linguae (*the Radicals*).

„ Haec, inquit, maxime reperiuntur in Babylonia

"

&

& Aegypto: nam ex his regionibus gens quaquaverſum in Indiam & fretum Gaditanum ſe profudit, urbes templaque conſtituit, in promontoriis turres, quibus iter navigationis ſignificaretur, exſtruxit. Numen unum praecipue colebat Solis: quamquam ejus nomina & honorem etiam praecipuis, ex majoribus ſuis, viris tribuit, quos *Baalim* vocavit; unde mixtus ortus eſt cultus. Unus ex his *Baalim* fuit Chus, qui a filiis ſuis in Deorum numerum relatus eſt. Itaque reperiemus nomina, quae iſta gens tribuit vel Diis ſuis vel urbibus, tamquam baſi ſuperſtructa nominibus primitivis, vel propriis, v. c. *Ham*, *Cham*, *Chus*, vel ſignificantibus horum hominum aliquam dignitatem, v. c. *Thot*, *Men*, *Manes*, *Ab*, *El*, *Aur*, *Ait*, *Eas* vel *Iſh*, *On*, *Bel*, *Cohen*, *Keren*, *Ad*, *Adon*, *Ob*, *Oph*, *Apha*, *Uch*, *Melech*, *Anac*, *Sar*, *Sama*, *Samaim*. Nomina communia urbium ſunt *Kir*, *Caer*, *Kiriath*, *Carta*, *Air*, *Col*, *Cala*, *Bath*, *Ai*, *Ain*, *Caph*, *Cephas*. Huc accedunt particulae *Al* & *Pi*, uſitatae in vetuſtisſima Aegyptiorum lingua".

Hanc tam largam atque amplam materiam poſtea quam ſibi congesſerat artifex, nil fuit, quin ex ea fabricari poſſet, componendo, transponendo, inſerendo, commutando; & ita quidem, ut ex rerum ipſarum ſcientia & hiſtoria etymologicis ſuis notationibus indubitatam fidem adſtruere conaretur. Primum tractatur nomen *Cham* vel *Ham*.

" Va-

„ Variis locis, inquit, & temporibus varie enunciabatur hoc nomen, *Cham*, *Chom*, *Chamus*. Urbes inde nominatae ſunt *Cham-Ar*, *Cham-Ur*, *Chomana*, *Comara*, *Camarina*. Aegyptii inde componebant *Am-On*, Ἄμμων; unde Graeci *Amanus* & *Omanus*, quod numen a Strabone memoratur (I. p. 779. & XV. p. 1066.) Habet vero etiam *caloris* vim hoc nomen, unde Καῦμα, *Caminus*, *Camera*. Solis etiam numen eo inſignitur apud Syros & Perſas; unde ejus ſacerdotes vocantur *Chamin*, *Chaminim*, & *Chamerim*. Conjunctum cum aliis vocibus ſaepe invenitur ſignificare perſonas & urbes, v. c. *Cham-El*, *Cham-Ees*, *Cam-Air*. Inde *Camillus*, *Camilla*, *Camella* Sacra, *Comates*, *Camiſium*, *Camirus*, *Chemmis*, *Camiſene*, *Chamath*, *Chamane*, *Choma*, *Chom*, *Cuma*, *Camae*, *Camelis*, *Cambalidus*, *Comopolis*, *Chamma*, nomen ſacerdotis Dianae (ap. Plutarch. T. II. p. 768.). Orus ab Aegyptiis Καίμιν dictus, (ib. p. 378.), & *Ammus*, Graecorum Zeus (ib. 354.)"

Adferamus aliud diſputationis exemplum, de Nimrodo. „ Nimrodus, inquit, Chuſi filius, miro venandi ſtudio flagravit. Ejus ingenium & mores Graeci ſub Alori, primi Aſſyriorum regis, ſed magis tamen Orionis, nomine celebrarunt. Quamquam vulgo etiam ſuo nomine eum Νεβρώδ vocarunt, (Chron. Paſch. p. 36.), Inde varii loci appellati; v. c. *Nebriſſa*, urbs Hiſpaniae Baeticae, de qua Plinius

nius N. H. III, 1. *Inter aeſtuaria Baetis, oppidum Nebriſſa, cognomine Veneria:* ſed potius legendum videtur *Venaria*. Nil enim huic urbi cum Venere; Nimrodus & Bacchus ibi colebantur. Inſula ejusque religio memorantur a Silio Italico III, 393. *At Nebriſſa Dionyſiacis conſcia thyrſis, Quam Satyri coluere leves, redimitaque ſacra Nebride.* Est enim ab eadem origine *Nebris*, veſtimentum ſacerdotum Bacchi. Inde etiam *Nebrodes*, Siciliae mons, feris frequens; *Nebridarum* gens Athenis & in Co Inſula, qui fuiſſe videntur poſteri ſacerdotum Nimrodi. Ceterum vocabatur etiam Belus, non ſingularis perſonae, ſed dignitatis nomine. Neque a veri ſimilitudine abhorret, eum a Siculis ſub nomine *Elori*, *Pelori* & *Orionis* cultum fuiſſe."

Pertractatis eadem ratione nominibus hominum & Deorum, ad urbium locorumque appellationes accedit p. 92." *Ait*, inquit, est urbs, enunciatur quoque *Ar* & *Ara*. Inde varia nomina ſunt orta: *Arachoſia*, *Arachotus*, *Aracynthus*, *Arambis*, *Aramatha*, contracte ex *Ar-Ham-Aith*, *Archile*, *Arzillo*, *Arthedon*.--- *Kir*, *Caer*, *Kiriath*: hoc nomine multi in V. T. memorantur loci. Enunciabatur etiam *Cartha* & *Cirtha*. Unde *Melicartus*, Phoenicum & Cretenſium Hercules, proprie est *Melech-Cartae*, numen loci. *Tigranocerta* erat urbs a Tigrane condita. Καρχηδὼν *Carthago*, a *Car* & *Chadon*, qui idem est ac *Adon*; & *Carthada*, a *Cartha* & *Ada*,

quae

quae Juno erat Carthaginienſium. Apud multas antiquas gentes *Caer* ſignificabat urbem, ut ex locorum nominibus conjicere licet; velut *Carteja*, *Carnaim*, *Caronium*, *Caroura*, *Carambus*. Et ad ſimilem rationem apud Britannos erant nomina, *Caerliſle*, *Caerdiff*, *Caerphilli*, *Caernarvon*, & *Caerrunnah* —. Cypri urbs Κερωνία proprie vocabatur *Kir-On*, *Urbs Solis*; unde *Coronus* & *Cronus* Deus. *Artemis* est Urbs *Temiſi* ſeu *Tamuzi* Aegyptiorum." Sequuntur aliae voces, *Col*, *Cab*, *Comah*, *Gib*, *Han*, *Caph*, *Cap*, *Gau*, *Cau*, *Ca*, *Co*, *Beth*, & particula *Pi*: ex quibus mutando, componendo, tranſponendo, mira nominum copia efficitur. Breviter ea referamus, quae de voce Gau diſputat.

„ Gau, ait, ſignificat *urbem*, ut Plutarchus teſtatur, (vit Alex. p. 683.) cum de *Gaugamela* exponit, obſcuro vico, ad quem Darius ab Alexandro victus est, quamquam vulgo hujus victoriae nomen ab Arbela, proxima urbe, quamquam ſexcentorum ſtadiorum intervallo diſtante, petitur. Plutarchus igitur *Gaugamelam* ſignificare ait *domum Camelorum*; nec multum ab eo diſſentit Strabo, qui ipſe quoque regios Camelos ibi ali ſolitos & vico inde nomen veniſſe, prodit. Ego vero ita ſtatuo, *Arbelam* & *Gaugamelam* unum eundemque fuiſſe locum, & Graecos, ignaros linguae Perſicae, nomen & male interpretatos eſſe, & falſae interpretationi fabuloſis narratiunculis fidem conciliare ſtuduiſſe. Ita enim ſe res habet. *Gau*

vel

vel *Cau* eſt *domus*, *templum*, *cavea*. Gaugamela igitur, ſeu Arbela, erat templum; nam Ammonei templa ad cavernas exſtruere ſolebant; hoc templum vocabatur *Cau-Cam-El*; i. e. *templum Dei Cami*. Sed *Arbel* eſt *locus ſacer Beli*. Habent igitur *Gaugamela* & *Arbela* eandem ſignificationem, & ſub variis nominibus ad eundem Deum referuntur. Numen Dei *Cham-El* ex Chaldea in Aegyptum, & inde in Hetruriam illatum eſt, ubi Mercurii honoribus cultum & *Camillus* vocatum eſt. *Cochone* urbs, ad quam pyramides exſtructas fuiſſe prodit Syncellus, eſt *Cau-chone*, i. e. *domus Herculis*; hunc enim Aegyptii Κῶνα vocabant; ut eſt apud Etymol. M. Voc. Ἡρακλῆς. *Chaops*, a quo, teſte Herodoto, magna pyramis exſtructa erat, eſt *Cha-Ops*, οἶκος Πυθῶνος, Dei, qui ſub forma ſerpentis colebatur. *Gozen* ſeu *Gozan* regio, eſt *domus Solis*, a *Gau*, & *Zan*, Sol. Templum Dodonaeum antiquitus vocabatur *Cha-On*, *domus Solis*; ut conjicere licet ex *Chaonia*, nomine regionis, in qua hoc templum ſitum erat. *Chaon*, Mons Arcadiae, locus Mediae ac Syriae: *Chaonitis* Meſopotamiae: *Caballis*, urbs Solymorum, *Ca-Bal*, *urbs Dei Baali*: *Caballion*, urbs Galliae Narbonenſis, cujus regio circumjacens dicebatur *Chauara*, i. e. *Cha-Ur*, *templum lucis*, exſtructum ab Ammoneis, qui hanc regionem occuparunt. *Canoubis* Aegypti eſt *Ca-Noubis*: *Cabaſa*, *templum Deae Beſa*: *Cuamon* (Judith 7, 3.) eſt *Ca-Amon*, *domus Amonis*; inde Graeci

ci fecerunt nomen viri Κύαμος. Est hic omnino frequens Graecorum error, ut Diis locorum nomina tribuant: veluti *Artemis* est *urbs Tamuſi*: *Cronus*, *Cir-On*, *urbs Solis*: *Cheops*, *Caſtor*, *Cayſtrius*, *Cybele*, *Cubebe*, ex ſimili ſunt compoſitione: & *Cerberus* ex *Cir-Abor*.— *Cocutus*, ſine dubio, *templum* erat *Cuthi* in Aegypto; ab eo nominabatur foſsa ex Nilo ducta, quae, cum putida esſet & prope ſepulturae locum, vocabatur *Charoniana* foſsa, ſeu *Acheron*. Idem nomen erat fluvii in Epiro, quod ei Aegyptii coloni indidisſe videntur. *Juno Covella* (ap. Varron. L. L. V. p. 49.) dicta erat a *Cou-El*, *domus Dei*; & inde *Coelum*. Κοιλὴ, cognomen, quod Graeci multis urbibus dabant, non est *cava*, ſed *coeleſtis*, a *Co-El*. Unde & *Coele Syria* est *ſacra* ſeu *coeleſtis Syria*. Dorica forma est *Coil* ſeu *Coel*, ut est apud Auſonium, non ex compendio orta, ſed integra & ſimplex. Dores enim, Ammonea gens, proprie dicti *Adores*, cum in aliis rebus, tum in verborum enunciatione, antiquitatis erant tenaciſsimi: contra reliqui Graeci verborum origines adjiciendis terminationibus obſcurabant. Et, auctore Herodoto VI, 54, Dorum majores Aegyptii fuiſſe videntur. Hymni in Prytaneo cantari ſoliti, Dorici erant. Et omnino retinuit haec dialectus vim antiquae Ammoneae vocis; hinc ſpelunca, in quam ſupplicio affectorum cadavera projiciebantur, vocabatur

Καιάδας, ex Και, *caverna*, & *Adas* ſeu Ἅδης: & Καιετοὶ, *terrae hiatus*. *Cacus* est a *Ca* & *Chus*, *cavea Chuſi*; ibi enim *Chus* & ignis colebatur: cujus moris levia veſtigia reperiſſe videtur Virgilius, Aen. VIII, 198. Ex *Cacus* invertendo fit *Cuſcha* Aethiopum. Κώοι, teſte Strabone, tales caveae vocabantur. Hinc est ὀρέσχωος: & Κητώεσσα, epitheton Lacedaemonis apud Homerum; cujus vim Graeci non ceperunt: Καίητη, urbs prope Cumas, antiquitus vocabatur Αἴητη (teſte Diodoro Sic. V. p. 366.): nomen factum videtur ex *Ai*, *terra*, & *Ete* ſeu *Ata*, numen, cui haec urbs ſacra erat. Idem erat nomen & Colchidis, cujus rex inde nominabatur *Aeetes*, & Aegypti, quae a Graecis quoque Ἀέτια vocabatur. Itaque ex *Cai* & *Ajeta* factum est *Cajeta*. Ἀγχοὴ, fons Boeotiae, est *An* & *Choa*, *fontis apertura*. Ex eadem origine est Χοϊκὸς, 1 Cor. XV, 47, quod Heſychius reddit πηλινὸς, & *Gau*, *Gou*, quod apud Celtas & Germanos pagum notat, v. c. *Brisgauw*, *Turgow*, *Hennegow* cet."

Auctor explicitis ad eandem rationem multis aliis locorum nominibus, pag. 129. diſputationem de Etymologia ſubjicit. In hac illud agit, ut Graecorum in hoc genere ignorantiam multis, praecipue ex Platonis Cratylo, exemplis oſtendat, & certiorem ſcientiam ex reliquiis Ammoneae linguae hauriendam eſſe oſtendat, & leges etiam praeſcribat,

quo-

quomodo in notationibus verſandum ſit. Atque hoc loco, nos quidem dubii haeſimus, utrum magis laborem operoſum admiraremur, an audaciam, Bryantii. Nam & operoſi est hominis, verborum derivationes ad certam legum rationem adſtringere, ſi tam impune & temere turbare ei liceat, ut quidlibet ex quolibet faciat: & audacis est, ne quid gravius dicamus, ſine linguarum accurata ſcientia tantum opus ſuſcipere. Primum ex Orientalibus linguis, Hebraeam mediocriter callet, Arabicae & reliquarum prorſus est rudis, quod & ipſe ingenue fatetur, & res ipſa loquitur. Graeca Latinaque multa legit: ſed harum linguarum indolem prorſus ignorat. Deinde quod ſaepius jactat Euſtathii dictum, εἰ βάρβαρον τὸ ὄνομα, οὐ χρὴ ζητεῖν Ἑλληνικὴν ἐτυμολογίαν αὐτοῦ, illud reciprocari non ſenſiſſe videtur, *ut Graecae vocis originem in Barbaria ne quaeramus*. Denique quod paſſim Graecos reprehendit, *eos in verborum derivationibus, non veritatem, ſed aurium ſenſum ac ſonum ſecutos eſſe*, id, ſi quid aliud, in ipſum Bryantium recidit. Et in Graecis quidem & Latinis non modo originum analogiam, quae a Scaligero, Caſaubono, & Salmaſio instituta, ab Hemſterhuſio exculta est, penitus ignoravit; ſed vel pervulgatiſſima grammaticorum praecepta aut neſciviſſe aut neglexiſſe videtur. Veluti p. 3. Καῦμα a voce *Cham* repetendo, non de verbo καίω, καύω, cogitavit, neque de terminatione frequentiſſima μα. Itaque mire infen-

 ſus

ſus eſt Graecorum terminationibus, quae eum ſaepius male habuerunt. Ex eodem genere eſt quod p. 9. Νεβρώδης a *Nimrod* derivat; nam ώδης non propria eſt pars, ſed adſcita per terminationem, a νεβρὸς, *hinnulus*. P. 13. ſi maxime verum eſſet Ἥλιος ab *El* oriri; tamen falſum eſſet, illud fieri ex *El*, & *On*, *Sol*: ſed noluit nimirum ιος eſſe ſolemnem terminationem. Quid quod p. 20. ubi *Aeetes*, Colchici regis nomen, ab *Ait*, quod, ut ipſe ait, *ignis* eſt, repetitur, aure & ſono deceptus in verſu Orphico (Argon. 1323.) ἤθεα Κόλχων ab eadem origine dici ſtatuit; cum ἤθεα centies apud ſcriptores *conſuetas ſedes*, *domicilium*, denotent? Cum ubique in Bryantio temeritatis novitatem miraremur, excogitare tamen non potuimus, quis eum ſtupor tenuerit, cum haec ſcriberet: nos quidem, cum legeremus, oculis noſtris vix fidem habuimus. Ex eodem tamen errore eſt quod hic de Ἠθεῖος dicitur, & quod p. 23. ab *Aith* & *Herm*, *Hermathenae* ducuntur. P. 31. Ἄσυλον, quod ab α privativo & σῦλος fit, Bryantius facit ex *Es* & *El.* P. 62. Ἀφήτωρ Apollo falſo fit ex *Apha*, *ignis*, & *Tor*, *turris*; cum ſecundum certiſſimas linguae rationes ab ἀφίημι oriatur. P. 65. σεμνὸς, quod fit a σέβω, dicitur eſſe vitio contracta vox ex *Sema* & *On*, *Solis oculus*. Sed in hoc genere quavis pagina peccatur: p. 78. Jupiter Μιλίχιος eſt a *Melech*, *rex*. P. 87. adverbium ὄχα nes-

neſcivit ſolemni terminatione *α*, ab ὀχὸς *firmus*, derivativo verbi ἔχω, fieri; itaque ex Babylonia arceſſit vocem Ὕχ, *Och*, *Ach*, quam *honorem* ſignificare dicit. P. 120. Παίδων ſepulchrum, (ap. Plutarch. Q. Graec. p. 296) cujus origo ibi quaeritur, ex *Pi-Adon* fit. Et p. 123. *Phaëthon* efficitur ex *Pi-Ath-On*, ignoratione verbi φαέθω, *luceo*, quod eſt a φάω. P. 126. cum *puer* repetitur ab Aegyptiaco praefixo *Pi* & *Ur*, *lux*; ignoravit Laconicum παῖρ & ποὶρ pro παῖς, quamquam alibi Doricam dialectum celebrat Bryantius. P. 189. *Feronia* a *Pur*, ſ. *Fer*, & *On*, *ignis Dei Solis*; & *Ferentum* ex *Fer* & *En*, *fons Solis*: p. 200. *Piſanus*, ager, convertendo fit, ex *Phanes*, *ignis fons*, neque, ut vulgo, ex *Piſa* & Latina terminatione *nus* derivantur; ut *Cumanus* non ex *Cuma*, ſed *Chum-Aen-Es*, *fons ignis Chumi* ſeu *Chami*. Erant enim, ut ait, ibi *calidi fontes*. Itane omnibus locis, quorum nomina in *ani* deſinebant, erant *fontes ignis*, vel *calidi fontes*? Et Latini quidem, quot habent nomina gentilia, quae deſinunt in *anus*, tot beabuntur calidis fontibus: Graecos vero & Barbaros eadem calamitas & terminatione *anus* & calidis fontibus privabit? Nullum exitum inveniret noſtra cenſura, ſi omnes in hoc genere errores notaremus. Quare tantum ſaltem ſpeciminum adtulimus, quantum ſatis videretur ad cavendum incautis & cognoſcendam Bryantii rationem & inge-

 nium.

nium. Nunc reliquorum capitum argumenta breviter enumeremus. Diſputationem de Etymologia ſequitur alia *de ſcriptoribus Helladicis & aliis Graecis*; illos vocat Helladicos, qui in ipſa Graecia, hos Graecos, qui extra Graeciam vixerunt. Illos exterarum rerum ignaros, hos magis peritos earum fuiſſe ait. Quamquam perperam eandem fidem ac laudem tribuit Chriſtianis ac exteris; nam Chriſtianorum pleꝛique non aliunde rerum Orientalium cognitionem hauſerant, quam ex libris veteris Teſtamenti. *De origine Helladicorum*, in qua multos ſcriptorum locos colligit, quibus Graecorum origo ab Aegyptiis repetitur. *De antiqua religione, & ratione etymologica, quae inde oritur. De cultu religioſo ſpeluncarum & ignis. De Omphi, & numinis cultu in exelſis locis. De Pator & Patra:* ab Aegyptiaca voce (Gen. XLI: 8, 13.) deducitur *Pater*, *Patera* ſacrificialis, *Petra*, cet. *Diſputatio de Diis Graecorum*: qua demonſtratur, eos omnes ex uno principio, numinis numinum, ſ. Solis, ductos eſſe. *De Phoenicibus*: ita, ait, vocatur orae maritimae Syriae ea pars, in qua Tyrus & Sidon jacebant: horum incolae in V. T. ſaepius cum regibus comparantur, & arbor φοῖνιξ habet regium honorem: quae vis etiam in origine nominis ineſt, quod factum eſt ex *Pi*, praefixo Aegyptiaco, & *Anac*, *rex*. *De voce Cahen*, ſeu כהן *Hebraeorum*: a qua voce Aegyptiaca cum Graecum Κύων ortum ſit, deceptos Graecos, dicit, mira de *Canibus* ſomniaſſe. *De Chuſo, qui*

etiam

etiam. Χρυσὸς & Χρυσάωρ *dictus est. De Canaan, ſ.* Χνᾶς, *unde* Κύκνος. *Diſſ. of Temple Science: qua, de antiquiſſimarum gentium geographica ſcientia, exponitur. De Tar, Tor, Tarit. De Tit & Tith. De Taph, Tuph, Taphos. De Ob, Ub, Pytho, & ſerpentum cultu. De Cyclopibus.*

Est omnino in his disputationibus multum eruditionis, quam ut lectoribus noſtris referamus, ſcriptionis hujus conſilium non patitur. Cumque generatim ratio earum ex iis, quae attulimus, ſpeciminibus jam cognoscatur, contenti ſimus unius disputationis *de Omphi* descriptione. „ Conſtans, ait, Orientalium fuit opinio, Diis cultum habendum eſſe in montibus, cum iisque ibi propiore arctioreque communione mortales frui. Haec cum Diis communio vocabatur *Omphi.* Vocem eſſe Aegyptiacam, & ſignificare Εὐεργέτην, ex Hermaeo refert Plutarchus, de Iſ. & Oſir. p. 368. Quamquam quare Εὐεργέτης vertatur, rationem nullam video. Nos veriſſime verbum interpretamur *oraculum Hami*, ex *Om* ſ. *Ham*, & *Phi*, *os*, (conf. p. 89). Unde montes, in quibus oracula reddi credebatur, vocabantur *Har-Al-Ompi:* & ex *Al-Ompi* Graeci fecerunt *Olympus*, quod nomen fuit multorum montium & locorum. Sed convertendo etiam, pro *Al-Omp*, dixerunt *Omph-El;* unde Graeci fecerunt ὀμφαλὸς, & oraculum Delphicum in ὀμφάλῳ terrae ſitum eſſe jactarunt. Perperam: multi enim alii loci ὀμφαλοὶ diceban-

men accepisſe. Neque dubitem, quin columnae ad maris oram collocatae, ab origine eadem Πομπαῖα dictae ſint. Tales erant Columnae Herculis ad fretum Gaditanum, non duae, ſed complures; ſed una Hiſpanienſis erat *Onoba*, ex *On-Ob*, *Sol Pytho*, altera in Mauretiana, *Abyla*, ex *Ab-El*, *Pater Deus*. His locis nautae numen placare ſolebant, quod ad proſperam navigationem magnam vim habere putabatur. Hoc numen in Inſcriptione Spon. & Wheeler. p. 209. vocatur Οὔριος Ζεὺς, ab אור *lux*; unde ὁρμὸς, *locus tutus navibus*. Ad Bosphorum Thracicum multae ex hoc genere erant arae & columnae, quae dicebantur Κολῶναι, a *Col* & *On*. Ἄμπελος, puer Baccho dilectus, ipſe Bacchus etiam dicebatur, ab eodem *Omphel*: quam notationem veram esſe, inde colligitur, quod multi loci Ἄμπελοι dicti ſunt, in quibus nullae vites creſcere potuerunt. Fontes multi, praeſertim, qui ſacri haberentur, vocabantur Νύμφαι, ab *Ain*, *fons*, & *Omphi*: ſic Ναΐάδες, ab *Ain* & *Aedes*, *fons Solis*. Ceterum haec in nominibus Deorum locorumque ſimilitudo inde orta est, quod pleraeque & fere omnes coloniae oraculorum jusſu deductae, antiquos ritus moresque conſervarunt: cet".

In hac diſputatione, ſi pauca excipiamus, reliqua, quae de rebus ac verbis dicuntur, temeraria & falſa ſunt. Explicatio tabularum Pocockianarum in-

ingenioſa est: neque abhorret a veriſimilitudine Curtii reprehenſio: quamquam non cogitavit Bryantius, Graecum, ſi maxime in Aegyptiacis vocibus *Omphel* & *Pater* deceptus fuisſet, & ex *Omphel* ὀμφαλὸς fecisſet, tamen ex *Pater* nullo pacto facere potuisſe Πάτερα; cum vox, illa notione apud Graecos non fuerit audita. Cum vero vocis Ἀμφὶ cauſſa, Ammoneum hymnum fingit, eumque a Terpandro vertendum curat, nescimus utrum jocetur an ſerio agat. Deinde tota ratio etymologica inanis est. Non est hic locus, quo de certioribus originibus Graecae linguae, quae ex analogia repetuntur, disputemus. Illud ſaltem oſtendemus, Bryantium in etymologica ratione unice fere *ſonum & aures ſequi*, *verborumque in ipſa Graecia oriundorum originem a Barbaris repetere*, & interiorem accuratamque indolem linguae prorſus ignorare. Ὀμφὴ, proprie *viſio*, *dictum*, fit ab ὄπτω, ὄπτω, *video*, *dico*; ut ſimilia nomina a ſimilibus verbis: Ῥομφὴ, *gladius*, a ῥόπτω, unde etiam ῥόπτρον & ῥόπαλον. Ῥιμφὴ, *jactus*, *jaculum*, unde adverbium ῥίμφα, *velociter*, a ῥίπτω, *jacio*. Ῥαμφη & ῥάμφος *roſtrum*, a ῥάπτω, *figo*. Νύμφη, *mulier*, vel, *virgo obvelata*, ab antiquo νύπτω, νύβω; unde Latinum *nubo*. Lympha est Λίμφα, a λιμφὸς, *verſatilis*, *fallax*, a λίβω, λείβω, λείπω, unde λιμὴν & λίμνη, & Latinorum *libo*, *liqueo*, *linquo*. Ἄμφω, dualis adjectivi ἀμφὸς, *junctus*, ab ἄπτω, *necto*, unde

de adverbium ἀμφὶ. Στεμφὴς, unde ἀστεμφὴς *firmus*, *inmotus*, a στέω, στέπτω, *ſtipo*, *condenſo*. Σομφὸς, *inanis*, *ventoſus*, a σόβω, σοβέω, *ventum excito*. Ὀμφαλὸς terminatione ſola & fit ab ὀμφὴ, & differt ab ὀφθαλμὸς. Atqui, ut propter ſimilitudinem *oculi*, aliae res ὀφθαλμοὶ vocatae ſunt multae, ſic ὀμφαλὸς translatum est ad alias res, veluti *umbilicum ventri*, *centrum clypei*, *arborum ſurculos*, *palmites*; unde ὄμφαξ, *immatura uva*, *bacca*. Ita γαμφηλὸς, *curvus*, a γάπτω, γάμπτω *flecto*: στέμφυλος, a στέπτω. Neque ἄμπελος ab alia origine est, quam ab ἅπτω, *necto*, notatque *nexilis*, *implicitus*; neque aliunde frequentius poetae *viti* epithetum petierunt, quam a *ſerpendo & implicando*. Sic a κόπτω, *caedo*, *jacto*, fit κόμπος, *jactatio*, κόμπελος, *jactator*, a κάπτω *flecto*, καμπύλος, *curvus*: a πέπω, πέπτω, *coquo*, πέπων, & πέμπελος, *maturus*, *decoctus*. Οὔριος est *ventus navigantibus ſecundus*, pro Ὄριος, Ionica forma, ab ὄρω, *proficiscor*, *excitor*; unde Latinum *orior*, ὄρθρον, *diluculum*, & ὁρμὸς, *portus*. Denique illud vix credibile videatur, quemquam ignorare, πομπὴν fieri a πέμπω, & Ναϊάδας, a νάω, νάιω, *fluo*.

Jam in rebus ipſis non minor est, vel negligentia, vel conjectandi temeritas. Quid est quod pag. 9. Graecos Nimrodum Νεβρὼδ nominaſſe, ex Chronico

co Paſchali demonſtrare conatur, cujus in hac re nulla poteſt esſe auctoritas; nam qui Nimrodum memorarunt Graeci, fuere poſterioris aetatis, nec aliunde eum quam ex libris V. T. cognitum habuerunt. P. 10. in Plinio pro *Venerea* corrigit *Venaria*: (v. ſupra p. 62), quae primum inaudita eſt vox Romanis, deinde refutatur nummo Claudii, quem ex Ligorio memorat Cellarius Geogr. T. I. p. 60. Ibidem cum contenderet Nimrodum & Bacchum eundem esſe, attulit in ejus opinionis argumentum locos Silii & aliorum. Igitur, quia *nebride* cincti erant Bacchi cultores, *Nimbrod* idem erit ac Bacchus? P. 11. quia Athenis & in Co, inſula, gens erat *Nebridae*, nullum potuit alium habere, quam Nimrodum, auctorem? P. 124. *Apud Romanos colebatur Jupiter Puer*. Concedo. *Sed Puer idem est ac P-Ur*, i. e., *os lucis; igitur antiquum nomen Jovis eſt* Pur, *& poſtea juvenem ſignificavit.* Nil video, quare hoc tibi asſentiar. *Pur eſt Sacerdos ap. Aegyptios: at Praeneſti oracula reddebantur a pueris, qui ſortibus luderent; hi erant proprie ſacerdotes, dicti* Puri *antiqua lingua, & quia ad hoc munus plerumque pulchri juvenes eligebantur, factum eſt, ut* pueri *dicerentur juvenes.* Hoccine eſt, mi Bryanti, lucem affundere, quod profiteris, antiquis temporibus, ut, quidquid in mentem tibi veniat, id nobis pro vero certoque vendites? P. 58. Hebraeos ſcriptores, ait, nomina numquam ad ſuae pronunciandi conſuetudinem immutasſe: at hujus

ſen-

ſententiae contrarium affirmatur p. 198: quamquam hoc non adeo reprehendendum videatur in eo, qui ipſe, ſe ſibi repugnaturum, profiteatur (v. p. 173.) P. 154. cum Plutarchum & Arrianum accuſat, adeo ab eorum mente aberravit, ut eos ne legiſſe quidem videatur. P. 211. Hercyniam & Pyrenam ejusdem poteſtatis nomina eſſe, rationibus Etymologiae ſuae, demonſtrat, eique opinioni fidem repetit a Cluverii auctoritate, quem Hercyniae ſylvae initium a Pyrene, una ex Alpibus Tridentinis, duxiſſe dicit. At Bryantius locum Cluverii, nec ipſis verbis protulit, nec paginae numero ſignificavit: neque omnino facile hoc erat, cum nil ejusmodi in libris de Germania exſtet.

Itaque intelligitur, quam fallax quamque inanis ſit Bryantii ratio; licet notationibus opinionibusque ſuis, multo ingenio, maximaque eruditione, fidem conciliare ſtudeat. Et omnino ita vera cum falſis commiſcet, antiquorum ſcriptorum teſtimonia adfert, &, quocumque vult, torquet, & audaces conjecturas injicit, ut incautos & antiquitatis mediocriter peritos facile irretiat, & in ſuam ſententiam trahat. Nos quidem ſaepius in eam cogitationem incidimus, ut Bryantium tota hac ſcriptione ludere eruditam civitatem, eique fumum objicere velle, putaremus. Quamquam quis tanti faciat luſum & fallaciam, ut magno labore tria volumina conſcribat, & doctioribus tamen nugari videatur?

IV. Ve-

IV.

Vetus Teſtamentum Hebraicum cum variis lectionibus. Edidit Benjaminus Kennicott, S. T. P. Aedis Chriſti Canonicus, & Bibliothecarius Radclivianus. Tomus Primus. Oxonii, e Typographeo Clarendoniano. 1776. *fol.*

Cum in omni artium & disciplinarum genere multa ſunt, quae, licet magno doctorum hominum conſenſu confirmata atque ſtabilita, poſtea, tanquam opinionis quaedam commenta, dies deleat: tum hanc judicii humani inconſtantiam & viciſſitudinem luculentiſſime oſtendit ea disciplina, quae, a munere ejus, quod in conſtituenda Veteris Teſtamenti vera lectione occupatur, Critices Sacrae nomen adepta est. Hujus tractandae rationem priſtinam qui cum hodierna noſtra contulerit, is profecto incredibili rerum converſione perculſus fateri cogatur, ea jam fieri, quae unquam fieri poſſe; ſub finem proximi ſeculi nemo quisquam cogitasſet. Quod ut ab iis, qui ſunt a pertractatione harum literarum remotiores, paullo diſtinctius intelligatur & plenius, juvat, antequam ad deſcriptionem operis Kennicottiani accedamus, hanc diverſitatem uno in conſpectu breviter proponere.

Ea ſcilicet erat proximis pluribus poſt Chriſtum natum ſeculis linguae Hebraeae conditio, ut a ſolis fere Judaeis

daeis coleretur, a Chriſtianis, tantum non omnibus, negligeretur. Inter Graecos Latinosque eccleſiae doctores duo ſunt, nec plures, inſignem aliquam ab ejus peritia laudem conſecuti: alter Origenes, cui quantum debeat interpretatio librorum ſacrorum tam grammatica, quam in primis critica, praeclare est & erudite ab Erneſto V. S. demonſtratum: alter Hieronymus, judice eodem Erneſto, in Latinis patribus, qui literalem interpretandi rationem ſecuti ſunt, longe princeps. Reliqua pars, ne elementaria quidem cognitione imbuti, & nonnulli in Alexandrina, plerique in Aquilae verſione ſecure acquiescentes, fontium Hebraicorum intelligentiam adeo non curabant, ut eam contemnere viderentur, nec dignam judicare, in quam operam ſuam atque diligentiam impenderent.

Tam infelici fato per undecim fere ſecula oppreſſas has literas tandem ſeculo XV velut ex cineribus excitavit Joannes Reuchlinus, vir ſingulari ingenio, doctrina, pietate. Hunc primum fuiſſe conſtat, qui, obſtrepente inertium monachorum barbarie, turpem ſocordiae veternum excutere, & obſoletum Philologiae Hebraicae ſtudium auderet inſtaurare. Sed cum ſoli fuiſſent Judaei per omne illud tempus hujus linguae cuſtodes atque conſervatores, fieri aliter non poterat, quin qui ei addiscendae operam navare vellent, iisdem etiam magiſtris uterentur. Quam igitur ejus ſcientiam, cum ipſe Reuchlinus, tum

tum qui, egregio exemplo incitati, iisdem veſtigiis inſiſtebant, Munſterus, Pagninus, Vatablus, Mercerus, aliique ſibi comparabant, erat illa a ſolis Judaeis profecta, totaque conformata ad illorum doctrinam & interpretandi rationem, bonam illam interdum, at ſaepius fallacem, incertam, & in qua amplectenda quanto ſit delectu atque cautione opus, & norunt eruditi, & est a propoſito noſtro alienum uberius commemorare.

Verum quo minus Reuchlino, ejusque diſcipulis, vel imitationem Judaicae rationis vitio vertamus, vel ex ea ortos errores imputemus, facit, & humanae imbecillitatis, & temporum illorum cogitatio, quibus viri, egregio ſcientiae incenſi amore, cum neminem, exceptis Judaeis, reperirent, a quo Hebraeas diſcerent literas, facile inducebantur, ut magiſtris his plus etiam, quam par erat, auctoritatis tribuerent.

Sed in aetate harum literarum magis adulta, qualis jam erat proximo ſeculo, est profecto illud in primis mirabile, nihil fere fuiſſe ab nimio illo Rabbinorum amore remiſſum: nam, qui a vulgato tramite recederent, pauci erant, & eorum quidem plerique interdum etiam in pejorem deflectebant; omnino plurimi, coeco quodam impetu ducti, tam pertinaciter huic methodo adhaerebant, ut ne latum unguem inde diſcederent, ſuumque adeo ingenium, judicandique ſollertiam ſoli Judaeorum auctoritati

tanquam in ſervitutem traderent. Nimirum ita fert natura hominum, ut vix quidquam ſit difficilius, quam veteres, quibus innutriti ſumus, opiniones deponere, illudque ſtudium, quo in magiſtros ferimur, prudenter, & juſta cum moderatione, dirigere.

Quod tamen non ideo a nobis dicitur, ut ſummis magnorum virorum laudibus aliquid detrahamus. Id tantum volumus, in quo habebimus aequos harum rerum arbitros nobis asſentientes, multo plura ab iisdem illis praeclaris ingeniis praeſtari potuisſe & meliora, ſi, Rabbinorum placitis minus addicti, liberius auſi fuisſent & elegantius in interpretatione librorum ſacrorum verſari.

Sed veniamus paullo propius ad id, de quo praecipue est nobis agendum, & videamus, quómodo inde factum ſit, ut Critica Sacra tam lente effloresceret, caputque ſuum efferret.

Etenim mirifica fuit ab antiquisſimis temporibus Judaeorum arrogantia, qua linguae ſuae originem haud aliunde quam ab ipſo Deo repeterent, & eximiam quandam ejus prae reliquis dignitatem, & ſingularem plane ſanctitatem jactarent, unoque ore fidenter praedicarent. Quae ſuperſtitio, quam, post Albertum noſtrum Schultenſium, nemo hodie ést prudentior, quin rideat, cum, a Judaeis ſollicite inculcata, diuturnitate temporis in Chriſtianorum animos altisſime defigeretur, dici vix poteſt, quantum

Cri-

Criticae ſtudio obſtiterit, ejusque incrementa impedierit. Nam, licet divina linguae origo nil habeat commune cum intemerata codicis integritate, posſintque & ſcribendi labes esſe in codice, quamvis lingua Hebraea ab ipſo Deo tradita ſit hominibus; &, ut nullae ſint ſcribendi labes in codice, tamen non continuo ipſa lingua divinam habeat originem; ea tamen erat ſuperſtitionis vis, ut diverſam utramque opinionem plerumque conjungerent; quippe metuentes, ne, dum varietatem lectionum agnoſcerent, in iisque cernendis & judicandis aliquam operam collocarent, Sacri Codicis, tam ſancta lingua conſcripti, dignitatem videri posſent in diſcrimen adduxisſe; unde factum, ut pauci esſent, qui de veritate receptae alicujus lectionis vel dubitarent, vel auderent dubitationes ſuas palam proferre. Nam, qui in has literas primi Criticam inducere, veteremque ex iis ſuperſtitionem ejicere conati erant, Morinus, Simonius, & Ludovicus in primis Cappellus, facile ſuo alios exemplo docebant, quam difficile esſet, & periculi plenum, ſententiam communi fere omnium conſenſu receptam, antiquitatis praeterea auctoritatem adeptam, ex animis hominum eruere.

Non lubet, nec est inſtituti noſtri, omnes harum litium contentiones uberius enarrare. Hoc quidem negari nequit, vehementiores illos animorum motus indagandae veritati valde obfuisſe, & in eo

graviter utrimque fuiſſe peccatum, quod magna diſputationis pars inanibus, & alienis a re quaeſtionibus fruſtra conſumeretur, &, in ſuae quisque cauſſae defenſione, diſputandi aeſtu abrepti, non ſatis caute accurateque argumenta ſua proponerent, & adverſariis frequentiorem culpandi materiam praeberent.

Et illi quidem, qui Hebraei codicis integritatem tuebantur, quique vulgo, a ſtudio & ſecta, Anticritici, a principe ejus ſectae Jo. Buxtorfio, vocantur Buxtorfiani: illi igitur celebrabant divinae providentiae curam, laudabant Judaeorum in deſcribendis exemplaribus religionem & diligentiam indefeſſam, magnum ſibi praeſidium petebant ex incredibili Maſoretharum labore, qui, conſtituta, quam a majoribus acceperant, genuina textus lectione, univerſum librorum ſacrorum volumen tanquam ſepimento quodam vallasſent, quod omnem inde labem, omnemque corruptionem procul arceret; denique addebant, in hac puritate conſervanda haud parum etiam operae poſitum fuiſſe ab interpretibus Chriſtianis. Vix igitur, ſi immodicam Maſoretharum venerationem excipias, aliquid dicebant, quod non unusquisque harum rerum verus aeſtimator lubenter hodie agnoſcat.

Sed intra hos limites non continebatur Anticriticorum diſputatio; qui, cum adverſarios in gravem hanc apud vulgum ſuſpicionem vellent adducere, quod,

quod, ſublata integritate lectionis, tollerent integritatem ac certitudinem doctrinae, tunc vero, tanquam ſacrae cauſſae melius conſulturi, audacter affirmabant, divinam providentiam non verba tantum, ſed literas etiam ſingulas, punctaque vocalia peculiari cura complexam fuiſſe & ſervaſſe, & ne in his quidem ullum errorem reperiri. Qua quidem in re mirum videri poſſit, quid cauſſae fuerit, quod Anticritici, homines Chriſtiani, cum ſemel Deum ex machina induxiſſent ad Veteris Teſtamenti literas punctaque ſervanda, non, eadem opera, eandem Novo Teſtamento integritatem vindicaverint. Sed nimirum eorum error ex Judaica ſuperſtitione fluxerat, quae hanc ſanctitatem divinitatemque ſoli linguae Hebraeae tribuebat, a reliquis omnibus longe arcebat.

Porro uſum criticum ab antiquis verſionibus abjudicabant, quaeque in illis reperiuntur a textu Hebraico discrepantiae, de his ita ſtatuebant, omnes eſſe ab interpretibus, nullas a mendoſis lectionibus profectas. Jam quum lectionum copia, cum earum, quas ipſi Maſorethae annotarunt, tum quae extant in libris ſcriptis, in fluctuationem adigerentur, vel oculos ad hoc lumen praefracte claudebant; vel ambigue reſpondebant & obſcure, quidvis potius excogitantes, quam ut ab opinione, cui addicti erant & velut conſecrati, aliquid viderentur remittere. Denique, ſi dubitationem de integritate

cujusdam lectionis injiceret diverſa lectio, ab alio auctore ſacro, in loco parallelo, expreſſa, & priori interdum plane contraria; quod in nominibus propriis, & in numeris ſaepius factum esſe conſtat: hanc igitur dubitationem cum rationibus & argumentis tollere non posſent, tollebant auctoritate, & audacibus effatis, auctore Buxtorfio (Anticrit. p. 401.) *ſatius esſe*, dicentes, *ignorantiam noſtram profiteri, & utramque lectionem bonam esſe, pie credere.* Et hic quidem alio loco (Antricrit. p. 145 & 918.) bonum V. T. interpretem his informavit praeceptis: *Adfer*, inquit, *judicium ſolidum & maſculum, fide textui Hebraeo, diligenter eum expende, linguae Hebraeae accuratam cognitionem tibi compara, interpretes conſule, & ſemper in textu Hebraico hodierno veram, commodam, & cum antecedentibus ac conſequentibus convenientem lectionem invenies. Loca multa ἐναντιοφανῆ esſe concedimus, ἐναντία negamus.* Caeterum & ipſum eum, qui haec decreta ſanciverat, & eos, qui ſe ejus auctoritati conſecraverant, necesſe erat in certisſimas ſaepe repugnantias incidere, easque, conſtantiae cauſa, contra ipſam vocem veritatis, defendere.

Sed quae hactenus a nobis dicta ſunt non eam habent vim, ut Anticriticorum reprehenſione, univerſa Criticorum in V. T. opera laudetur & comprobetur. Omnino, ut illorum ſuperſtitio est notanda, ita horum temeritas est culpanda. Nam Cap-

pel-

pelliani: ita enim vocantur Critici Veteris Teſtamenti, a principe hujus diſciplinae L. Cappello: cum partim ipſa rei natura perſpicerent, partim locis parallelis, verſionibus antiquis, annotationibus Maſoretharum, in hac ſententia confirmarentur, non id egiſſe Providentiam, ut hos libros communi omnium librorum, Novi etiam Teſtamenti, fato eximeret, omnesque librariorum errores vi ſua impediret, paulatim eo delabebantur, ut has mendas ultra modum extollerent, & in immenſum oratione ſua augerent. Itaque Judaeorum in deſcribendis codicibus fidem ac diligentiam adeo non agnoscebant, ut etiam corruptionis, variis in locis, de induſtria factae eos accuſarent; quam accuſationem etſi Kennicottus quoque adſtruere conatur, notisſimoque exemplo, Deuteron. XXVII, 4, & Joſ. VIII, 30, in commutatione nominis *Garizim* cum nomine *Ebal*, confirmare; (Diſſert. II. de rat. text. Hebr. c. 1.) diffiteri tamen non poſſumus, eam iniquiorem nobis videri, & probatu difficillimam, multoque plus apud nos valere, eum quae ipſe L. Cappellus egregie de hoc argumento diſputavit, (Crit. Sacr. l. I, c. 1.) tum quae Kennicotto ad exemplum modo allatum, in Diſſertatione Critica, erudite, ingenue, & modeſte oppoſuit J. H. Verſchuirius V. Cl. Primo enim id certo conſtat, nihil fuiſſe a Judaeis mutatum in illis locis, in quibus magnum est Chriſtianis praeſidium ad ſtabiliendam ſuam de Meſſia doctrinam, ejusque

adventum accurate definiendum. Atqui tales locos depravare, maxime eorum intererat, niſi nefas exiſtimasſent, aliquam mutationem in Codicem Sacrum inferre. Deinde parum est veriſimile, gentem ſuperſtitioſisſimam, quos libros inſolenter & ridicule jactabat ab ipſis auctorum autographis ne in minimo apice discrepare, hos, data opera, corrupisſe ac contaminasſe.

Sed redeamus ad temeritatem Criticorum. In verſionibus ad emendandum textum recte adhibendis multiplici cautione opus esſe, nemo harum rerum peritus facile negaverit: cum enim interpretes vel inſcitia linguae, vel oſcitantia quadam ac negligentia ſaepe in vertendo peccaverint, ſaepius etiam mendoſam lectionem in codicibus ſuis habuerint, cum denique ipſae hae verſiones, partim injuria temporum a priſtina puritate deflexerint, partim de induſtria interdum corruptae ſint & interpolatae, oportet profecto Criticum in harum varietatum judicio magno cum delectu verſari. Quid vero Cappelliani? num has ſibi prudentiae leges proponere? num diverſitatis originem indagare, ponderare, cernere? Minime omnium. Sed verſionibus, ſive Graecae LXX Interpretum, ut fecit Iſ. Vosſius, ſeu textui Samaritano, ut Jo. Morinus, caeco impetu omnem auctoritatem deferre; illarum fidem atque praeſtantiam immodicis laudibus evehere; quas ex iis colligebant varias lectiones, modo ſpecioſae es-

eſſent, nec primo ſtatim obtutu rejiciendae, has receptae lectioni avide plerumque anteponere, eamque prodere emendandi libidinem, quam vel in humanis libris, non ferendam eſſe, ipſimet facile judicarent.

Denique, ne in pertractando hoc loco longiores ſimus, quam patitur inſtituti noſtri ratio, hoc erat praecipue in iis reprehenſione dignum, quod multi ad interpretandi genus criticum accederent, qui, licet ingenio valerent, tamen eſſent ab interpretatione grammatica minus parati, eaque deſtituti linguae Hebraeae peritia, quae, cum grammatices accurata cognitione, tum dialectorum uſu & collatione unice acquiritur, & ſine qua ab exercenda nobiliſſima arte omnino eſt abſtinendum. Hi igitur, plurimis in locis, quaecunque vel intelligere, vel commode explicare non poterant, ea pro corruptis habebant, &, vel ex fallacibus verſionibus, vel ex conjectura, ſua quidem opinione emendabant, re ipſa pervertebant.

Et haec quidem reprehenſio ſemper nobis viſa eſt veriſſima, nec ad ſolos Criticos proximi ſeculi, ſed ad quoſdam etiam ex iis, quos noſtra aetas tulit, omnino pertinere; inter quos praecipuum locum tenet, qui ſplendidiſſimam curavit Bibliorum Hebraicorum editionem Pariſinam A. 1754, Car. Franc. Houbigantus; de quo viro, etſi diverſa ſunt eruditorum judicia, id tamen vere licet affirmare, ſagacem eum fuiſſe, & in conjectando feliciſſimum,

ſed in ipſa linguae Hebraicae ratione tam parum exercitatum, ac rudem, ut vel principiorum grammaticorum ignorantia turpiter erraret, & , cum haud paucos locos egregie reſtitueret, longe plures fruſtra ſollicitaret, plures etiam corrumperet; talem praeterea, qui omnem gloriam, quam ab ingenii acumine, & judicandi ſollertia eſſet conſecutus, obſcuraret temeritate, nimiaque licentia in refingenda vulgari lectione Codicis Sacri, *quem* (prolegom. init.) haud verebatur aſſerere, *tanta incuria editum eſſe, quanta vix ullus codex, qui fuit typographiae luce cohoneſtatus.*

Hic igitur erat rei criticae ſtatus ſeculo proximo. Odiis, ut ait ille, prope majoribus certabatur, quam viribus. Nec Buxtorfiani, nec Cappelliani medium aliquod ſequebantur, tum a ſuperſtitione, tum a temeritate ſejunctum; omnisque disputatio vana plerumque erat & inanis, nec ad indagandam veritatem comparata. Superior tamen manebat Buxtorfius: etenim magnum habebat praeſidium in univerſo omnium fere, qui tunc vivebant, eruditorum, praecipue Theologorum, conſenſu; Critici vero nomen pauci audebant palam profiteri; & ſoli erant, qui pro hac cauſa dimicare vellent, Joannes Morinus, Ludovicus Cappellus, Iſaacus Voſſius, & Richardus Simonius, magna quidem, ſed inviſa nomina. Praeterea hoc etiam ad Anticriticorum cauſam magnum afferebat adjumentum, quod unitis viribus,

ribus, & ſine inſigni aliqua diſcordia, in tuenda codicis Hebraei integritate, eadem ferme ratione utebantur. Secus Critici; qui omnes quidem id ſtatuebant, corruptum eſſe hodiernum, quem habemus, textum Maſorethicum; ſed inter quos mirifica erat diſſenſio, cum in deſcribenda aeſtimandaque hujus corruptionis magnitudine, tum in indicandis fontibus, ex quibus vera lectio poſſet, atque deberet reſtitui. Denique Buxtorfianorum cauſſae multum proderat nimia illa, quam commemoravimus, Criticorum audacia, qua adverſarios magis irritabant, quam convincebant, &, quas eruere volebant, ſuperſtitioſas opiniones, has indies firmabant; ipſique ſua culpa hanc in ſe invidiam concitantes, ut religioni male dicerentur conſulere, veramque pietatem non tam adjuvare, quam infirmare, penitusque ſubvertere. Imo tam periculoſam eſſe Cappelli ſententiam exiſtimabant Theologi Genevenſes, ut, narrante Wolfio, Biblioth. Hebr. Vol. II, p. 27, peculiari canone, A. 1678 ſancito, caverent: *ne quis in ditione ſua miniſter eccleſiae recipiatur, niſi fateatur publice, textum Hebraeum, ut hodie eſt in exemplaribus Maſorethicis, quoad conſonantes & vocales, Divinum eſſe & authenticum.*

Itaque in tanto animorum motu actum videbatur de Critica Sacra, eratque vix exſpectandum, ut unquam efflóreſceret, ad illud faſtigium, in quo hodie conſpicitur. Sed idem hic accidit, quod in omni

con-

contentione licet obſervare: nimirum in ipſo certaminis ardore parum vel nihil utrimque proficiebatur, & quisque ſuam opinionem eo fortius tenebat, quo vehementiores erant adverſariorum impetus ad eam convellendam; mox vero, cum pugnando defeſſi quiescerent, & ſedatus eſſet bellandi aeſtus, veritas lente ſemet ac pedetentim animis hominum inſinuabat. Est enim haec veritatis indoles, ut vi atque armis compelli ſe, & quaſi intrudi in mentes non patiatur, ſed blande compellari velit, leniterque induci.

Hinc jam ea vivimus tempora, quae jus nobis & facultatem concedant, libere de his rebus ſentiendi ac loquendi, nec ſenſum communem ita abdicare cogant, ut, contra oculorum fidem, eam tribuamus Veteri Teſtamento integritatem, quam, proximo ſeculo, nefas erat negare. Agnoſcunt igitur, ſin minus omnes, at longe plurimi, vitia quaedam in ſacros libros, cum temporum injuria, tum negligentia librariorum irrepſiſſe; quae vitia, etſi talia non ſunt, quibus religioni atque pietati aliquid detrimenti accedat, ſiquidem id certum est, caviſſe benignam Numinis Providentiam, ne ea loca corrumperentur, quae praecepta continerent, vel ad ſtabiliendam fidem, vel ad fingendos mores neceſſaria atque utilia: etſi igitur in levioribus tantum verſantur haec vitia, recte tamen ſta-

tui-

tuitur, boni interpretis eſſe, curare, ut, vel in minimis, genuina ſit atque emendata lectio; quandoquidem nulla est tam parva macula, quam non magni interſit ex eo libro eluere, ex quo lex ac norma inſtituendae vitae petenda est.

Hanc temporum noſtrorum felicitatem nihil probat luculentius, quam prosper ſucceſſus magni illius operis, quod, probantibus bonis, cunctisque obſtupescentibus, aggreſſus est, & feliciter executus Benjaminus Kennicottus, Vir de Sacro Codice V. T. immortaliter meritus, *Criticesque Sacrae verae ac genuinae inſtaurator;* quam magnificam laudem a Summo Viro, peritiſſimoque harum rerum arbitro, Roberto Lowtho, ei impertitam, pauci ſunt, qui invideant, plurimi juſtiſſimam eſſe agnoscunt, libenterque ei tribuunt.

Hic enim, cum, ante triginta fere annos, ab eodem Lowtho eſſet admonitus, talem non eſſe hodiernum, quem habemus, textum Maſorethicum, qui genuina nobis Auctorum Sacrorum verba exacte ubivis referat, poſtea magis in ea opinione confirmabatur, ubi, inſpectis, qui in Bibliotheca Bodlejana ad manum erant, codicibus MStis, animadvertebat, magnam in illis eſſe discrepantiam, tum a ſe invicem, tum a libris editis: mox autem, alios etiam codices, qui Cantabrigiae & Londini ſervantur, evolvens, tot in iis reperiebat, tamque inſignes a vulgari editione diverſitates, ut, rei novitate atque momento

mento in ſummam admirationem ductus, hoc tam praeclarum inventum exiſtimaret non eſſe diutius ab eruditorum notitia cohibendum, ſed eſſe eos exhortandos, ut ſuam quoque cogitationem eo converterent. In lucem igitur emittebat, A. 1753, diſſertationem *de ratione textus Hebraici V. T. in libris editis atque ſcriptis*, in duas partes diviſam, quarum prior comparationem exhibet capitis XI libri I Chronicorum cum capite V. libri II. Samuelis; poſterior recenſionem continet 70 codicum, quos tunc temporis conſuluerat. Huic diſſertationi, ſexennio post, A. 1759, aliam adjiciebat, in qua, cum de Pentateucho Samaritano, de paraphraſi Chaldaica, de codicibus quibusdam, qui ipſi poſtea innotuerant, diſputabat egregie, tum etiam, peculiari capite, ipſorum Judaeorum de Hebraico textu judicia exponebat, addebatque hujus textus hiſtoriam ad noſtra usque tempora perpetua quadam ſerie deductam. In quibus omnibus id praecipue agebat, ut oſtenderet, clariſſimisque exemplis evinceret, quantum inde emolumenti ad dignitatem Sacri Codicis foret acceſſurum, ſi in excutiendis codicibus, & colligendis, judicandisque variis lectionibus viri docti induſtriam ſuam collocarent.

Et his quidem diſſertationibus viam ſibi praemunivit Kennicottus ad illam gloriam, qua hodie unus omnium in hoc genere maxime excellit. Nam, etſi non ſunt ita ſcriptae, quin de multis rebus ipſe nunc ſcri-

ſcriberet multo copioſius non tantum, verum etiam accuratius; recte tamen exiſtimabant viri in his literis principes, Lowthius, Huntius, aliique, magnam eas afferre ingenii diligentiaeque commendationem, & neminem fore, qui tam pulchrum conſilium Kennicotto melius exequeretur. Omni igitur opera eum excitabant ad ſuſcipiendam curam ac cogitationem utilitatis publicae, vehementerque ab eo flagitabant, ut quoscunque libros, cum in Britannia & Hibernia, tum apud exteros deprehenderet, horum omnium varietates colligeret, in uſum communem poſtea expromendas; denique ſpondebant, neceſſariis ſumtibus nihil fore defuturum: cum enim non posſet tam immenſum opus ſolus perficere, plurimi comparandi erant adjutores, qui libros ſcriptos cum editis conferrent, & honeſta etiam mercede invitandi, ut hanc aerumnam taediumque ſuſciperent. Et, quae invidenda est eruditorum in Britannia felicitas, eam expertus est Kennicottus ſuorum liberalitatem, ut pecunia primo ſtatim anno collecta ſummam efficeret quingentarum librarum Anglicarum, finitoque, quod in conferendos codices ſibi ſumſerat, decennio, ad novem millia librarum cresceret.

Hac igitur tam inſigni munificentia adjutus facile poterat ad omnes bibliothecas aditum ſibi patefacere; neque ex Europa tantum codices ad Kennicottum undique confluebant, ſed erant etiam in Aſia, Africa, & America, qui, vel ipſos libros ad eum defer-

ferrent; vel collationes inde excerptas tranſmitterent. Quandoquidem vero ad majorem hujus operis praeſtantiam videbatur omnino neceſſarium, ut optimi quique codices, qui, cum in celebratiſſimis Europae bibliothecis, tum in ſynagogis Judaeorum, tanquam κειμήλια quaedam, aſſervantur, accurate cognoſcerentur, quo melius de eorum pretio atque auctoritate ferri poſſet judicium, ipſe quidem, hac de cauſſa, itinere in Galliam inſtituto, Pariſinos codices diligenter evolvit: in Italiam vero, Germaniam, & Belgium, qui idem perageret opus, miſit Paul. Jac. Brunſium. Qui quidem vir, cura, diligentia, doctrinaque effecit, ut ſuum quoque nomen ad poſteritatem commendaretur.

Abſoluta intra decem annos graviſſima moleſtiſſimaque laboris parte, biennium impendit examinandis ordinandisque copiis his undique conquiſitis. Quod ipſum negotium ut ab iis, quos ſibi in eo ſocios delegerat, citius perficeretur & melius, rurſus est Britannorum liberalitate effectum; cum ducenti ferme eſſent hujus operis fautores, qui inſignem pecuniae ſummam hanc in rem laute conferrent.

Itaque, exeunte A. 1772, nihil reſtabat, quam ut immenſi laboris fructus tandem in publicum redundarent. Curanda igitur erat editio Veteris Teſtamenti, quae ingentem illum variarum lectionum theſaurum recluderet, & ex bibliothecarum latebris in lucem proferret. Cumque ad hanc editionem accu-

rate

rate, &, pro operis dignitate, ſplendide etiam atque eleganter exprimendam, novi iterum ſumtus requirerentur, propoſitis conditionibus explorabat, cum civium ſuorum, tum etiam exterorum voluntatem; quam brevi tempore tam praeclaram expertus eſt, ut, tametſi ſingulis exemplis 8 aureorum pretium ſtatueret, fuerint in Britannia, eique ſubjectis regionibus, & Hibernia ultra 300, in aliis vero Europae partibus fere 200, qui, nomine dato, ſplendidisſimi operis emtores ſemet profiterentur.

Anno igitur 1773 factum jam eſt excudendi libri initium, prodiitque volumen prius *A. 1776*, quod Pentateuchum, Joſuae, Judicum, Samuelis, & Regum libros complectitur. Reliqui volumine ſecundo continebuntur una cum prolegomenis, ſive disſertatione generali, quae hiſtoriam codicum exhibebit, atque univerſam ſuſcepti conſummatique operis rationem eruditis uberius exponet.

Et haec quidem de inſtituto Kennicottiano breviter dicta ſufficiant, ex quibus manifeſto apparet, in quanto honore ac pretio nunc ſit Critica Sacra. Quod enim, centum abhinc annis, obſtrepente univerſo Theologorum ac Philologorum agmine, nemo quisquam potuisſet ſuſcipere, id, noſtra aetate, non tantum ſuſcepit Kennicottus, nemine adverſante, ſed etiam tanta adjutus eſt eruditorum, &, qui ab eruditis incitabantur, magnatum munificentia, cujus in omni hiſtoria literaria ſimile exemplum haud facile reperias.

Sed, quod modo dicebamus, Kennicottum hoc opus ſuſcepiſſe nemine adverſante, non est ita intelligendum, ac ſi, quod nulli unquam magno viro, id huic ſoli obtigisſet, ut neminem haberet, qui ei obtrectaret, & in perſequendo labore moleſtus eſſet. Habuit Vir ſummus ſuos adverſarios: habet adhuc hodie. Protulit Gallia, protulit Germania, protulit Italia, protulit Anglia, imo protulit, quam tam inſigniter ornat, Academia Oxonienſis plurimos, qui acriter contra eum inſurgerent: inter quos etſi ſunt nonnulli, ex quorum reprehenſionibus proficere potuit Kennicottus, nec dubitamus, quin profeciſſe ſe lubens agnoſcat, plerique tamen, vel ineptis cavillationibus eum petiverunt, vel univerſum opus inviſum reddere conantes, vix aliud prodiderunt, quam obtrectationis livorem atque malevolentiam. Sed nolumus haec latius perſequi, cum ad ipſam properemus primi voluminis deſcriptionem.

Cum igitur magna ſit librorum editorum a ſe invicem diſcrepantia, & quidem tanta, ut Kennicottus affirmet (praef. n. XXIX.) eos in locis plus quam decies mille non convenire, quorum tamen longe major pars, vix dubitamus quin errores ſint typographici; cumque praeterea non eadem ſit in omnibus capitum commatumque diſtinctio, neceſſe erat, in exprimendo textu Hebraico, unam editionem conſtanter ſequi. Itaque ſecutus est editionem Hooghtianam, Amſtelod. A. 1705 factam; ad quam,

quam, ipſo jubente, omnes collationes erant inſtitutae, & qua meliorem eligere non poterat, cum ob typorum perſpicuitatem, tum in primis ob ſingularem illam ſinceritatem integritatemque, qua reliquis omnibus longe antecellit.

Variae lectiones codicum, tam ſcriptorum, quam editorum, infimum occupant cujusque paginae locum. Solae illae, quas textus Samaritanus, in editione Bibliorum Polyglottorum Waltoniana, continet, quoniam tam numeroſae erant, ut, inter alias collocatae, lectorem facile impediisſent, magnamque in iis ſeligendis creasſent moleſtiam: hae igitur peculiari quadam ratione ſunt diſpoſitae, quae, licet nonnullis, tanquam oculis minus grata, diſpliceat, nobis tamen videtur hunc jucunditatis defectum utilitatis fructu compenſare. Nimirum, per totum Pentateuchum, unaquaeque pagina in duas, ut vocant, columnas dividitur, quarum altera textum Hebraeum exhibet, altera notandis diverſitatibus Samaritani textus eſt deſtinata; quod ita fit, ut, ubi ambo conveniunt, ponantur lineolae transverſae (- - -), quae ſingulis vocabulis in textu Hebraeo exacte reſpondeant; ubi vero diſcrepant, varietates, in eadem ſerie, expresſae notentur; ita ut nulla ſit varia lectio, quae non, primo ſtatim obtutu, inſpicienti in oculos incurrat. Reliquorum vero codicum Samaritanorum diverſitates in loco ab Hebraicis diſtincto ſeparatim enumerantur.

Porro facta plerumque eſt, & ſeorſim a variis codicum lectionibus exhibita locorum parallelorum accurata comparatio, in qua uterque textus ſic eſt diſpoſitus, ut convenientia vel diſcrepantia cujuſque literae mox a lectoribus percipiatur. Denique in hoc etiam ſingularem laudem meretur Kennicottus, quod, quaecunque in Sacro Codice poëtice ſcripta ſunt, poëtico more, in hemiſtichia diſtinxerit; quod, in vulgaribus editionibus male neglectum, plurimos ſaepe interpretes in errorem induxiſſe, apud omnes in confeſſo eſt, qui de poëſeos Hebraicae ratione recte didicerunt judicare.

Satis dictum eſt de externo habitu atque forma hujus editionis, quae porro a chartae nitore, ſplendidisſimaque typorum elegantia mirifice commendatur. Pergamus ad alia, eaque graviora, & videamus, quid in colligendis diſponendisque variis lectionibus Kennicotti curae atque induſtriae debeamus.

Fuerunt autem jam inde ab eo tempore, quo primum coepit conſilium Kennicottianum innoteſcere, qui id ferrent animo iniquiore, ſolam fieri conſonantium, nullam vocalium collationem: nam, quidquid de horum punctorum origine & antiquitate ſtatuatur, id quidem conſtat, ea in antiquisſimis, qui nunc extant, codicibus reperiri; unde facile intelligitur, potuiſſe in libris recentioribus, quibuſcum editos maxime conſentire ſaepius eſt a Kennicotto obſervatum, levi unius puncti mutatione, lectionem ali-

aliquam ita depravari, ut ſenſus oriatur, vel nullus, vel a mente auctoris plane alienus; quod ſaepius accidisſe, haud est probatu difficile. Sic *Judic.* XV, 16. valde est veriſimile, hodiernam lectionem חֲמוֹר חֲמֹרָתָיִם, in qua explicanda tanta est interpretum fluctuatio; aliis reddentibus *aſinus*, *aſini duo*, ſenſu contorto & fere inepto; aliis paullo melius, nec tamen ſatis convenienter uſitato loquendi mori apud Hebraeos, *acervum acervos duo*, i. e., *unum effeci*, *imo alterum proſtratorum cumulum*: hanc igitur lectionem veriſimile est, ex חָמוֹר חֲמַרְתִּים, *turbando eos turbavi*, fuisſe depravatam; quemadmodum Alexandrinos in ſuis codicibus habuisſe, non est quod dubitemus, cum reddant ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτούς. Sic etiam in uno capite XLIX Geneſeos ad illuſtrationem obſcuri carminis multum prodeſſet, ſi de punctorum in quibusdam vocibus integritate magis conſtaret, & quae mutationes, vel ex verſionibus, vel ex conjectura a nonnullis inducuntur, eae posſent codicum auctoritate dijudicari; ut v. 4. חִלְלָתָּ pro חִלַּלְתָּ, v. 10. שֶׁלֹּה pro שִׁלֹה, vel שֶׁלֹּה pro שִׁילֹה, v. 13. לַחוֹף אניות pro לְחוֹף אניות, v. 21. אֵילָה pro אַיָּלָה, v. 24. מִשֵּׁם pro מִשָּׁם, & quae, centenis in locis, plura ſunt his ſimilia.

Etſi igitur de necesſitate conferendorum punctorum vocalium est nobis omnino perſuaſum, valde

 ta-

praemiis ad taedium laboris adducerentur, tam ſevera lege adſtrinxisſet, ut nihil non animadverſum relinquerent, quod ab editione Hooghtiana vel in minimis recederet, multa fuisſent ab iis praetermisſa, tanquam levia, nec notatu digna, quae tamen eruditis pretioſa ſunt, magnumque habent in re Critica momentum. Deinde vero, ſi ipſe Kennicottus hanc ſibi ſumſisſet libertatem, ut, delectu quodam habito, non omnem exhiberet, quam acceperat, variarum lectionum copiam, perpetuam praebuisſet adverſariis culpandi materiam, nec evitare potuisſet obtrectationes malignorum hominum, qui ejus judicium in lectionibus deligendis minus probarent.

Codices habuit Kennicottus, tam ſcriptos, quam editos fere 700, quos, vel integros contulit, vel in ſelectis tantummodo locis inſpexit: quare, cum non idem ſit, in omnibus libris Sacris, codicum collatorum numerus, ad finem cujusque libri catalogum addidit eorum, ex quibus variae lectiones ſunt annotatae. Sic v. c. in fine Geneſeos indicatur: *Hebraicos codices ſcriptos per totum collatos esſe* 97; *in locis ſelectis* 223; *impresſos per totum collatos* 17; *in locis ſelectis* 21; *Samaritanos codices ſcriptos per totum collatos* 11; *in locis ſelectis* 7; *in univerſum igitur adhibitos esſe codices* 376.

Quaenam autem ſit horum codicum auctoritas, & quomodo igitur ipſae lectiones aeſtimandae ſint,

non

non prius conſtabit, quam prodierit diſſertatio generalis, cum volumine ſecundo edenda, in qua univerſum hoc argumentum accuratius exponatur. Etſi vero laudandus eſt Kennicottus, quod edendi initium non fecit a prolegomenis, quae, interea dum opus excuditur, multum expoliri poterunt atque augeri, in eo tamen nobis videtur merito reprehendendus, quod plane nullam adjecit codicum notitiam, adeoque verum criticumque uſum hujus voluminis hactenus impedivit. Nimirum metuebat, *ne, ſi quid de his ante editum tomum ſecundum innotesceret, continuo in gravisſimas lites, acerrimasque dimicationes, totum ſe injiceret; quandoquidem imperfectum opus ad examen revocantibus, & cum codicibus MStis comparationem inſtituentibus, aliis invidia, aliis ſua ipſorum imperitia facile perſuaſisſet, ut ad operis hujus exiſtimationem minuendam ſemet accingerent.* Omnino credimus, vere eum praevidisſe, quae futura fuisſent, ſi huic noſtro deſiderio ſatisfecisſet; ſed ei viro, quem praeclara in Codicem Sacrum, inque univerſam adeo religionem, merita ad tam inſigne honoris atque gloriae faſtigium evexerunt, in quo a nemine hodie ſuperabitur: huic igitur viro nollemus id accidisſe, ut iniquorum hominum cavillationes magis extimesceret, quam bonorum commodis proſpiceret. Etiamſi enim vel maxime id egisſent adverſarii, ut codices, quibus Kennicottus uſus erat, conferrent, & quos errores deprehende-

bant, hos ei exprobrarent, nemo profecto fuiſſet, aequus harum rerum arbiter, qui hoc obtrectatorum conſilium probaret, & a Kennicotto poſtularet, ut cauſſam diceret, ac diluendis malevolorum criminibus tempus perderet. In tali certe opere miraculi fere loco habendum fuiſſet, ſi ab iis, qui in codicibus conferendis occupati erant, nunquam fuiſſet erratum, cum non eadem ſemper remaneat, quae ad hunc laborem affertur, alacritas, & attentio; ſi nihil unquam ipſius Kennicotti curam aut diligentiam effugiſſet; ſi denique nulla irrepſiſſent operarum vitia.

Exiſtimamus igitur, hunc defectum, etſi, prodeunte volumine ſecundo, mox reparandum, interea temporis gravem eſſe, & eruditis valde moleſtum. Nec tamen opus fuiſſe putamus, ut ipſi codices accurate deſcriberentur; ſed ſufficeret talis index, qualem poſt prolegomena dedit Wetſtenius: qui index id praeſtitiſſet, ut, ſi quis aliquos codices, vel haberet, vel noſceret, videretque quo numero eſſent notati, (ſunt enim omnes numerice expreſſi) de lectionum pretio, ex illorum codicum auctoritate, melius poſſet ſtatuere.

Et haec quidem praecipua ſunt, quae de Kennicotti conſilio videbantur nobis dicenda. Supereſt, ut exempla nonnulla apponamus, ex quibus appareat, quaenam lux difficilioribus locis, ex hoc opere, accedat.

Et primum in textu Samaritano tanta eſt variarum lectio-

lectionum copia, ut pauca ſint commata, quae non aliqua ratione ab Hebraico textu diſcedant. Has vero diverſitates ubi attentius perluſtramus, id quidem certo deprehendimus, plerumque leviores eas eſſe, nec id momentum habere, ut in eum, quem nunc habemus, Hebraeum Pentateuchi codicem inſignem quandam mutationem inducant. Etenim longe maxima pars poſita eſt in additione, vel omiſſione, ſive copulae, ſive articuli, ſive literarum אהוי; cujusmodi lectiones, etſi in re Critica non ſunt omnino contemnendae, in univerſum tamen habent exiguam utilitatem; cum revera ad intelligendam Sacri Auctoris mentem parum plerumque referat, utrum v. c. ſcripſerit מריע, an מרע; מאורות, an מארת, & quae ſunt hujus generis fere infinita.

Sed ipſa illa tam mirabilis convenientia plurimum valet ad ſtabiliendam hujus textus auctoritatem, de qua multum ſaepe eſt & acriter a viris doctis diſputatum. Nam primo quidem id luculenter evincit, unum eundemque eſſe textum Moſaicum a Samaritanis & Judaeis deſcriptum, nec alterutram gentem in ſuis codicibus tot loca depravaſſe, ac vulgo ab iis creditur, qui, vel in extollendo, vel in extenuando alterius codicis pretio, modum excedunt. Deinde vero in iis lectionibus, quae, vel ſenſum fundunt plane diverſum, vel tollunt difficultatem, quae eſt in codice Hebraico, vel elegantius quid habent & exquiſitius: in his igitur recte ſtatuerunt Cri-

Critici, maximam eſſe Samaritani textus auctoritatem, propter ipſius & antiquitatem, & conſenſum cum verſione Alexandrina. Quare operam paſſim dederunt optimi quique interpretes, ut in difficilioribus locis hunc codicem conſulerent, veramque Pentateuchi Moſaici lectionem ex tam egregio fonte reſtituerent.

Jam vero, quod valde optabamus, ut inſigniores hujus textus lectiones auctoritate codicum Hebraeorum Kennicotti confirmarentur, id, etſi plurimis in locis ſecus evenit, tamen non ſine voluptate deprehendimus, ſaepius accidiſſe, quam fere poteramus exſpectare; ſiquidem antiquitate ipſa Samaritanus textus tantum praeſtat exemplis, quae adhuc ſuperſunt, ſcriptis librorum Hebraicorum, ut ille bis mille abhinc annis factus ſit, horum vel antiquiſſimus vix octingentorum aetatem habeat annorum. Ex hoc igitur genere exempla quaedam apponamus.

Gen. XXII, 13, in vulgatis editionibus dicitur Abrahamus vidiſſe איל אחר *arietem a tergo*, ſive *pone*, *in dumo haerentem*, cet., ſenſu quidem plano & facili, ſed contra conſuetam nominis אחר conſtruendi normam, cui plerumque additur aliud nomen, ad quod praepoſitio pertinet. Melius igitur in textu Samar. אחד, & in verſione Alexandrina, κριὸς εἷς; quae lectio 9 codicibus plane firmatur; in 17 vero pro אחר per emendationem est ſubſtituta. Porro etiam 6 ſunt, qui אחר quidem exhibeant, ſed in qui-

quibus eraſae ſcripturae veſtigia ad alteram lectionem videantur ducere.

Cap. XLI, 43, ונתון אתו על כל ארץ מצרים Samar. ונתן. Alex. κατέστησεν αὐτὸν. Omnino melius. Quod enim interdum infinitivus pro verbo finito uſurpatur, id tantummodo obtinet, vel in dictione poëtica, vel tali oratione, cui gravior quidam ſubeſt animi affectus; numquam in narratione ſimplici & hiſtorica. Congruunt 8 codices; etſi, nulla vocalium ratione habita, ignoramus, utrum ſcriptum ſit, נָתֹן an נָתַן.

Cap. XLIX, 4, פחז כמים, Samar. פחזת. Alex. ἐξύβρισας, quam lectionem antiquitus etiam in libris Hebraeis obtinuiſſe, teſtis est Hieronymus, qui diſerte affirmat (Quaeſt. in Genes.) *In Hebraeo ita ſcriptum est: effuſus es ſicut aqua.* Sed nihil tale in codicibus hodiernis.

v. 5, כלי חמס, Samar. כלו. Alex. συνετέλεσαν. Nihil in MSS.

Levit. VII, 21, בכל שקץ טמא, Alex. παντὸς βδελύγματος ἀκαθάρτου; ſed Samar. בכל שרץ טמא, magis convenienter mentioni, quae praeceſſerat, *hominum & quadrupedum.* Sic igitur 5 codices.

Deuter. X, 6, in hodierno textu Maſorethico multa deſunt, ex Samaritano certisſime reſtituenda: ſic enim Hebr. *& profecti ſunt Iſraelitae a Beeroth Bene Jaakan verſus Moſeram, ubi Aaron mortuus est* –

ſed

ſed Samar. *profecti ſunt Iſraelitae a Moſeroth, & caſtra metati ſunt in Bene Jaakan; inde -- in Hadidgad; inde -- in Jotbathah, regione rivis aquarum inſigni; inde -- in Ebronah; inde -- in Ezion Gaber; inde -- in deſerto Zin, quae est Kades; inde -- in tractibus montanis Hori, ubi Aaron mortuus est.* Quam lectionem veram eſſe, ipſamque illam, quae est ab Auctore Sacro profecta, nemo dubitabit, qui conferat Numer. XXXIII, 31--38, (quo Kennicottus, in nota ſubjecta, lectores ablegavit) & Numer. XX, unde patet, Aaronem non eſſe mortuum *Moſerae*, ſed *in monte Horitico, prope regionem Idumaeorum.* Neque tamen est vel unicus codex Hebraicus, qui hanc lectionem confirmet. Nimirum confirmari non poterat, ſiquidem probabile est, corruptum jam ante confectam verſionem Graecam, adeoque ante Chriſtum natum, fuiſſe locum: vid. Kennicott. Diſſert. II, c. 4.

Videamus porro, an ex codicibus Kennicottianis quidquam ſtatui poſſit de verſionis Alexandrinae auctoritate, ubi ab Hebraeo codice diſſentit.

Deuter. XXXII, 43; Hebr. & Samar. הרנינו גוים עמו Alex. *εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ, εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ Θεοῦ.* Primum ergo pro עמו legerunt את עמו, veramque eſſe lectionem, manifeſto ap-

apparet ex Epiſt. ad Rom. c. XV, 10; ubi, eadem ratione, ipſa illa verba a Paullo adducuntur. Superſunt autem 2 codices, in quorum altero את עמו legitur, a prima manu profectum; in altero autem את videtur poſtea eraſum. Sed quod in ſuis codicibus legerunt etiam προσκυνησάτωσαν cet, quodque in Epiſt. ad Hebr. c. I, 6, veriſimiliter ex hoc loco adducitur, id in hodiernis libris plane non reperitur.

Jos. III, 3, הכהנים חלוים Gr. τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς Λευίτας. 8 codices etiam copulam praemittunt.

Cap. XV, 60. In enumeratione urbium, quae tribui Judae erant ſorte aſsignatae, undecim in Graeca verſione adduntur, quarum nulla mentio in textu Hebraeo, quasque revera ad hanc tribum pertinuiſſe, vel ſola evincit urbs Ephrata, ſive Bethlehem, quae, inter alias, a Gr. recenſetur. Sed nullus est codex Maſorethicus, qui cum Alex. hoc loco conveniat. Neque tamen exiſtimamus cum Kennicotto, (Disſert. II, c. 1.) Judaeos odio Chriſtianorum ductos, ne Bethlehemum, Chriſti patriam, commemorarent, totam hanc periodum, data opera omiſisſe; cum multo ſit veriſimilius, vocabulum חרציהן. quod ante, & poſt omisſa vocabula occurrit, librarios in errorem induxiſſe.

Cap. XXI. Gr. verſio post v. 35 addit 2 commata, quae, etſi ad conſtituendum totius capitis ſenſum omnino ſunt necesſaria, tamen, Maſorctharum auctoritate, in plerisque editionibus deſiderantur.

Jam

Jam vero ex 308 codicibus, qui ſunt in hoc capite collati, docet Kennicottus, eſſe, ex MSS. 126, ex editis 23, qui cum lectione Alexandrinorum, quam expreſſerunt quoque verſio Syriaca, & paraphraſis Chaldaica, egregie conſentiant. Nimirum ſic legunt plerique: וממטה ראובן את בצר את מגרשה ואת יהצה ואת מגרשה: את קדמות ואת מגרשה את מפעת ואת מגרשה ערים ארבע: Alii autem post ראובן addunt: את עיר מקלט הרצח, τὴν πόλιν τὸ φυγαδευτήριον τοῦ φονεύσαντος. Alii denique etiam id exhibent, quod legerunt Graeci, ἐν τῇ ἐρήμῳ במדבר.

Judic. XVI, 18, כי הגיד לה, Alex. melius; ὅτι ἀπήγγειλέ μοι. 67 codices כי הגיד לי.

1 Sam. VI, 18, אבל, Gr. λίθου. 3 codices אבן.

Cap. XVII, 7, וחץ חניתו, Gr. ὁ κοντὸς τοῦ δόρατος αὐτοῦ. 14 codices ועץ.

v. 34. זה, Alex. πρόβατον. Atque ſic ultra 200 codices, in quibus est שה.

Denique videamus, an conjecturis etiam quibusdam virorum doctorum, quibus locos, quos corruptos putarent, emendare conati ſunt, ex variis lectionibus Kennicottianis, aliquid auctoritatis accedat.

Gen. XLIX, 6, עקרו שור. Egregia est conjectura, quam, in Diſſert. I, propoſuit Kennicottus, legi jubens שר, integrumque locum ſic vertens: *in ira ſua occiderunt viros: & in furore ſuo extirparunt* *prin-*

principes, quod nemo eſt, in hoc genere vel leviter exercitatus, quin ſtatim animadvertat, multo melius convenire cum parallelismo poetico, ſive peculiari illa poeſeos Hebraicae ratione, qua duo membra ita collocantur, ut alterum alteri perfecte reſpondeat, & veluti recinat. Sed nihil plane eſt in codicibus, unde aliquid praeſidii huic conjecturae petendum ſit; neque vel unicus eſt, qui שר pro שור exhibeat, quod eo magis miramur, quo frequentior eſt in MSS. permutatio Cholem defectivi, & Cholem pleni. Si vero, in collatione vocum, potuisſet etiam ad puncta vocalia attendi, conſtaret utrum שׁוֹר legendum ſit, ut vulgo, an שׁוּר, quod eſt ab Aquila, Symmacho, & Hieronymo expreſſum, & quam lectionem omnino exiſtimamus alteri eſſe praeferendam. Habet enim vulgata lectio עקרו שׁוֹר, *ſubnervarunt tauros*, hanc difficultatem, quod cap. XXXV, 28, dicuntur Simeon & Levi, in atroci Sichemae excidio, *armenta boum*, *minoresque greges ſecum abduxisſe*, quod, inciſis nervis, fieri certe non poterat. Quare, ut diximus, legendum videtur שׁוּר, reddendumque cum Hieronymo: *Suffoderunt*, *penitus everterunt*, *murum*.

Exod. XVII, 16, 17, *Extruxit Moſes altare*, *quod vocavit* יהוה נִסִּי *Jehovah: ſignum meum* כי יד על כס יה. מלחמה. Locus difficillimus, & vix explicandus, ſi in recepta lectione acquieſcatur. Nec aliquid adjumenti ferunt textus Samaritanus, aut verſio

H

ſio Graeca: Samaritanorum enim כסא pro כס יה nullam efficit in ſenſu mutationem; quod vero habent Alexandrini: ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ Κύριος, recte obſervat Clericus, ortum videri ex conjectura, qua legendum putarent: ביד כסויה נלחם יהוה, nec orationis feriem aliqua ratione illuſtrat. Itaque ſemper exiſtimavimus, non poſſe hunc locum recte intelligi, niſi cum Clerico, cui jam praeiverat Seb. Caſtalio, vir elegantis ingenii atque doctrinae, pro כס legamus נס, integrumque comma ſic explicemus, ut ratio detur nominis יהוה נסי, quod erat altari a Moſe impoſitum: *Manus* (Amalekitarum) *contra ſignum Jehovae*; vid. v. 8--13. Quid vero codices? Nempe *unus* est, qui tam egregiam lectionem auctoritate ſua confirmet, ſimul autem, pro יה, ſubſtituat יה, adeoque novam difficultatem huic loco injiciat.

Sed accuratius de hoc opere ſtatuere potuisſemus, ſi primo huic volumini adjecta fuisſet codicum ſcriptorum, quibus uſus est Kennicottus, recenſio. Quamquam illud quidem cognovimus, & alii ex noſtra diſputatione cognoſcent, paucis V. T. locis, vel induci inſignem mutationem, vel accedere medelam ac lucem, ex iſta tanta variarum lectionum copia. Quod quidem minime Kennicotti culpa accidit: cujus opera ab omnibus grate agnoſcenda, & omni laude celebranda est. Nam, ut ſpes, quam in hoc opere collocarant homines docti, emen-

emendandi Veteris Teſtamenti, non fuerit expleta, opus tamen ipſum effectum est. Cognovimus, textum Hebraeum confirmari ingenti librorum ſcriptorum conſenſu: de hac Critices Sacrae parte quid ſtatuendum ſit, intelleximus: quid porro ex ea exſpectandum ſit, judicare didicimus. Praeterea, leviore etiam varietate lectionis, vel textum ſaepe planiorem, certiorem, magisque perſpicuum efficere posſumus, vel quaſi veſtigiis ad veram ſcripturam deducimur. Itaque vehementer optamus, ut, qua uſus est Kennicottus, in primo volumine, cura, diligentia, induſtria, eadem propediem ſecundum volumen nobis abſolvat.

V.

Diſſertatio, de Vita & Scriptis Longini; — praeſide Dav. Ruhnkenio. (4 *plag. formae quartae.*) *Lugduni Batav.* 1776.

Inter omnia criticae artis munera illud, ſine dubio, maximam cum humanitate habet conjunctionem, quod magnorum ingeniorum memoriam inſtaurat, operumque, temporis injuria perditorum, notitiam excitat, ac poſteritati ſtudioſae commendat. Neque enim, profecto, hoc quidquam, vel ad humanitatis ſcientiam praeſtantius, vel ad vitae uſum fructuoſius eſſe poteſt. Ex quo genere haecce eſt Diſputatio de vita & ſcriptis Longini. Quam quidem plenam eſſe exquiſitae accurataeque doctrinae, facile ex nomine Ruhnkeniano intelligitur. Sed nobis haud minus animadvertenda videtur ſcribendi illa, quae vulgo a doctis etiam viris negligitur, cum ſimplex nativaque venuſtas, tum perſpicuitas elegantiaque in explicandis illuſtrandisque vitis, moribus, ingeniis. Quare primum ipſius verbis auctoris de vita & ingenio Longini referemus; quam partem nemini non cognitu jucundisſimam fore confidimus; deinde de ejus ſcriptis, & hujus diſputationis bonis, ſummatim exponemus. Audiamus ipſum auctorem.

„ Quamquam bonae literae & praeclara ingenia ſeculo tertio una cum ipſo imperio Romano conci-

de-

derunt, tamen, in tanta etiam converſione rerum ac perturbatione, fuit aliquis excellentium virorum proventus. Quorum longe principes numerantur in primis duo, Longinus, cui vel meliora tempora perpaucos pares tulerunt, ac Porphyrius, e Longini disciplina profectus, & ad magiſtri laudes, quamquam longo intervallo, proxime accedens. Porphyrii vitam, ſtudia, & ſcripta Lucas Holſtenius, vir magna & recondita eruditione, tam accurate enarravit, ut exemplum dederit talis hiſtoriae bene ſcribendae. At Longini memoriae qui pari & cura & doctrinae copia conſuleret, adhuc ſcimus repertum eſſe neminem. Quo magis convenit, eandem illi, aut etiam diligentiorem, ſi fieri poteſt, operam navare (§. 1.) -- Plenum ejus nomen erat *Dionyſius Casſius Longinus.* Graeco *Dionyſii* nomini, quod infans acceperat, Romanum *Casſii Longini* acceſſit, ſive quod ipſe in familiae Caſſiae Longinae clientelam receptus eſſet, ſive quod ejus majores per aliquem ex Caſſiis Longinis civitatem accepiſſent (v. 2.) -- Quo anno Longinus natus ſit nemo commemoravit --. Sed quid natalem diem annumve ſcire attinet, cum aetas ejus ſatis certis & perſpicuis indiciis teneatur? Nam ſi magiſtrum viginti annis diſcipulo Porphyrio, qui A. C. 233 natus eſt, grandiorem fuiſſe ponamus, natalis ejus incidit in A. C, 213, vixitque adeo Longinus 60 annos, quoniam certum eſt, eum A. C. 273 periiſſe. Non minus incertus eſt ejus locus na-

talis. Alii ex recentioribus eum Palmyrenum, alii Syrum faciunt, Langbaenius Pamphylium, confundens perperam Dionyſium Longinum cum Dionyſio Phaſelite. -- Equidem multo pronior ſim in ſententiam J. Jonſii, de Script. Hist. Phil. III, 14, Athenas Longino patriam tribuentis. Hic certe ejus avunculus Phronto, Emiſenus, ex cujus ſorore Phrontonide natus est Longinus, artem rhetoricam docebat: qua de re egregius est locus Suidae V. Φρόντων Ἐμισηνός. Phronto, dum vixit, Longinum in filii modum amavit, & moriens bonorum ſuorum heredem ſcripſit. Nec dubitari potest, quin idem ejus ingenium ad omnem humanitatem finxerit, eique viam, qua ad veram eloquentiam iretur, monſtrarit, praeſertim cum aemulatio, Phrontoni cum Philoſtrato & Apſine intercedens, cujus Suidas mentionem facit, vix ſineret ſororis filium aemulorum disciplinae commendari (§. 3.) -- Ipſe Longinus in praefatione luculenta libri περὶ τέλους, quam Porphyrius in Vita Plotini p. 127. conſervavit, narrat, ſe ab ineunte aetate cum parentibus multa itinera obiisſe, multas regiones luſtrasſe, & omnes, qui clarum in Philoſophia nomen haberent, per hanc peregrinandi opportunitatem vidisſe. Ex quo, quantam facultatem habuerit optimi cujusque magiſtri ſibi legendi, facile judicari potest. Ex Platonicis vidit Euclidem, Democritum, Proclinum, Ammonium Saccam, Origenem, Plotinum, Amelium, Theodotum,

dotum, Eubulum: e Stoicis Themiſtoclem, Phoebionem, Annium, Medium, Herminum, Lyſimachum, Athenaeum, Muſonium: ex Peripateticis Heliodorum Alexandrinum, Ammonium, Ptolemaeum. Quorum omnium, ſi Ammonium Saccam, Origenem, Plotinum & Amelium excipias, vix tenuis notitia ad nos pervenit; propterea, quod alii nihil literis prodiderunt, aliorum libros intercepit vetuſtas. (§. 4.) --. Hi ſunt ineuntis ſeculi tertii Philoſophi, cogniti omnes a Longino. In quibus cum ingenio ſcientiaque longe excellerent Ammonius Saccas & Origenes, horum ſe potiſſimum disciplinae tradidit, iisque audiendis multum temporis conſumſit (§. 5.) -- Jam etſi Longinus Ammonium, Origenem, Ammoniique discipulum, Plotinum aliis aetatis ſuae philoſophis anteferebat, non tamen idcirco exiſtimandus est, philoſophandi rationem, quam illi ſequerentur, per omnia probaſſe; praeſertim cum disſenſionem ſuam a multis Plotinianis, aut, ſi maluis, Ammonianis decretis prae ſe ferat in Epiſtola ad Porphyrium, quam ille inſeruit Vitae Plotini p. 125. Longinum ignoret oportet, qui credat, tali ingenio placuiſſe duram & contortam philoſophorum, qui conciliari nollent, conciliationem, inſanum allegorici ſive ſecretioris ſenſus quaerendi ſtudium, myſticas disputationes de Deo, divinisque emanationibus & Daemonibus, quibus omnes illorum libri ſunt referti, alia denique multa, hic non attingenda,

da, quibus tum vera & ſincera mens Platonis obſcurabatur. Non ille e turbidis recentiorum Platonicorum hauriebat rivulis, ſed liquidos puroſque antiquorum Philoſophorum, maxime Platonis, fontes conſectandos putabat. Quo nomine φιλαρχαῖος veriſſime appellatus est a Porphyrio in Vita Plotini p. 116.-- Omnino germanum Platonicum fuiſſe Longinum, non modo clarum est ex libris, aut fragmentis potius librorum; quae ſuperſunt, ſed multo magis ex Commentariis ad Platonem interpretandum comparatis. Ejus Commentarium in Phaedonem memorat Olympiodorus Commentario inedito in eundem dialogum p. 379. Ejuſdem Commentarium in Timaeum, vel potius in prooemium Timaei, ſaepe laudat Proclus in eum dialogum. Non facile putem, ullum interpretem tantis ingenii & doctrinae praeſidiis ad ſcriptorem aliquem explicandum, quantis Longinus ad Platonem, acceſſiſſe. Cujus libros utinam fanaticorum interpretum, Procli, Hermiae & Olympiodori jactura redimere liceret! Paucas admodum Longini explicationes Proclus, quippe veram interpretandi rationem prae myſtica ſua contemnens, afferendas putavit. Tamen ex paucis illis apparet, eum non ſolum res, ſed, quoniam Plato a ſcribendi quoque elegantia ſpectari voluit, etiam verba perſecutum eſſe. Exempla ſunt apud Proclum ad Tim. p. 19. 21. 26. 27. 28.-- Ita cum Longinus Philoſophiae ſeveritatem exquiſitioris doctrinae ſua-

vitate temperarit, quid miramur, ſi, qui ſe res, non verba ſectari jactarent, parum magnifice de illo ſenſerint. Plotinus quidem, durior ad haec ſtudia, lecto ejus libro περὶ ἀρχῶν, teſte Porphyrio in ejus Vita p. 116, exclamavit: Φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς. Quam vocem, velut oraculo miſſam, repetit Proclus, eruditior ille quidem Plotino, ſed eodem morbo laborans, in Plat. Tim. p. 27. Sed hujus judicii iniquitas unde profecta ſit, non eſt difficile intelligere. Urebat haud dubie hominem, ſuam de ideis ſententiam, quam diſcipuli, ut fit, laudibus in coelum ferrent, idoneis rationibus a Longino oppugnari. Huc adde, barbarae & ſpinis metaphyſicis horridae ſapientiae numquam bene convenire cum elegante & diſerta. Etiam nunc reperiuntur, praeſertim de ſcholaſtica Wolfii diſciplina, qui paulo elegantius philoſophantes, philologos potius, quam philoſophos, appellent. (§. 6.) ---. Longinus vero, eum juſtas doctrinae copias & a magiſtris Alexandrinis, & ab aliis, quos in peregrinatione audierat, ſummo ſibi ſtudio paraſſet, eas Athenis, ubi natus educatusque erat, explicare inſtituit, docuitque juvenes haec ſtudia aemulantes tanta aſſiduitate, vix ut ei tempus ſupereſſet ad condendi eloquentiae ſuae monumenta, ſi vera nobis narrat Joannes Siceliota Commentario MS. in Hermogenem. Hic ejus diſciplina uſus eſt Malchus, domo Tyrius, cujus patrium nomen, Grae-

cis auribus moleſtum, Longinus in Πορφύριος mutavit. Qua in re Eunapius in Pophyrio p. 13. disſentit ab ipſo Porphyrio Vit. Plotin. p. 120. & ipſo Longino Praef. libri περὶ τέλους p. 131. -- Sed hoc utcunque accipiatur, parum referre arbitror. Illud magis convenit quaerere, quid Longinus Athenis profesſus ſit, artemne criticam, vel grammaticam, ut Langbaenio in ejus Vita videtur, an philoſophiam, ut Valeſio ad Euſeb. H. E. VI, 19, & de Critica I, 17. Valeſii veram esſe ſententiam multis rationibus certum est. (§. 89.) -- Etſi vero Longinus ſe Athenis philoſophum dici haberique voluit, hoc tamen non eam vim habet, ut, quod Valeſius efficere tentat, ſe in docendo unius philoſophiae finibus continuerit, nullam praeterea artem attigerit. Cum enim ipſe, Platonis ſui exemplo, ut bene judicat idem Valeſius de Crit. I, 16, eloquentiam & ceteras artes, quibus eloquentia alitur & augetur, cum philoſophia conjunxisſet, Criticesque ſtudium Ariſtotelis aemulatione asſumſisſet, quae tandem ſive lex, ſive conſuetudo illum impediit, quo minus ſuae quoque in hoc genere ſcientiae copiam discere cupientibus faceret? Porphyrium Criticam & Rhetoricam a Longino accepisſe diſertus teſtis est Eunapius in ejus Vit. p. 13. quem injuria reprehendi a Valeſio ſatis oſtendit locus Joannis Siceliotae MS. Verum tamen Critices ſcientia latius, quam philoſophia nomen ſuum illuſtravit, non quo hac facultate minus excelleret,

ut

ut Holſtenium in Vit. Porphyr. p. 29. exiſtimaſſe video, ſed quod, ut mea fert opinio, corrupta jam per recentiores Platonicos philoſophia, ſerum erat, homines ad veteres doctrinarum fontes, atque adeo ad ſanam mentem revocare. Qui fanaticae philoſophiae amor cum Porphyrium, diſcipulorum Longinianorum praeſtantiſſimum, ita infatuaſſet, ut, deſerto Longino, ad Plotinum tranſiret, quid alios minus acutos & adverſus novitatis illecebras minus cautos, feciſſe arbitramur? Critica igitur docenda gloriam ſuam, omnium confeſſione, maxime fundavit. Quam artem, nemo neſcit, partim ex inſita ingenii ſollertia, partim ex magna doctrinae copia efflorescere. Atque Longinum ita ab eruditione laudat Eunapius, ut eum βιβλιοθήκην ἔμψυχον & περιπατοῦν μουσεῖον vocet. Sunt fortaſſe haud pauci, quibus Eunapius Longinum pulcre & feſtive laudaſſe videatur, Sed, ut diverſi ſunt ſenſus hominum, ego facile credam T. Fabro ad librum *de ſublim.* 3, Longinum ipſum, ſi ſe ſic laudari audiſſet, non minus *viventem* iſtam *bibliothecam* & *ambulans muſaeum*, quam Gorgiae *vivum ſepulchrum*, τάφον ἔμψυχον, riſurum fuiſſe, Ab hac igitur facultate Longinus *Critici* nomen invenit (§. 9.)-- Athenis poſtquam Longinus bonam vitae partem, cum juventute erudienda, tum praeclaris ingenii monumentis condendis exegiſſet, patria relicta in Orientem abiit, ſive ut conſanguineos, Emiſae habitantes, inviſe-

viſeret, ſive ut ibi hereditarium negotium ageret. Per hanc, ni fallimur, occaſionem cognitus est a virilis animi muliere, & nulli priscarum heroidum ſecunda, Septimia Zenobia, quae tum Orientis imperium tenebat. Quae non minore ingenio, quam animo, praedita, cum bonas artes adamaret, Longinum Graecarum literarum magiſtrum adhibuit. Quo uno, ſi quid judicamus, argumento concidit fabula de Zenobiae Judaismo, ſaepe jactata ab Eccleſiae Patribus. Quis enim credat Judaeam Graecarum literarum magiſtrum, eumque philoſophum, expetiisſe. Cujus gentis quantum in Graecas literas & philoſophiam odium fuerit, nil attinet disputare post luculentam demonſtrationem Erneſti V. Cl. Opusc. Philol. p. 408. Unde igitur iſta manavit fabula? Nempe ab immoderata & minime Chriſtiana maledicendi licentia, quam illius aetatis orthodoxi ſibi in quoslibet a ſe disſentientes ſumebant. Accuſatus erat Paulus Samoſatenus, cum ob alias opiniones, quas referre longum est, & haud necesſarium, tum ob Judaismi ſuſpicionem; mox etiam Patrum decreto Episcopatu Antiocheno dejectus. Hunc ab adverſariis vehementer exagitatum, cum Zenobia, mulier philoſopha, & in religione diverſa ſentientes facile ferens, tuendum ſuscepisſet, orthodoxi dolorem quem inde ceperant, ulciscentes, non modo Paulum Samoſatenum ad ſacra Judaica tranſiisſe, ſed ejus etiam patronam Judaeam esſe, ſuo jure clamarunt.

runt. Fuerunt inter recentiores, qui, ut error errorem parere ſolet, Moyſen a Longino in Zenobiae gratiam laudatum exiſtimarent. Quorum opinio tum aliis de cauſſis parum probabilis est, tum quod Longinus librum περὶ ὕψους, & reliqua opera omnia, uno libello, quem de Odenathi laudibus ſcripſit, excepto, Athenis, antequam in Zenobiae notitiam veniſſet, edidiſſe videtur. Nam Palmyrae nulla librorum edendorum facultas dabatur, deficientibus quorum manu uteretur, ut ipſe in Ep. ad Porph. p. 124. queritur. Ne otium quidem ad talem ſcriptionem ab aliis rebus erat. Venerat ille quidem in aulam Palmyrenam, ut Zenobiam Graecis literis erudiret. Sed mox Zenobia, cum ipſa imperii habenas capeſſiviſſet, & ſummam rerum gerendarum prudentiam in Longino perſpexiſſet, ejus maxime conſiliis regnum adminiſtrare ſtatuit. Tum Longinus pro illo libertatis amore, qui magnis ingeniis proprius eſſe ſolet, Zenobiae animum addidit ad jugum Romanum excutiendum, in hoc etiam imitatus Platonem ſuum, qui Dionem a ſe eruditum pari ratione ad patriam liberandam impulit & armavit. Tum, eodem auctore, Zenobia nobiles illas ad Aurelianum literas, quae ſunt apud Vopiſc. Aurel. 27, ſcripſit. Quae, cum plus ſpiritus, quam Zenobiae tempora ferebant, habere viderentur, Longino exitium attulerunt. Quippe Aurelianus, iis lectis, ita exarſit, ut mox Palmyra expugnata, de Longino ſupplicium ſumi juberet.

In

In hoc tam gravi caſu, neſcio, an Longinus quicquam viderit indignius, quam pro bonis conſiliis malam ſibi gratiam a Zenobia referri. Haec enim, cum ante omnibus in rebus virilem animum geſſiſſet, nunc mortis metu debilitata, ad muliebre ingenium rediit, id eſt, ſuam innocentiam jactavit, invidiamque belli, quod Romanis feciſſet, cum in alios, tum in Longinum, relegavit. At longe alium animum Longinus prae ſe tulit. Tali enim conſtantia, tali animi robore ſupplicium ſubiit, ut qui ipſe conſolandus eſſet, aliorum ex hac calamitate ſuſceptum dolorem conſolaretur. Ita ille in ipſo mortis articulo verum ſe philoſophum praeſtitit, ſanctiſſimumque Socratem, ad cujus normam & ſtudiorum & vitae rationem direxerat, etiam moriendo expreſſit. Cujus crudelem caſum ſi quis Platonica eloquentia prodidiſſet, non minus nunc Longini, quam Socratis morti illacrymaremur. Hoc modo periit vir maximus A. C. 273. (§. 11.) -- Equidem nil magis in Longino miror, quam tanti animi ingeniique virum, ſeculo tertio, ſervitute oppreſſo, & paene barbaro, quo omnes fortunae ſuae ſimilia & faciebant & loquebantur, extitiſſe. Verum cum ſeculum, quo vivebat, inſitam ingenii vim premeret, ipſum feciſſe arbitror, quod aliis natura tardioribus faciendum praecepit *de ſublim.* Sect. 9. Nempe veteribus, praecipue Platone & Demoſthene, legendis animum ad eam, quam in maximis minimis admiramur

extu-

extulit altitudinem. Ab eodem celſo elatoque animo profectum est, cum libertatis civilis ſtudium, cujus clara veſtigia impreſſit divino illo epilogo libri de Sublimitate, tum alterius, quae in ſententia libere dicenda, & in aliorum erroribus caſtigandis cernitur. Ex quo a Porphyrio. Vit. Plotin. p. 126. ἐλεγκτικώτατος dicitur. (§. 12.) -- Philoſophiam, quam profesſus est, in mores abiisſe, tametſi mors ejus ſatis ſuperque declarat, tamen hoc quoque ſit teſtimonio. Porphyrius diſciplinam ejus valere jusſerat, ut ſe ad meliorem, ſi Diis placeret, Plotini conferret. Quam levitatem tantum abſuit Longinus, ut ad contemtum ſui traheret, injuriamque injuriae referret, ut potius hunc ipſum deſertorem in ſuis haberet, Palmyram ad ſe invitaret, &, quanti eum faceret, libri περὶ ὁρμῆς dedicatione publice declararet. (§. 13.) --."

Sequitur, ut de Scriptis Longini, quorum magnam copiam extitisſe narrat Eunapius, ſummatim referamus. Primarium ejus opus fuit illud, quod vocabatur Οἱ Φιλόλογοι. De quo, cum vulgo etiam a doctisſimis hominibus ignoretur, accurate expoſuit Ruhnkenius §. 10. In hoc opere, quo potius, quam ullo alio, *Critici* nomen ſibi conciliavit, de antiquis ſcriptoribus in utramque partem judicavit, & quamdam ingeniorum velut cenſuram egit. De magnitudine voluminis ex numero librorum judicare licet: quippe cujus liber XXI. laudetur. Adferuntur quaedam

frag-

fragmenta Longini, ex ſcriptoribus cum editis tum ineditis, quae ex hoc opere ducta videntur. Perperam J. Jonſius Hiſt. Ph. Scr. III, 14. putabat, Longinum ibi de Grammaticis & Philologis egiſſe. Huc referenda τὰ περὶ Ξενοφῶντος, quae ipſe de Subl. Sect. 8. commemorat, & ejus judicium de Ariſtide ap. Sopatrum Proleg. in Ariſtid. p. 3. Unde apparet, Longinum praeter ſcriptores veteres, etiam aetati ſuae proximos recenſuiſſe.

Reliquorum ejus ſcriptorum nomina ſaltem enumerabimus. „ *De Demoſthenis oratione in Midiam.* Ἀπορήματα Ὁμηρικά. Εἰ Φιλόσοφος Ὅμηρος. Προβλήματα Ὁμήρου καὶ λύσεις. Τίνα παρὰ τὰς ἱστορίας οἱ γραμματικοὶ ὡς ἱστορικὰ ἐξηγοῦνται. Περὶ τῶν παρ᾽ Ὁμήρῳ πολλὰ σημαινουσῶν λέξεων. Ἀττικῶν λέξεων ἐκδόσεις β΄. Λέξεις Ἀντιμάχου καὶ Ἡρακλέωνος. Περὶ Ἐθνικῶν. *Scholia in Hephaeſtionis Enchiridion.* Περὶ συνθέσεως λόγων συντάγματα δύο. Τέχνη ῥητορική: de qua alias. Εἰς τὴν ῥητορικὴν Ἑρμογένους: in Catalogo Neſſel. Bibliothecae Vindob. P. IV. p. 14. extant enarrationes Hermogenis, excerptae ex Longino, Jamblicho, Syriano, Simplicio & aliis: ſed totus titulus mangonium ſapit. Περὶ Ὕψους: hic liber vere aureus, de quo omnium optime nobis judicaſſe videtur Boilavius in Praef. verſionis Gallicae, bono literarum & verae eloquentiae, quamvis mutilus, conſervatus eſt in uno codice

ce Pariſino, ex quo, quicquid codicum eſt in aliis bibliothecis, manavit. Nulla igitur, archetypo ſalvo, apographorum utilitas eſt, niſi in conferendis verbis ſectionis 8. ὡς κἂν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος usque ad verba ſect. 9. ἐν δὲ Φάει καὶ ὄλεσσον, propterea quod illae paginae ex archetypo, post facta jam apographa, exciderunt.-- *Commentarius in prooem. Timaei Plat. Commentarius in Plat. Phaedonem.* Περὶ ἀρχῶν, *de rerum principiis.* Περὶ τέλους, *de finibus bonorum & malorum.* Περὶ Ὁρμῆς, *de naturali impetu,* ſive, *inſtinctu. Epiſtola ad Amelium*, quam in libri magnitudinem excrevisſe, ipſe ait. *De Juſtitia, ſecundum Platonem.* Περὶ τῶν ἰδεῶν, adverſus Plotinum. Περὶ τῶν ἰδεῶν, adverſus Porphyrium. Περὶ ψυχῆς. Ὀδαίναθος. Praeter haec Langbaenius perperam Longino tribuit *Dionyſii Phaſelitae* libros *de Antimacho & de Poetis*, quos memorat Grammaticus, qui Nicandri vitam ſcripſit: item *Dionyſii* Ἄπορα, laudata a Schol. Hom. Il. B. 308. & *Dionyſii* Κριτικὰ ſive Κρητικά, ap. Diog. Laert. I, 38. Nam Diogenes quidem, quacunque demum aetate vixit, certe ante Longinum vixit.

Neque facere posſumus, quin judicium auctoris de ſtilo & oratione Longini addamus ex §. 12. „ Eloquentiam Longini abjicit & contemnit Graeculus ineptus Jo. Siceliota, cujus locum adſcripſimus p. 26., ut eum nihil ad Dionyſium Hal. & Ariſti-

I dem

dem eſſe dicat. Nos quidem non ſumus ii, qui orationibus, quas Dionyſius hiſtoriae interpoſuit, eloquentiae laudem detrahamus, aut Demoſthenem ab Ariſtide feliciter expreſſum eſſe negemus. Verum tamen uterque, noſtra ſententia, cum Longino comparatus, jacet. Quanta enim, quam incredibilis vis dicendi ex libello *de ſubl.* elucet? Profecto nullus umquam Rhetorum & Sophiſtarum aut ſcripſit, aut ſcribere potuit, aliquid diſertius. Unus Longinus ex omnibus Graecis magiſtris, id quod Ciceronem in libris Rhetoricis feciſſe conſtat, quod aliis praecipit, ipſe in ſcribendo praeſtat, nec minus eloquentiae praeceptis, quam exemplo ſuo, facit eloquentes. In docendo quomodo ad id, quod in oratione magnificum eſt, perveniatur, grandis eſt ac paene tragicus. In translationibus ut feliciter audax, & maxime ſimilis Plutarcho, ſic fortaſſe nimius in illis cumulandis nec ſatis conſentiens praeceptis ſuis. Ex antiquis illis, praeter ceteros, Platonem & Demoſthenem imitatur. In quibus legendis, ſi venuſtatem ejus ſentire velis, te multum temporis contriviſſe oportet. Praeter Graecam & Syriacam linguam, utramque vernaculam, calluit etiam Latinam, ut non ſolum ex Demoſthenis & Ciceronis comparatione *de ſublim.* ſect. 12, ſed etiam ex Suida intelligi licet ").

Jam tota Diſſertatio plena eſt exquiſitiſſima doctrina, nec tantum aliorum ejus aetatis clarorum virorum res illuſtrantur, velut Plotini, Porphyrii; ſed haud

pau-

paucorum emortua notitia inſtauratur. Ita §. 3. de Phrontone exponitur, quem perperam Viri D. cum oratore Romano M. Cornelio Frontone confuderunt: §. 4. de Longini magiſtris, Democrito, Ptolemaeo & Ammonio, Peripateticis. §. 6. de Origene, quem ipſum multi cum chriſtiano Origene confundunt. §. 7. De loco Euſebii H. E. VI, 19. quo Longinus cum Apollophane & Numenio in Pythagoricis numeratur, exponitur; & evincitur pro Λογγίνε legendum eſſe Ἀλβίνε. §. 8. de Majore Sophiſta & Nicagora, Longini aequalibus, quorum hunc turpi errore cum Nicoſtrato confudit Olearius ad Philoſtr. Vit. Soph. II. p. 624. §. 10. de Menelao Poeta.

Tali ratione igitur humanitati conſuluit Ruhnkenius, ut, cum ex praeſtantisſimi viri libris pauca tantum fragmenta, & unum, nec eum ab omni parte integrum, libellum de Sublimitate, nobis reliquisſet fortuna, damnum hoc, quoad ejus fieri posſet, repararet, & cum viri vitam eleganter enarraret, tum ejus ſcriptorum memoriam ex antiquitatis tenebris erueret atque inſtauraret.

BIBLIOTHECA

CRITICA.

PARS SECUNDA.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXVII.

BIBLIOTHECAE CRITICAE

PARS SECUNDA.

I.

M. T. CICERONIS *Opera omnia, ex recenſione Jo. Aug. Erneſti, cum ejusdem Notis & Clavi Ciceroniana. Voll. V.* 8 maj. *Halis Sax.* 1774.

Volumen Secundum, quo Orationes continentur.

Quamquam in nullo non doctrinae ac rationis genere excellens atque admirabile fuit Ciceronis ingenium, ſumma tamen ejus virtus ac perfectio in orationibus cernitur. Nec illa profecto plebis literatae eſt opinio, ſed fuit ab omni tempore prudentiſſimorum hominum certa ſententia, in Cicerone perfectae eloquentiae modum & quaſi menſuram contineri. Quod, & eorum qui veterum monumenta diligenter tractant, ſuo quisque ſenſu ac judicio percipit, & ratione quoque intelligi potest. Nam ſi ipſius Ciceronis res atque vitam ſpectemus, reperiamus, in eo ad ſummam eloquentiae praestantiam conformando tres il-

las rerum humanarum gubernatrices conſpirasſe, naturam, disciplinam, fortunam. Primum a natura habebat ingenium docile, ſollers, perſpicax, & tenerum ad pulchri honestique ſenſum. Cumque multum in utramque partem valeat, a quibus principiis vitae curſus ducatur, quibusque parentibus, legibus, patria, quis nascatur, Cicero in hac parte tam benivolam fautricem nactus est fortunam, ut ex his ingenii praeclaris dotibus, animus existeret magni honestique appetens, turpis ſordidique deſpiciens. Natus enim est patre equite Romano, ex ſplendidisſimo ordine ejus civitatis, quae orbis terrarum imperium obtinebat, ea gente atque aetate, qua vetus illa disciplinae ſalubritas ſeveritasque adhuc vigebat, nondum corruptis luxuria civium animis, neque ad potentiorum adulationem abjectis. Sua adhuc rei publicae conſtabat majestas, ſua patriae ſanctitas. Recenti memoria florebant fortia majorum facta, quibus puerorum aures quotidie perſonabant, omnisque ab eorum animis arcebatur humilis turpisve cogitatio, atque univerſi excitabantur, ut dignos ſe & idoneos praestarent, qui tantam imperii magnitudinem tuerentur, vel bellica virtute, vel civili ſcientia. Porro eloquentia acerrimis florebat civium ſtudiis, maximis ei propoſitis praemiis ad opes & honores. Adolescentes, ſumta virili toga, in foro quotidie verſa-

verſabantur, ibique uſu diſerti fiebant audiundis dicundisque cauſſis, & mature operam ſuam rei publicae, illustri defenſione vel accuſatione, commendabant. Ex tali igitur ingenio, animo, inſtitutione, uſu, neceſſe est ſponte efflorescere eloquentiam, etiam ſi nulla ars nec literarum diſciplina accesſerit. Verisſimus enim eſt atque uberrimus eloquentiae fons in ingenio magnarum excelſarumque rerum cogitatione nutrito, & exercitato dicendi conſuetudine. Hoc cum inflammatur vel honesti ſenſu vel indignationis dolore, ſponte parit eam orationem, qua audientes moveat, incendat & in ſuam ſententiam rapiat. Quid vero, cum ars quoque ac diſciplina accedant? cum mens omnis antiquitatis & hiſtoriae ſcientia repleatur? cum ingenium continua lectione optimorum oratorum, poetarum & in omni genere ſcriptorum excolatur atque acuatur? cum philoſophia animorum rationem rerumque naturam explicet & modum definiat? cum ratio exercitatioque intelligentisſimorum magiſtrorum praeceptis conformentur? Nonne tunc aliquid existere necesſe est ſupra reliquorum mortalium modum & plane divinum? Atque haec omnia in Cicerone convenisſe videmus. Erat in eo cupiditas illa, quam in philoſophi indole inesſe vult Plato, ſcientiae, non unius alicujus ſed univerſarum: ejusque jam in puerili diſciplina ingenium ita excellebat, ut ab omnibus miraculi loco celebraretur.

Anno aetatis decimo ſexto, ſumta virili toga, in forum ſe dedit, ſtudiumque ingresſus est eloquentiae, cujus quidem viam & quaſi gradus ipſe in Bruto deſcripſit.

Nam cum in foro ſummorum oratorum genera cognosceret, incredibili ejusdem laudis amore percusſus ita oratorias exercitationes ſuscepit, ut quotidie legeret, ſcriberet, & commentaretur. Juris etiam civilis discendi cauſa, a patre ad Q. Mucium Augurem ita erat deductus, ut, quantum fieri posſet, a ſenis latere numquam discederet. Sequenti anno admirabili ad philoſophiam ſtudio concitatus, totum ſe dedit Philoni, principi Academiae; & Molonem etiam adhibuit Rhodium, ſummum dicendi magistrum actoremque causſarum. Tum per triennium, quo unus in foro regnabat Hortenſius, ejus gloria ſtimulatus, dies noctesque in omnium doctrinarum, in primis philoſophiae ac dialectices commentatione verſabatur, duce Diodoto Stoico, quem ſemper ſecum habuit: neque tamen ullus dies vacuus erat ab oratoriis exercitationibus: Graece potisſimum declamabat, & ſummorum ejus gentis auctorum haud paucos libros Latine vertebat. Anno aetatis vigeſimo ſexto primam dixit privatam causſam pro P. Quinctio, & ſequenti publicam pro Sexto Roscio Amerino. Quibus orationibus cum omnes judicarent perfectae jam eloquentiae virtutem contineri, Ciceronisque nomen ubique celebraretur; ille tamen

men minime, quo errore praeclara indole multi juvenes labuntur, hominum admiratione deceptus ſibi ipſe plauſit, & omnia ſe jam ſumma conſecutum arbitratus, a disciplinarum ſtudiis ac magiſtrorum exercitatione diſceſſit. Nam cum in dicendo animus ejus ſpiritusque vehementius intenderetur, quam corporis imbecillitas ferre poſſe videretur; illi, quibus charus erat, eum hortabantur, ut cauſſas agere deſiſteret. Ille vero quodvis ſibi adeundum ratus periculum, ne a ſperata dicendi gloria diſcederet, in Aſiam profectus eſt, ut, commutato dicendi genere, temperatius dicere aſſueſceret. Cum Athenas veniſſet, ſex menſes cum Antiocho, veteris Academiae prudentiſſimo philoſopho fuit, ſtudiumque philoſophiae numquam intermiſſum, a primaque adoleſcentia cultum & ſemper auctum, hoc iterum ſummo doctore & auctore, renovavit: ſimulque ſtudioſe in dicendo exercebatur apud Demetrium Syrum. Poſtea totam Aſiam peragrans, ſummos, quibus tum ea regio florebat, oratores adiit, cum iisque ſe exercuit. Neque his contentus Rhodum etiam venit, ſeque iterum in Molonis dedit disciplinam, actoris verarum cauſſarum ſcriptorisque praeſtantiſſimi, & in inſtituendo, animadvertendo, notandisque vitiis, prudentiſſimi magiſtri. Cum ita, firmatus ab omni parte, conſummatusque orator, domum rediiſſet, ne ſic quidem a literis & commentatione deſtitit, ſed facultatem quotidie ſuam ſtilo atque

exercitatione auxit. Itaque brevi effecit, ut nemo praeter ipſum, ne Hortenſio quidem excepto, orator haberetur. Et nil dicimus de ſingulis ejus eloquentiae virtutibus, quae quidem, intelligentiſſimorum hominum judicio, congruunt in illam perfecti oratoris formam ab ipſo adumbratam in Oratore ad Brutum; quam qui expleret neminem extitiſſe, qui proxime aſſequeretur unum Demoſthenem fuiſſe affirmaverat. Hoc unum intelligi volumus, Ciceronem, quamquam omnibus naturae fortunaeque praeſidiis munitum, tamen judicaſſe, ſine aſſiduo literarum ſtudio atque exercitatione ſe ad hanc eloquentiae laudem pervenire non poſſe. Et tamen multi reperiuntur nostra aetate, qui ſe vel ſola dicendi conſuetudine diſertos fieri, vel orationem floribus ſpargendo, vel acute etiam ſubtiliterque ratiocinando, oratoris nomen tueri ſperent. Quorum profecto angustae mentes eloquentiae majeſtatem non capiunt. Itaque nos haud alienum putavimus ab hoc loco, juvenes ejusdem laudis cupidos monere, qua ratione quibusque gradibus ad eloquentiam pervenisſet is, qui ſummam ejus post hominum memoriam facultatem adeptus eſſet; ſi forte eos errantes in certam viam revocare poſſemus. Multa habebat beneficia fortunae Cicero, quibus nos temporum nostrorum conditio carere cogit: primum illam disciplinae puerilis ſanitatem atque elegantiam: tum avitam majorum gloriam, rei publicae majestatem,

tatem, & communem patriae amorem, cujus ſpecie ac cogitatione animi magnitudo paritur atque alitur. Nos contra multis modis ab ipſa pueritia in neſcio quas anguſtias coarctamur; & cum inſita naturae vis exſerere ſe conatur, ſaepe repellimur ac reprimimur; nil magnificum, nil excellens, nil ſublime in mentibus noſtris exiſtit. Atque hujus calamitatis unica compenſatio ac medela poſita eſt in continuo ſtudio verae pulchritudinis, cujus perfectisſima exempla in veterum monumentis expresſa ſunt. Quo, magis opera nobis danda eſt, ut eorum lectione, cum artis rationem asſequamur; tum in primis ingenium ad naturae ſanitatem revocemus & ad pulchri venuſtique ſenſum conformemus, animumque ad veram altitudinem extollamus. A quibus virtutibus niſi proficiſcatur dicendi facultas, hae illa potius vana loquacitas, quam vera eloquentia ſit.

Sed nos ad criticam diſputationem accedamus. Cum ex ſuperioribus editoribus in primis Graevius eximiam navasſet operam in orationibus Ciceronis, non pauca tamen vitia relinquebantur, quae vel acumen ejus effugisſent, vel artem eluſiſſent. Quorum haud contemnendum numerum ab Erneſto ſublatum eſſe, haud dubitanter affirmamus. Atque in hac re multum ei profuit, cum uſus librorum ſcriptorum editorumque, & aliae facultates, de quibus ſuperiori cenſura diximus, tum maxime intelligentia

Hottomannus: ſed Ernestus vulgatum *interfuerat* reliquit.

II, 23. *Jam intelligetis hanc pecuniam, qua via modo viſa est exire ab isto, eadem ſemita revertisſe.* Non erat negligenda correctio certa & in primis elegans P. Burmanni ad Phaedr. L. III. Prol. 38, legentis *eandem* pro *eadem.* Atque eadem opera reponendum erat *quae* pro *qua*; ut ita locus restituatur: *Jam intelligetis hanc pecuniam, quae via modo viſa est exire ab isto, eandem ſemita revertisſe.*

II, 37. *Sthenius postulat, ut cum ſecum ſui cives agant -- Publiusque Rupilius leges ita Siculis ex ſenatus conſulto, de decem Legatorum ſententia, dedisſet, ut cives inter ſe legibus ſuis agerent; idemque hoc habuerit Verres ipſe in edicto: ut de his omnibus cauſis ſe ad leges rejiceret.* In ultimis hujus loci verbis Ernestus primum *haberet* reponit, ut temporum ratio conſtet: deinde tamen ſe non ſatis expedit. Quod, ut nobis videtur, duabus de cauſſis factum est. Altera, quod, *his omnibus de cauſis*, non attendit accipiendum eſſe pro, *propter has omnes rationes*, ut antea jam expoſuerat Hottomannus. Altera, quod excidit *ſuas*; nam ſcripſerat ſine dubio Cicero: *ut de his omnibus cauſis, ſe* (i. e. Sthenium) *ad leges ſuas* (i. e. Siculas) *rejiceret.* Sic 24, *procuratores postulabant, ut ſe ad leges ſuas rejiciat:* & 25, *idem illud postulare non deſistebant, ut ſe ad leges ſuas rejiceret.* Atque hoc

hoc ipſum Verres quoque edixerat, ut inter Siculos judex esſet Siculus; ſed, ſi qui perperam judicasſet, ſe cogniturum: vid 25.

II. 38, Agathinus & Dorotheus feſtive appellantur *affines* Verris, qui rem habebat cum Callidama, hujus uxore, illius filia. Ab his Verres flagitabat, ut Sthenium rei capitalis reum facerent, cui mirum in modum iraſcebatur, quod ſibi Thermitanorum ſigna tradere nolebat. De qua re pervenuſtus est locus, 36: *Eum autem inimicisſimi Sthenii domum ſuam invitant, ut animum ejus in Sthenium inflammarent, mentiendo aliquid & criminando. Hi autem erant* (*inimici* delet Ern.) *Agathinus homo nobilis, & Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam, Agathini ejus filiam, de qua iste audierat. Itaque ad generum Agathini migrare maluit. Una nox intercesſerat, cum iste Dorotheum ſic diligebat, ut diceret, omnia inter eos esſe communia: Agathinum ita obſervabat, ut aliquem affinem ac propinquum: contemnere etiam ſignum illud Himerae jam videbatur, quod eum multo magis figura & lineamenta hoſpitae delectabant.* Sic quoque ſupra, 14: *hi autem quidam erant affines iſtius, quorum iſte uxores numquam alienas exiſtimavit, Cleomenes & Aeſchrio.* Sed tamen Agathinus noluit gravius malum in Sthenium conferre; quod his verbis narrat Cicero: *ut ad cauſam accederet nomenque deferret, Agathinum novum affinem atque hoſpitem,* (*Verres*) *hortari coepit. Tum ille clare, omnibus*

ribus audientibus, ſeſe id non esſe facturum, neque ſe usque eo Sthenio esſe inimicum, ut eum rei capitalis affinem esſe diceret. Illud vero ultimum *rei capitalis affinem* omnino friget, ortumque videtur a librarii negligentia, cui ex proximis adhuc in mente verſabatur. Restituendum pro eo *reum* ex ſolemni formula, quae hoc loco bis est, & IV, 19.

II, 44. *Dubitabitis exemplum judicum illorum ſequi, qui damnato Cn. Dolabella, damnationem Philodami Opuntii reſciderunt, quod is, non abſens, reus factus esſet; quae res iniquisſima & acerbisſima est: ſed cum ei legatio Romam a ſuis civibus esſet data.* Ex isto ſe loco Ernestus non ſatis expedit: *an vero*, ait, *qui propter legationem profectus est, non abſens est?* Atqui Philodamus, cum reus factus eſſet, nondum domum reliquerat, ſed, legatione ei decreta, adhuc domi erat. Ita plana ſunt omnia.

II, 76. *Cum manifesta res, tum flagitioſa tabularum atque inſignis turpitudo teneretur, quaerere incepimus de Carpinatio, quisnam esſet iste Verrutius.* Nulla ratione *cum* & *tum* copulative accipi posſunt, niſi legatur, *tenebatur:* ſed cum temporum ratione & ſequenti *incepimus* hoc non ſatis congrueret. Corrigimus: *Cum manifesta re tam flagitioſa turpitudo teneretur*: ſic Verr. I, 1. *cum manifesto teneatur.* III, 62. *Nil putas in judicio valere conjecturam, nihil ſuſpicionem — res manifestas quaeris*: ib 76. *Tenetur igitur aliquando, & in rebus tum maximis*

mis tum manifeſtis tenetur. IV, 47. *manifeſtis in maleficiis tenetur.* Non diſſimili ratione *cum* & *tum*, non in copulatione, ſed in conſequentia ſunt accipienda, Philipp. XIII, 4. *Nam cum* (*Lepidus*) *Magnum Pompejum auctoritate adduxit ad pacem, remque publicam ſine armis, maximo civilis belli periculo liberavit : tum me ejus beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto.* Reſtituendum *putavi.*

III, 12. *Cum id non ſolum avaritia, ſed etiam imprudentia accipere potuerit.* Quid eſt illud *accipere?* Jam Graevius, poſt alios, probaverat ac receperat *accidere.*

III, 13. *Hoc novum genus injuriae ferre nemo poſſet, te cum tuos omnes fructus publicano tradidiſſes & rem de manibus amiſiſſes, tum bona tua repetere ac perſequi lite atque judicio.* Unus, quod ſciamus, Hotomannus hunc locum animadverſione dignum judicavit. Qui quidem eum ita accepit, ut ſecundam perſonam exempli cauſa poſitam diceret. Reliqui interpretes, nil monendo in eadem vel ſimili ſententia fuiſſe videntur. At nos quidem hanc rationem duriſſimam judicamus, & praeſertim hoc loco multum ambiguitatis habere, cum Cicero ſecunda perſona ubique in Verrem utatur : Quare credimus veram ſcripturam eſſe : --- *ferre nemo poſſet, ſe, cum ſuos omnes fructus publicano tradidiſſet, & rem de manibus amiſiſſet, tum bona ſua repetere* -.

III, 41. *Tu ſic ordinem ſenatorium deſpexiſti; ſic*

ad

ad injurias libidinesque tuas omnia coaequasti, ſic habuisti ſtatutum cum tuo animo ac deliberatum, omnes, qui habitarent in Sicilia, aut qui Siciliam te praetore attigiſſent, judices rejicere, ut illud non cogitares, tamen ad ejusdem ordinis homines te judices eſſe venturum? Dicitur hoc de injuria, quam Verres contulerat in Annejum Brocchum ſenatorem, qui ordo tum judicia exercebat. Erneſto locus vitioſus in *judices rejicere* videtur: nos ſanum locum, & id ipſum *judices rejicere* venustum, judicamus; quaſi dictum eſſet, *An vero in uno ſenatore ignominia adficiendo, totum ordinem, ex quo tui judices futuri erant, rejicere tibi videbaris?*

III, 43, Non memoratur Waſſii emendatio ad Thucyd. p. 417. pro *Citarinos* legentis *Hyccarinos*. Sed certiore emendatione correxerat *Cetarinos*, laudatus a Graevio, Cluverius.

III, 51. *Latos agros*, Erneſtus recte probat, pro *laetos agros*: & ita jam judicaverat Oudendorpius ad Caeſar. B. G. II, 4.

III, 70. *Emundi (frumenti) duo genera fuerunt: unum alterarum decumarum, alterum quod praeterea civitatibus aequaliter eſſet diſtributum.* Vere & eleganter Erneſtus pro *diſtributum* corrigit *deſcriptum.*

IV, 7. *Ne forte, dum publicis mandatis ſerviat, de privatis injuriis reticeat.* Erneſtus vitium in *ne forte* eſſe ſuſpicatus eſt. Nobis integer videtur locus

cus, & *ne forte* poni, ut Graecum μήποτε, elliptice, ejusmodi ſententia: *verendum est ne -- reticeat.*

IV, 8. *Habitasti apud Hejum Mesſanae: res illum divinas apud eos deos in ſuo ſacrario prope quotidie facere vidisti.* Pro *quotidie* legendum esſe *cotidiano* ex vetustis codicibus, monuit Bentlejus ad Terent. Heaut. V, 4, 7: Cui adjungendus est Ruhnkenius ad Rut. Lup. p. 11.

IV, 51. *Audistis Centuripinos -- dicere, quae ſolitudo esſet in agris, quae vastitas, quae fuga aratorum --. Et tametſi istius multis & variis injuriis acciderunt: tamen haec una cauſa in opinione Siculorum plurimum valet, quod, Cerere violata, omnes cultus fructusque Cereris in his locis interiisſe arbitrantur.* Legendum procul dubio: *Ea tametſi i. m.* Suadet hoc ſententiae ratio & lex conſtructionis.

IV, 32. *Ut aliquando totam hujus generis orationem definiam ac concludam.* Ernestus tuetur *definiam*, pro quo viri quidam docti *deſinam* vel *finiam* reponere tentaverunt. Sed in Clave, quo ablegamur, nil reperimus, quo vulgata lectio defendi queat. Atque haec Gesnero etiam displicuerat Theſ. L. L. *Concludo.* Nobis *finiam* a Cicerone videtur.

V, 7. *Dicet vir clarisſimus Cn. Lentulus cenſor, qui Matrinii honoris cauſſa, recenti negotio ad te literas miſit.* Ernestus pro *honoris* ſuspicatur *hospitis*; quod nec

nec nobis diſplicet, quamquam vulgatam damnare non audemus.

V, 42. *Pater aderat Dexio Tyndaritanus, homo nobiliſſimus, hoſpes tuus; -- eum cum illa auctoritate & miſeria videres praeditum, non te ejus lacrimae, non ſenectus, non hoſpitii jus atque nomen a ſcelere ad aliquam partem humanitatis revocare potuit?* Ad hunc locum, cum alia, tum haec quoque, notat Erneſtus: „ mihi venit aliquando in mentem: *illa au„ ctoritate praeditum, aetate & miſeria perditum.* „ Sed ego fortaſſe ita ſcriberem; an Cicero ſic „ ſcripſerit nescio. Non enim ſemper ita accurati „ ſunt ſcriptores optimi." Hoc quidem cognovimus, & Cicero ipſe alicubi monet, non eſſe oratoris, illam exactam membrorum paritatem ubique ſtudioſe conſequi. In hoc tamen loco vix dubitamus, ita ſcripſiſſe Ciceronem, ut Erneſto in mentem venit.

Sed quamquam de multo pluribus, & harum, & reliquarum orationum locis, noſtram correctionem, aut certe animadverſionem, exprΩmere poſſemus; tamen quo minus hoc faceremus, conſilii noſtri nos ratio prohibuit. Nam cum propoſitum nobis eſſet, de duabus dicere facultatibus Erneſti, quibus multi ab eo ſunt Ciceronis loci ſanati, altera, ſcientia conſecutionis temporum ac modorum, altera, ſagacitate in detegendis locis ſpuriis atque gloſſis; de-

pre-

prehendimus poſtea, neceſſario nobis faciendam eſſe distributionem, ut de priori alio loco ageremus, ex posteriore nunc tantum attingeremus, quantum ſpeciminis cauſſa ſatis eſſet.

I, 43. *Itaque hoc magnum judicium hominum de istius ſingulari improbitate; quod Verres ſua ſponte inſtituisſet, id neminem metuisſe, ne quis reperiretur, qui (istius inſtitutum) ſequi vellet.* Ernestus recte *istius inſtitutum* a Cicerone eſſe negat.

IV, 10. *Mamertina civitas improba antea non erat: etiam erat inimica improborum: quae C. Catonis, illius, qui conſul fuit, impedimenta retinuit: at cujus hominis? clarisſimi potentisſimique; qui tamen, cum conſul fuisſet, condemnatus est. (Ita C. Cato duorum hominum clarisſimorum nepos, L. Paulli, & M. Catonis, & P. Africani ſororis filius) quo damnato, tum, cum ſevera judicia fiebant, H-S. XVIII millibus lis aestimata est! Huic Mamertini irati non fuerunt; qui majorem ſumtum, quam quanti Catonis lis aestimata est, in Timarchidis prandium ſaepe fecerunt.* Verba, quae uncinis incluſa ſunt, recte Ernestus inſititia judicavit.

IV, 57. *Aristeus, qui, (ut Graeci ferunt, Liberi filius) inventor olei eſſe dicitur, una cum Libero patre, apud illos eodem erat in templo conſecratus.* Verba, ut *G. f. L. f.*, eodem jure ejicit Ernestus.

IV, 63. *Quod ex aede Minervae (hoc & illud abesſet.) Quod ex aede Jovis, Quod ex aede Liberi.*

Acute vidit Erneſtus, initia haec eſſe, ſeu indices, capitum rerum ablatarum; itaque verba, *hoc & illud abeſſet*, bene delenda judicavit.

V, 31. *Eo tempore ad luxuriam libidinesque ſuas, domo ſua regia (quae regis Hieronis fuit, qua praetores uti ſolent) contentus non fuit.* Verba uncis incluſa, ut a gloſſatore adſcripta, delenda ſunt cum Erneſto: qui etiam *ſua* ſpurium judicat.

Atque in hac ipſa oratione ſpecimina hujus ſagacitatis Erneſtus dedit pluribus locis, quos deſcribere non eſt neceſſe, veluti cap. 32, 38, 41, 43, 44, 72. Nos etiam in quosdam incidimus locos, qui eadem medicina corrigendi videntur, quosque Erneſti animadverſionem fugiſſe miramur. v. c.

III, 94. *Nam ſi hoc probatis, & ſi hoc licere, pecunias isto nomine capi, judicatis: certe hoc, quod adhuc nemo, niſi improbisſimus, fecit, poſthac nemo, niſi ſtultisſimus, non faciet.* Frigent verba, *pecunias isto nomine capi*, &, cum ex proximis intelligatur ſententia, omnino gloſſam ſapiunt.

V, 6. *Perditae civitates, deſperatis omnibus rebus, hos ſolent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum reſtituantur, vincti ſolvantur, exules reducantur, res judicatae reſcindantur. Quae cum accidunt, nemo est quin intelligat, ruere illam rempublicam: haec ubi veniunt, nemo est, qui ullam ſpem ſalutis reliquam esſe arbitretur.* In fine hujus periodi eſt gloſſatoris additamentum, & ejectis ſpuriis ita legen-

legendum: -- *ruere illam rempublicam; nemo, qui ullam ſpem ſ. r. e. a.*

Habet vero judicium de locis ſpuriis & inſititiis magnam difficultatem atque cautionem. Nam ut quisque optimus est ſcriptor, ita ſaepisſime ad orationem adjicit verba ac dictiones, quae ad ſolam quidem ſententiam univerſe conſtituendam non magnopere requirantur, ſed valeant tamen mirifice ad ſenſum atque affectum. Unde fit, ut dupliciter in hac ratione peccetur ab iis, qui non ſatis ingenium conſuetudinemque auctoris & linguae vim ac normam perſpectam habent, ut pulchra a vitioſis, vera a falſis discernere posſint. Alii omnia ejusmodi dicta, tamquam gloſſas, faſtidioſe reſpuunt ac reſcindunt: alii ineptisſima ſaepe vitioſisſimaque additamenta amplectuntur, in iisque magnam adeo orationis pulchritudinem poſitam existimant. Sed Ernestus, qui ex omnibus interpretibus Ciceronis frequentisſime ei genus hoc medelae adhibuit, quin recte adhibuerit, dubitare nos vix ſinit, cum reliqua viri ſcientia, tum acerrimus Ciceronianae rationis ſenſus, continua multorum annorum lectione confirmatus.

II.

Analecta Veterum Poetarum Græcorum. Editore Rich. Fr. Phil. Brunck. III voll. 8. Argentorati. 1776.

Ingenti profecto literarum bono factum eſt, ut fortuna ad nos propagaret illud Graecorum epigrammatum volumen, quod vulgo *Anthologiae* nomine celebratur. Continet enim carmina permulta, cum antiquiſſimorum poetarum miro lepore condita, tum juniorum etiam haud contemnenda, & ad veterum imitationem conformata. Sed ejus cum & antiquitus variae uberioresque ea, quam nunc habemus, fuerint editiones, & hucusque noſtra aetate duae exſtiterint recenſiones, altera typis expreſſa, ſcripta altera; arbitramur, nos haud parum profuturos aliis ad judicandum ſtatuendumque de nova hac Brunckiana editione, ſi ipſius Anthologiae fata ac viciſſitudines ab ejus origine breviter repetamus.

Primus, quantum conſtat, ejusmodi Anthologiae conditor fuit Meleager Tyrius, anno ante Chr. circiter 150. Hic brevia mellitiſſimaque carmina atque epigrammata ex veteribus poetis, quos ſingulos, ut quisque natura mollis, tener, ſuavis, aut acerbus, ſtrictus, incenſusve eſſet, ita ſingulis floribus comparabat, delibans, totum volumen Στεφάνε, ſeu *Coronae*, nomine inſignivit. Ingenium viri

viri cognoſcitur ex ipſius cultisſimis carminibus, quae huic Coronae addidit, quorumque fere centum & triginta ad nos pervenerunt : judicium vero in aliorum delectu intelligitur ex poetarum nominibus, quos in dedicatione ad amicum Dioclem recenſet. Quae quidem haec ſunt : Anyte, Sappho, Melanippides, Simonides, Nosſis, Rhianus, Erinne, Alcaeus, Samius, Leonidas, Mnaſalcas, Pamphilus, Pancrates, Tymnes, Nicias, Euphemus, Damagetus, Callimachus, Euphorion, Dioscorides, Hegeſippus, Perſes, Diotimus, Menecrates, Nicaenetus, Phaennus, Simmias, Parthenis, Bacchylides, Anacreon, Archilochus, Alexander, Polyſtratu, Antipater, Hermodorus, Poſidippus, Hedylus, Theocritus, (hunc enim *Sicelidae* nomine ſignificare videtur) Plato, Aratus, Chaeremon, Antagoras, Theodorides, Phanias. Ex his paucorum illustris est & cum operibus ſuperſtes fama : aliorum memoriam ita obſcuravit vetustas, ut vel dubia ac levis eorum apud alios ſcriptores fiat mentio, vel ſolum nomen cum paucis verſibus unius Meleagri commemoratione remanſerit.

Hunc ſecutus Philippus Theſſalonicenſis, quem Augusti temporibus vixisſe probabile est, novam concinnavit Anthologiam ex poetis, qui post Meleagrum floruerunt; ejusque exemplo ipſe quoque ſingulos, ex quibus carmina deligebat, poetas, pro cujusque ingenio, ſingulis floribus comparans, totum

 librum

librum *Coronam* appellavit, adjectis etiam ſuis haud paucis carminibus non ſine acumine & venuſtate. Poetas & ipſe, ex quibus Coronam collegit, hos in dedicatione nominat: Antipatrum, Crinagoram, Antiphilum, Tullium, Philodemum, Parmenionem, Antiphanem, Automedontem, Zonam, Bianorem[1], Antigonum, Diodorum, Euanorem. Qui quidem plerique non magis, aut minus etiam, noti ſunt, quam Meleagrici. Nam utrorumque ingenia & elegantiam ex paucis carminibus cognoſcimus: rerum vitaeque exigua, aut nulla, ad nos pervenit notitia. Ceterum & Meleager & Philippus in dedicationibus ſuis ajunt, ſe ex aliis quoque poetis, *quorum* nomina reticeant, flores in ſuas Coronas legiſſe.

Longo poſt intervallo, regnante Juſtiniano, cujus etiam res geſtas conſcripſit, exſtitit Agathias novae Anthologiae auctor, qui ſua & aequalium poetarum epigrammata collecta, uno in ſeptem libros diviſo volumine edidit. Atque iſta nova carmina, cum magis accommodata eſſent iſtius ſeculi ingeniis, quae dudum a verae pulchritudinis ſenſu deſciverant, ſola ceperunt hominum ſtudiis frequentari: antiqua illa Meleagri & Philippi paulatim in oblivionem abierunt, & haud ſcio an penitus intercidiſſent, niſi ſeculo decimo ortus fuiſſet Conſtantinus Cephalas, qui novam conderet Anthologiam, ita, ut multa quidem ex Agathia & poſterioribus poetis, haud

haud pauca tamen etiam ex Meleagri Philippique Coronis legeret. Praeterea cum alia adjeciſſe videtur, quae in nulla trium antecedentium Anthologiarum exſtarent, tum Stratonis etiam Muſam puerilem. Nam Strato Sardianus epigrammata, quibus de puerorum amore luſerat, peculiari volumine edidiſſe videtur. Certe, quod Reiskius (Notitia Poetar. Anthol. p. 244.) ait, Meleagrum alteram praeter illam, de qua diximus, Coronam feciſſe, eamque a Stratone auctam fuiſſe, falſa interpretatione carminis Meleagrici nititur.

Denique, ſeculo decimo quarto, Maximus Planudes Cephalae Anthologiae novam induit formam, ita, ut eam Agathiae exemplo in ſeptem libros denuo distribueret, multa carmina omitteret, obſcoeniora vel ejiceret, vel interpolaret. Quamquam magis tamen coarctandae & in certos locos digerendae Anthologiae ſecutus videtur conſilium. Nam & dedicatoria carmina quaedam ejecit, in quibus nil erat impuri: & multa proſcribens Meleagri Philippique obſcoena, haud pauca recepit ex recentiori aevo, Silentarii, Macedonii, aliorumque, nihilo illis castiora. Atque ista a Planude compilata Anthologia hucusque ſola literarum typis vulgata erat. Veteres illas Meleagri, Philippi, & Agathiae quoque, dudum ſitus & vetustas abſumſerat. Et idem, procul dubio, fatum manebat Cephalae librum, cu-

jus unum adhuc exemplum, doctis hominibus vel parum cognitum, vel penitus ignotum, reſtabat in bibliotheca Palatina; niſi bona fortuna Heidelbergam adduxisſet Claudium Salmaſium, qui, dum alios ejus bibliothecae codices excuteret, in hunc theſaurum etiam incidit, eumque deſcripſit. Et conſilium quidem, quod tum ceperat, edendi hujus libri postea abjecit; neque exemplum, quod ipſe ſua manu deſcripſerat, quo pervenerit conſtat. Quamquam, dum vixit, nonnullis ejus uſum conceſſit amicis; unde varia facta ſunt apographa: velut Gyetianum, quod in regiam Pariſienſem bibliothecam delatum est: aliquanto uberius Bouherianum, Divione: & Scaligeranum, Lugduni Batavorum: alia alibi: omnia tamen ipſo Palatino codice minus integra atque ſincera, qui in illo literis calamitoſisſimo Heidelbergae excidio Romam ablatus est. Ubi aliud ex eo ductum est apographum, Cardinalis Barberini, quo uſus est Lucas Holſtenius. Haec igitur est illa Anthologia, quae adhuc ineditae nomine celebrata est, cujusque paſſim epigrammata viri docti in animadverſionibus libriſque ſuis prodiderunt. Nil attinet eos commemorare, qui postea utrique edendae Anthologiae animum adjecerunt. Unum praeterire nefas est J. Ph. Dorvillium, a quo perfectum opus exſpectari poterat, cum propter ejus in his literis facultatem, tum quod copiam ineditorum epigrammatum longe plurimam habebat, quippe

qui

qui ipſe Romae codicem Palatinum accurate deſcripſerat. Quo magis dolendum est, mortem ejus viri conſilium praevertisſe, ſchedasque in Britanniam ad heredes delatas, tantisper ab utilitate notitiaque publica cohiberi.

Itaque primus fuit Brunckius V. Cl., qui univerſa haec epigrammata, cum edita, tum inedita, in unum quaſi corpus redacta literarum typis vulgaret. Ad quam quidem editionem adhibuit librorum copias haud contemnendas, multum etiam attulit ingenii ac doctrinae, ſtudium vero amoremque bonarum literarum flagrantisſimum. Quarum laudum ſingulae quam vim habeant, deinceps videamus.

Atque, ut de librorum copiis primum dicamus, habuit Planudeae Anthologiae, praeter editiones praeſtantisſimas, quatuor codices ſcriptos ex bibliotheca regia Pariſienſi, quos diligenter, ſed parvo cum fructu, a ſe collatos esſe dicit, quamquam unus ex iis epigrammata nonnulla habeat, quae in editionibus non exſtent: tum exemplum Wechelianum, ad quod Salmaſius non quidem inedita epigrammata, ſed editorum varias lectiones ex codice Palatino adnotaverat. Ineditae vero habuit apographum Gyetianum, tum Bouherianum, cujus contextum plerumque exhibuit, copioſius illud quidem & melius Gyetiano, ſed tamen ipſum non omnibus partibus integrum. Quod vel hinc cognoscitur, quod ab eo haud pauca carmina abſunt, quae ex co-

 dice

dice Palatino prodiderunt, in libris ſuis vel animadverſionibus, Salmaſius & Dorvillius. Quare haud parum dolemus, Brunckium, qui tantum in hoc opere laboris atque ſumtuum potuit, non illud etiam egisſe, ut codicis hujus accuratam collationem Roma nanciſceretur: qua certe plus apud homines eruditos gratiae iniisſet, quam omnibus reliquis exemplis excutiendis. Et, ut nunc est, caremus ſano, integro, certoque epigrammatum contextu: & carebimus, quamdiu editio nulla prodierit, quae Palatinum exemplum fideliter accurateque expresſum referat.

Jam forma deſcriptioque operis ejusmodi est; ut tribus voluminibus deinceps Graeca carmina exhibeantur, ad tertii calcem Brunckii animadverſiones adjiciantur. Et in carminum diſtributione fortasſe quis exſpectet, vel editam ineditamque Anthologiam ſeparatim exſtare, vel receptam diviſionem ſecundum materiam in libros & capita ſervatam esſe. Sed aliter viſum est editori. Nam, ſua cuique poetae carmina attribuens, eos ſecundum aetates diſpoſuit, initioque facto ab antiquisſimo poeta, & ad temporis rationem progrediendo, in recentisſimis ſubſtitit. Et causſam quidem hujus mutationis hanc reddit, primum, ut major esſet varietas, nec ejusdem argumenti carmina uno loco coacervarentur; deinde, ut labentis paullatim decrescentisque elegantiae converſiones & quaſi gradus perſpice-

ſpicerentur Nos vero primum non videmus, quidnam taedii habeat carminum in certos locos digeſtio. Contra magnam ea habet jucunditatem, cum a variorum ingeniorum in eodem argumento comparatione & contentione, tum ab intelligentia, quae magnopere adjuvatur ſimilium carminum collatione & propinquitate. Deinde magis etiam perſpicue illo ordine cognoſcuntur labentis ingenii venuſtatisque gradus, cum variorum in eadem re carmina deinceps oculos animumque ſubeunt, cumque imitatio, qua plerumque antiquos recentiores expresſerunt, manifeſte deprehenditur. Saepius incidas in epigramma v. c. Silentarii, hominisque venuſtatem mireris: at mirari continuo deſinas, cum eodem loco poſitum in oculos incurrerit veteris poetae carmen, quod recentior Graeculus exſpoliavit. Huc accedit, quod multorum poetarum incerta est aetas, ut ne poni quidem facile poſſit ſuo quisque loco. Denique eadem a Brunckio inducta diſtributio magnam facit difficultatem iis, qui hanc editionem cum aliis comparare volunt: cui difficultati facile occurrere potuisſet, vel adnotando ad ſingula epigrammata paginas editionum aliarum, Brodaei aut Stephani, vel indices adjiciendo, quibus in quaerendo duceremur.

Verſionem Latinam, quod nullam huic editioni addidit Brunckius, haudquaquam reprehendimus. Nam nec tironibus, aut leviter exercitatis, utilis erat ad

ad proficiendum: nec, qui ſatis exercitati ſunt, eam requirebant: & ignari prorſus Graecae linguae, venuſtatem carminis aut ex nulla verſione percipiunt, aut ex ea ſola, quae ſenſum Graecorum verſuum totidem verſibus Latinis accurate perfecteque reddat: qualis est H. Grotii. Quam cum editor nanciſci non potuerit, bene fecit quod unice Graecum dedit contextum.

Sed inſeruit quoque ſuae editioni carmina, quae in neutra Anthologiarum extarent: vel quod eorum ſimilia olim in iis extitiſſe, vel quod illa ab earum conſilio & argumento haud abhorrere judicaret. Ex hoc numero ſunt fragmenta poetarum, quos in Coronae dedicatione commemoravit Meleager, velut, Archilochi, Sapphus; Noſſidis, Anytes, tum omnes reliquiae Theocriti, Bionis, Moſchi, Callimachi, tum Solonis, Tyrtaei, Anacreontis, aliorum ſimilia, quae ſuo quaeque loco recenſebimus.

Nunc age librum breviter percurramus, videamusque Brunckii doctrinam & criticam rationem.

Principium ſit a *Meleagro*, cujus tamen carmina omiſſa eſſe reperimus ea, quae in editione Stephani ſunt p. 333. & p. 472. In epigrammate VIII., quod ex ineditis est, leve mendum reſedit; nam in ultimo verſu legendum Εὕρηται χερείσσων αὐτὸς Ἔρωτος Ἔρως, non Εἴρηται. Epigramma XXXII. ſub nomine Poſidippi exſtat apud Brodaeum p. 587. non ſine varietate: Brunckius tamen non ſigni-

ſignificat diſerte, ſe textum & auctorem Meleagrum ſcripti codicis auctoritate exhibere. Idem valet de epigr. L.; quod est ap. Steph. 471: ubi ceterum elegantius eſt apud Brunckium λαμυροῖς ὄμμασι πικρὰ γελᾷ, pro vulgato λ. ὄ. πυκνὰ γελᾷ. Ita de LII. ne verbum quidem monetur in obſervationibus: quamquam emendatius exſtet, quam apud Steph. p. 471. LXI. & LXII. non niſi unum ſunt epigramma, quae quidem ita ſunt jungenda, ut poſterius ab initio priori connectatur. Epigramma LXXXVI, quod est ap. Steph. p. 470., Brunckius ita edidit, prout emendatum erat a Toupio, Emend. Suid. II. p. 112. Nobis ita conſtituendum videtur:

Ἡδυμελεῖς Μοῦσαι σὺν πηκτίδι, καὶ λόγος ἔμφρων
Σὺν Πειθοῖ, καὶ Ἔρως κάλλεϊ ἡνίοχος,
Ζηνοφίλα, σοὶ σκῆπτρα πόθων ἀπένειμαν, ἐπεί σοι
Αἱ τρισσαὶ χάριτες τρεῖς ἔδοσαν χάριτας.

In verſu ſecundo vitium est in vulgatis exemplis, quae habent ἔρως καλὸς ἐφ' ἡνιόχῳ, pro quo Toupius tentabat ἔρως καλὸς ὑφηνιόχῳ, ut Zenophila ὑφηνίοχος Amoris dicatur. Sed ratio ſuadet, κάλλος Zenophilam accepiſſe ab *Amore*. Et hic quidem ſaepius Ἡνίοχος dicitur. v. c. apud Hermeſianactem Athen. XIII. 599. A. & ipſum Meleagrum epigr. III. & LVII. Et hunc verum eſſe ſenſum intelligitur

gitur ex ejuſdem epigrammate LXXXIV.

Ζηνοφίλα κάλλος μὲν Ἔρως, σύγκοιτα δὲ φίλτρα
Κύπρις ἔδωκεν ἔχειν, αἱ Χάριτες δὲ χάριν.

Et multo magis ex LXXXIX.

Αἱ τρισσαὶ Χάριτες τρισσὸν στεφάνωμα συνεῦνᾳ
Ζηνοφίλᾳ, τρισσᾶς σύμβολα καλλοσύνας.
Ἁ μὲν ἐπὶ χρωτὸς θεμένα πόθον, ἁ δ' ἐπὶ μορφᾶς
Ἵμερον, ἁ δὲ λόγοις τὸ γλυκύμυθον ἔπος·
Τρισσόν καὶ σοι Δαίμονες· ἁ Κύπρις ὤπασεν εὐνὰν,
Καὶ Πειθὼ μύθους, καὶ γλυκὺ κάλλος Ἔρως.

Verſu quinto ita, ut dedimus, legendum videtur, pro vulgato Τρίσσακι σεῦ δὲ μόνας, quod nihili est. Δαίμονες ſunt Dii, qui a Gratiis diſtinguuntur; & ab illis quoque triplicem coronam acceperat Zenophila. Ita fere Philodemus epigr. XXVIII. τοῦ γὰρ ἑνός σοι Θύματος οἱ τρισσοὶ Δαίμονες ἀπτόμεθα. Pro ὤπασεν in Codd. est ὤλεσεν, unde Reiskius faciebat ὤπλισεν; ſed illud magis & frequens & appoſitum. CIII. Elegans est conjectura Brunckii, reſtituentis ἐνὶ κλισίᾳ pro ἐν οἰκεσίᾳ. Sed verſu quinto etiam pro κἀμὸν ὄνειρον corrigendum erat, Κἀμ' ἂν ὄνειρον, vel κἀμέ γ' ὀνείρῳ Ψυχαπάτῃ, *num me quoque ipſa fallaci ſomnio oſculata est.*

LIV.

LIV. Melius est, Η' γὰρ ἱερας τρία τόξα κατείρυσαν, quam in vulgatis Steph. 35. Η' γάρ τοι τρία τόξα κατ: at nulla ſit in notis mentio auctoritatis, qua iſta mutatio nitatur.

Ita ſaepiſſime nullam mutationis rationem redditam fuiſſe reperimus, veluti CXIII., quod eſt ap. Steph. p. 82. CXXVII. apud Steph. p. 208. CXXX. ap. Steph. p. 224. CIX. Steph. p. 228. ὑπὸ χθονὸς pro ὑπὸ χθονὸς, & νᾶμα pro μνᾶμα. CXII. ap. Steph. p. 266. CXV. Steph. 444. multum inter ſe differunt. LXXXVII. Steph. p. 448. exhibetur ſecundum Toupii correctionem Em. Suid. II. p. III. Praeterea nonnullas Doricas formas, ut in aliis multis, ſic in hoc carmine, ex ſolo ingenio reſtituit Brunckius; & perperam quidem verſu penultimo 'A pro 'Η: ultimus etiam male interpungitur. CV. Steph. 449. cum verſu penultimo ſe ex codice Vaticano μυροβότρυος reſtituiſſe ait, ſaltem commemorare debuiſſet, vulgatam lectionem fuiſſe μυροβοστρύχου.

XCIII. Steph. 449. duae inſignes ſunt mutationes, de quibus in notis nil monetur: & ſic quoque in CVIII. quod ap. Steph. eſt p. 450. LXVI. ap. Steph. p. 452. LXXIX. ap. Steph. p. 470.

Sequitur *Callini* carmen, quod Stobaeus ſervavit, Ed. Geſn. p. 355. Tum *Archilochi* reliquiae. Harum cum nil exſtet in Anthologia Planudea, vellemus quidem Brunckium ſignificaſſe, ex quo ſcripto-

re

re unum quodque fragmentum ſumſerit, & utrum ex iis quaedam in codice Bouheriano invenerit. Pleraque ſunt apud Stobaeum, & unum praeterea p. 620. omisſum ab editore.

Proximi ſunt *Tyrtaeus*, *Sappho*, *Erinne*, *Mimnermus*. In hujus fragmento X, quod ex Ναννοῖ laudavit Strabo p. 634, corrigendum est:

Ἐς δ' ἐρατὴν Κολοφῶνα, βίην ὑπέροπλον ἔχοντες,
Ἑζόμεθ' ἀργαλέης ὕβριος ἡγέμονες.

Quod enim vulgo legitur, Ἐς δ' ἄρα τὴν Κολοφῶνα, nemo facile ferat: friget, ultra quam dici potest, articulus τὴν. Eademque medicina vis reſtituenda est Meleagri carmini XL legendo Κἠμοὶ τοι καλόν ἐστι ὑπὸ σπλάγχνοισιν Μυΐσκον κρύπτειν, pro vulgato Κἠμοὶ τὸν καλὸν. κ. τ. λ.: & ipſi Homero Il. A., 11. Οὕνεκα τοι Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα, pro τὸν Χρύσην.

Tum reliquiae veniunt *Solonis*: *Cleobuli* duo carmina, quorum primum Homero tribuitur in Planudea, ed. Steph. 219, & meliori ibi ordine digeſtum est, ut patet ex Platonis Phaedro p. 325. C. Tum *Aeſopi* unum: *Phocylidis*, quae ſuperſunt: *Anacreontis* omnia: *Simonidis Cei*, & aliorum ejusdem nominis, centum & duodecim: in quibus est etiam illud in mulieres carmen valde corru-

ptum,

tum, cujusque nobis duos locos ſanitati reſtituiſſe videmur: alterum:

> Τὴν δ' ἐκ θαλάσσης ἐν Φρεσὶν γ' ἤδη νόει.

ita corrigimus:

> Τῇ δ' ἐκ θαλάσσης ἐφράσαντο δὴ νέοι.

alterum ita reſtituimus:

> Ἥ σύν τ' ἀνάγκῃ, σὺν τ' ἐνιπῇσιν μόγις
> Ἔστερξε τὸν ἀγαγόντα, καὶ ποιήσατο
> Ἀρεστά.

Vulgatur verſu ſecundo: Ἔρεξεν οὖν ἅπαντα, καὶ π. Grotius jam ἔστερξεν ad marginem exempli ſui, quod est in bibliotheca Leidenſi, ex codice Pariſino A, adnotaverat.

Sequuntur duo *Timocreontis Rhodii*: unum *Aeſchyli*: *Bacchylidis* viginti: *Timonis* epitaphium: *Scolia*: *Jonis Chii* elegiaca pauca, & ſecundum ex emendatione Toupii Ep. Crit. p. 110, quod retinetur in Notis. *Empedoclis* duo: *Sophoclis* unum: *Eveni Parii* ſedecim: *Antimachi Colophonii* unum: *Simmiae* duo: *Euclidis* unum: *Platonis Philoſophi* triginta: *Platonis junioris*, *Speuſippi*, *Aeſchinis Rhetoris*, *Philisci*, *Theocriti Chii*, *Choerili*, *Agidis*, *Cratetis Thebani*, *Philetae*: horum quidem ſingulorum unum vel duo.

Mnaſalcae duodeviginti: ſecundum Reiskius jam

ediderat p. 13. quod, ut ſeptimum & duodecimum, mutatum exhibuit Brunckius, nulla reddita ratione. *Noſſidis* duodecim: quorum undecimum primus prodiderat Berkelius ad Steph. Byz. p. 518.: primum & octavum in edita erant Anthologia; ea haud exigua mutatione exhibuit Brunckius, nulla ejus facta mentione: in duodecimo pro χαλύκων ἐκ τραγικῶν, quod Toupius etiam tentaverat, Em. Suid. III. p. 108., eleganti, & haud ſcio an vera, conjectura Brunckius corrigit, φλυάκων ἐκ τρ. *Anytes* viginti & tria: in vigeſimo ſecundo item venuſta emendatione corrigitur, ἀνὰ κλέος pro ἀγακλέος: in nono quoque tacita correctione ἀχραὶς, quod nihili est, pro εὐκραεῖ inductum est: praeterea omiſſum epigramma in Themiſtoclem apud Wolfium p. 58, & illud, quod, apud eundem, decimum quartum est: in decimo non memoratur palmaria Lacrocii emendatio ἀμφὶ παρῇδα: decimum ſeptimum duobus in fine verſibus auctum est, neque in Notis de iis monetur. *Myrus* tria: *Menandri* unum: *Simmiae Rhodii* quatuor, cum Ovo, Ala, & Securi. *Aſclepiadis*, triginta & novem, á quibus abſunt duo, quae eidem poetae tribuuntur in Planudea p. 237. & 379. ed. Steph., quod parodia immutaverat Mnaſalcas ap. Athen. IV. p. 163. A. quae est inter ejus epigrammata, loco XIV, relata á Brunckio. Cum decimo ſexto comparari debuerat Auſonii imitatio, quod fecerat Ruhnkenius ad Jul. Ruf. p. 259. In ſeptimo

timo, verſus primus ita eſt legendus: Εὖρεν ἔρως τι καλῷ μίξει καλὸν, οὐχὶ μάραγδον. In decimo

Οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος· ἐρᾷν ἀρνεύμενον ἡμῖν
Μήνυσαν αἱ πολλαὶ Νικαγόρην προπόσεις.

vulgatur Ἤνυσαν. Sequuntur *Leonidae Tarentini* carmina centum, in quibus more ſuo Brunckius libere & pro arbitrio ſaepius verſatus eſt: veluti nono novam induxit lectionem, Πιτανάτις, ſine admonitione lectoris, quod patet ex Reiskio Anth. p. 46., & Pierſono ad Moerin p. 464., qui illud antea ediderant. In trigeſimo tertio eſt εὔφημος σφαῖρα: cujus explicatio nobis non probatur, & potius legendum videtur, εὔσημος σφαῖρα. Septuageſimum octavum in duo divulſum erat carmina, apud Jenſium 123. Octogeſimum, quod eſt in Alcmanem, leve habet vitium in Λύδος; nam legendum, εἴθ᾽ ὅγε Λύδων Ἄχθος ἀποῤῥίψας, οἴχεται εἰς Ἀΐδην; reſpicitur enim ad ipſius carmen in Sardienſes ap. Plutarch. T. II. p. 599. Nonageſimum quintum etiam aliquot in verbis differt a Planudea editione Steph. p. 257: item nonageſimum octavum. His proxima ſunt *Niciae Mileſii* carmina novem. Deinceps, *Diotimi* undecim: *Arati* duo: *Hegeſippi* octo: tum *Euphorionis* duo: totidem *Phaenni* & *Pamphili*: *Pancratis* tria: *Antagorae* duo: *Phaedimi* quatuor: *Hermodori* unum.

Sequitur *Theocritus* cum *Bione* & *Moſcho*, quos cum aliquot ſcriptis codicibus bibliothecae Vindo-

bonenſis & regiae Pariſienſis conferri curavit editor, quorum lectiones ſubinde commemorat in Notis. Ordinem Idylliorum vulgatum deſeruit: ſed lectionem quoque ſaepius, praeſertim in revocandis Doricis formis, raro tamen facta mentione. Atque eadem ratione in reliquis Bucolicorum carminibus verſatus est. Doricas certe formas nimis ſedule atque curioſe ubique invexit. Non eadem est dialectus Theocriti atque Epicharmi: haec antiqua est Dorica, neque fere quid cum aliis commune habet: illa recentior, cui ex aliis etiam dialectis quaedam admista ſunt. Itaque ipſe Valckenarius, ut multis locis Dorismum reſtituit, ita haud raro communem formam retinendam esſe judicavit.

Hos excipiunt, *Doſiadae* Arae, *Phanoclis* fragmentum de Orphei amoribus, *Alexandri Aetoli* quinque epigrammata, & totidem *Phalaeci*: tum *Callimachi*, qui reſtant hymni & epigrammata. In hujus contextu conſtituendo, ita fere actum est, ut in Theocrito. In epigrammatibus etiam, non ordo tantum receptus penitus turbatus est, ſed lectio itidem vulgata haud raro tacite mutata. In epigr. XIV., ap. Br. LIII.; commemoranda erat conjectura Petri Fonteinii, intelligentisſimi antiquarum elegantiarum judicis:

Οὗτος ἐμὸς λόγος ὕμμιν ἀληθινὸς, οὐδὲ, τὸν ἥδυν,
Πωλεῖται χαλκοῦ βοῦς μέγας ἐιν ἀΐδῃ.

vul-

vulgatur: -- ἐι δὲ τὸν ἡδὺν

Βούλει, Πελλαίυ βοῦς μέγας ειν ἀίδῃ.

vid. Dorvill. Sicul. T. II. p. 448, 449.

Sequuntur *Menecratis Smyrnaei* duo: *Eratoſthenis Cyrenaei* tria: *Rhiani* decem: *Hedyli* ſeptem: *Samii* duo: *Alcaei Meſſenii* viginti duo: *Philippi Regis Macedoniae* diſtichon in Alcaeum: *Dioscoridis* triginta octo: *Soſipatri* tria: *Tymnis* ſex. Ac haec quidem primo hujus operis volumine continentur. Jam ſi eorum etiam poetarum, qui in duobus reliquis extant, nomina recenſeremus, vereamur, ne iis, quibus ſcribimus, magno noſtro labore plus taedii, quam utilitatis, adferamus. In primo quidem volumine multo magis id faciendum erat, quod multa in eo ſunt aliorum poetarum carmina, quae quomodo inter Anthologicorum epigrammata digeſta esſent, haud abs re erat cognoscere. In duobus reliquis nil fere, aut parum, aliunde illatum est a Brunckio, pleraque omnia ſunt propria Anthologiae. Quare ſaltem vel celebriores, vel eos, quorum plurima ſuperſunt carmina, cognoscamus. Eorum igitur, quos in Coronae dedicatione memoravit Meleager, haec ſequuntur: *Polyſtrati* duo: *Nicandri Colophonii* tria: *Perſae Thebani* octo: *Antipatri Sidonii* centum et octo, quamquam non pauca ex iis juniori Antipatro, nimirum *Thesſalonicenſi*, tribuenda videntur: *Damageti* tredecim:

in nono ſcitam invenimus emendationem Brunckii, ultimum diſtichon ita conſtituentis:

Ναὶ μὴν ἀλλ' ἀρετᾶς σε διακριδὸν Ἆλις ἀείδει,
Θερμὸν ἀνὰ ξείνην αἷμα χέαντα κόνιν.

i. e. *Elis te propter virtutem tuam canit:* vulgo legitur -- ἀρετή σε διακριδὸν ἄλις ἀείδει. Proximus est *Theodoridas*, cujus undecim exſtant epigrammata. Tum *Poſidippus*, cujus ſunt unum & viginti; in decimo, audaci conjectura, tentat hanc mutationem; cum enim vulgo ita legatur:

Μεστὸν ὑπὲρ χείλευς πίομαι Κύπρι. τ' ἄλλα δ' ἔρωτες,
Νήφοντ' οἰνωθέντ' οὐχὶ λίην ἄχαριν.

Brunckius corrigit: -- Κύπρι. σοὶ γὰρ ἐραστὴς
Νήφων τ' οἰνωθείς τ' ἔυχαρίς ἐστιν ὁμῶς.

Deinceps *Phaniae* ſunt octo, & tria *Chaeremonis*.

Hucusque pertinent poetae, aut certe aetas eorum, quos Meleager in Coronae dedicatione commemoravit. Quibus deinceps, contra temporum rationem, antiquiorum nonnulla ſubjecta ſunt epigrammata, velut *Demodoci*, *Hippiae Elei*, *Euripidis*, *Archelai*, *Philoxeni*, *Duridis*, *Xenocratis*, *Parrhaſii*, *Philemonis*, *Zenodoti*, *Arceſilai*, *Doriei*, *Archimeli*, *Demetrii Bithyni*, *Herodici Babylonii*, *Ptolemaei Re-*

gis

gis: *Timonis Phliaſii* reliquiae, pleraeque jam ab H. Stephano in Poeſi Philoſophica collectae: *Zenodoti*, *Artemonis*: plerorumque, excepto Timone, duo vel tria.

Sequuntur ii, ex quibus Philippus Theſſalonicenſis Coronam collegit ſuam. *Diodorus Zonas*, cujus decem ad nos pervenere epigrammata. *Philodemi* triginta & unum: *Archiae* triginta quatuor: illum nominavit in Coronae dedicatione Philippus, hunc non item: in utrisque est illa ingenii ſuavitas, digna quae Ciceronis praeconio ad poſteritatem commendaretur. *Tullii Laureae* tria. His ſubjiciuntur alii, quorum nullam fecit mentionem Philippus: *Scythinus Tejus*, *Pompejus junior*, *Aelius Gallus*, *Myrinus*, *Ariſtocles*, *Piſo*. Tum nominati a Philippo *Antipatri Theſſalonicenſis* ſeptuaginta carmina: tum non nominatorum, *Boethi* unum, *Alphei Mitylenaei* duodecim, *Apollonidae Smyrnaei* triginta: iterum duorum ab eodem commemoratôrum, *Crinagorae* quadraginta ſex, & *Bianoris* undeviginti: deinceps *Germanici Caeſaris* unum, *Lollii Basſi* undecim, *Thalli Mileſii* quinque, *Cn. Lentuli Gaetulici* novem: tum nominati a Philippo, *Antiphili Byzantini* quadraginta tria, & *Diodori junioris* ſedecim, quibus interjecta ſunt quatuor *Dioclis Caryſtii*, & *Polemonis Regis* tria, ſubjecta *Acerati Grammatici* unum, *Leonidae Alexandrini* quadraginta tria, *Capitonis* unum, *Corn. Longini* duo. Denique cum reliquorum a Phi-

 lippo

lippo nominatorum, *Parmenionis Macedonis* quatuordecim, *Antiphanis Macedonis* novem, *Automedontis Cyziceni* undecim, tum ipſius *Philippi* octoginta quatuor.

Et hactenus quidem operae pretium erat, nomina etiam poetarum cognoscere omnium. Neque enim ſolum, quae ex Meleagri, ſed quae ex Philippi quoque Anthologia reſtant, carmina, inter venustisſima Graecae Poëſeos monumenta referenda ſunt. In iis vero, quae horum aetatem ſecuti ſunt, magis magisque *labentis* elegantiae veſtigia deprehenduntur; quamquam eorum nonnulli, ita ſe a ſeculi contagione puros caſtosque ſervaverunt, & ad veterum imitationem compoſuerunt, ut in eorum carminibus non tantum ſanitatis color, ſed ſuccus etiam priscus & lepor appareat. Quare poſteriorum poetarum, partim commemorandi ſunt propter ſuas dotes, partim propter copiam carminum, quae ſuperſunt. In illis praecipui ſunt *Lucianus*, cujus triginta novem exſtant: *Lucillius*, cujus ſunt centum & viginti quatuor; *Nicarchus*, a quo habemus triginta octo; *Argentarius*, cujus ſunt triginta tria: *Strato Sardianus*, qui puerilem Muſam concinnavit, ex qua centum fere aetatem tulerunt carmina. In his ponendi ſunt *Palladas Alexandrinus*, cujus ſunt fere centum & quinquaginta: *Christodori* Ecphraſes: *Juliani Aegyptii* ſeptuaginta. His adjicienda ſunt, quae tertio continentur volumine: epigrammata, *in athletarum columnis*

lumnis circi Conſtantinopolitani, ſexaginta: *Agathiae* fere centum, omiſſo tamen ejus prooemio, quod primus ediderat Fr. Vavasſor in libro de Epigrammate, & ex eo J. A. Fabricius B. G. T. II. p. 692. *Pauli Silentarii* octoginta tria: *Macedonii* conſulis quadraginta: tum *Inſcriptiones* nonnullae in Byzantinis donariis; tum epigrammata ἀδέσποτα, ſeu quorum auctores ignorantur, ſeptingenta & quinquaginta ſex, in quibus haud pauca ſunt priſci coloris: denique Aenigmata triginta octo.

Ceterum illud etiam deſideramus in hac editione, quod nulla, de ipſorum poetarum vita, rebus, aetate, addita est notitia; quae quidem multum facit ad judicandum, de cujusque ingenio ac meritis. Neque etiam intelligimus, quodnam conſilium ſecutus ſit Cl. editor, in adjiciendis huic operi aliorum poëtarum reliquiis. Quid enim est, quod v. c., cum Solonis fragmenta adderet, non Theognidis item adjiceret; aut, cum Callimachum & Phanoclis carmen exhiberet, Hermeſianactis ſimile fragmentum apud Athenaeum negligeret, aut in conquirendis Euphorionis & Philetae elegis non plus operae poneret. Sed haec levia ſunt prae alio vitio. Prima, ſine dubio, cujusque editionis laus est, ut contextus, quoad ejus fieri potest, integre, ſincere, & certa fide reddatur. Qua quidem laude hanc editionem carere, ipſe intellexit auctor; cum ſaepius in notis moneret, epigrammatis verba perperam a ſe conſtituta atque ex-

 preſſa

preſſa eſſe. Itaque vel in praefatione pollicitus est, novam ſe propediem editionem daturum. Quod ſi fecerit, & ſuis, & eorum, qui hunc librum emerunt, rationibus haud optime conſuluerit. Omnino unicam nos videmus ejus medelam, hanc, ut ipſe Romam eat Cl. Brunckius, codicem Palatinum deſcribat, eumque ſicut est, cum ipſis vitiis, nullo novo ordine inducto, exhibeat. Ita quartus exiſtet tomus, tribus prioribus multum praeferendus: & Brunckius perfecta editoris laude cumulabitur. Nam & *hanc* editionem ſuis ipſe ſumtibus fieri curavit, egregio literarum amore: neque ei ulla externi cultus pars deest. Typorum ſunt elegantes formae, charta nitida, operarum vitia valde pauca: quaedam etiam exempla in quartae formae charta ſunt expreſſa, quae ſuis ipſe uſibus reſervavit editor, quorumque nonnulla viris doctis vel amicis ab eo dono *miſſa* audivimus. Denique ipſe valet magna variaque doctrina, quamquam non parata illa atque digeſta per libros adverſariorum, quos ſe nullos *habere*, alicubi ait: tum ingenium habet ſagax in odorandis *vitiis*, atque ſenſum venuſtatis, praeſertim poeticae, acrem ac limatum, metricarum etiam rationum ſcientiam haud vulgarem. Quare quo magis has ingenii *literarumque* laudes in editore exſtare videmus, eo magis dolemus, ipſam editionem una hac diligentiae ſinceritatisque laude carere.

Ἀγιλ-

III.

Ἀχιλλέως Τατίȣ Ἀλεξανδρέως Ἐρωτικῶν, *ſive de Clitophontis & Leucippes Amoribus, Libri VIII. Varietate lectionis, notisque Cl. Salmaſii, J. B. Carpzovii, T. B. Bergeri, ac ſuis, illuſtrati a Benj. Boden. P. P. O. Lipſiae* 1776. 8.

Quae ex Graecis ſuperſunt amatoriae fabulae, labem atque contagionem, ſeculi tertii & ſequentium, quibus ſcriptae ſunt, non verbis tantum & oratione, ſed rebus etiam, ſententiis, ac diſpoſitione manifeſte produnt. Quod quidem eo magis miramur, quod & ipſum argumentum tam teneram, mollem, variamque habet materiam, ut nullam non capiat ſcriptionis inventionisque ſuavitatem; & quod eadem aetas in aliis generibus ſcriptores tulit excellentes, quique prope ad antiquorum praeſtantiam accederent. Cujus diverſitatis cauſſas altius indagare, ut non est hujus loci, ita unam, eamque maximam, reticere non poſſumus, eam, quod amatorii ſcriptores non, ut illi, continua ac diligenti veterum lectione meditationeque ingenia a ſeculi ſordibus purgarunt & ad naturae ſimplicitatem conformarunt. Sed ab iſtius reprehenſionis ſocietate Longum eximit, cum ipſius, tum Bucolici argumenti, nativa venuſtas.

In.

Inter reliquos vero, ut inter tales, principes ſunt duo, Heliodorus & Achilles Tatius, aequales aetate, ſimiles inſtituto, inventione, diſpoſitione, pares etiam fere doctrina & oratione.

Nos, quod ſuſcepimus, nunc de Achille disputabimus, & primum de ipſius fabulae argumento, laudibus, vitiisque exponemus, deinde de editoris opera ſtatuemus.

Hippias Tyrius bis matrimonium inierat: ex priore filium Clitophontem, ex poſteriore filiam Calligonen ſusceperat. Hos liberos cum mutuo inter ſe matrimonio conjungere vellet, jamque fere in eo esſet, ut nuptias eorum celebraret, veniunt Byzantio Tyrum fratris ejus Soſtrati uxor Panthia, & Leucippe filia. Clitophon qui hucusque ſororem ſatis amasſet, neque ab ejus conjugio abhorruisſet, repente mutatur Leucippes adſpectu: ad hanc toto animo convertitur, a Calligone avertitur. Ignis conceptus quotidie crescit, videndo puellam, colloquendoque cum ea; ſed quomodo ea potiretur non inveniebat, inops quippe conſilii & recens in amore. Quod quidem partim edocetur a Clinia conſobrino, duobus annis majore eodemque amoribus haud inexercitato juvene, partim adjuvatur Satyri, ſummae ſervi aſtutiae, opera. Habebat autem Leucippe, ut ſummam formae pulchritudinem, ita ingenium haud ſuperbum atque durum, ſed ſuave, humanum, atque elegans; unde obſequio & amore Clitophontis

tis paulatim vincitur, eumque viciſſim amare incipit. Fit etiam, quo liberior Clitophontis animus a deſtinatis ei Calligones nuptiis eſſet, ut ea raperetur a Calliſthene, Byzantio juvene. Perſuaderi ſibi patitur, a Clitophonte, Leucippe, ut eum noctu clam ad ſe recipiat. Et quamquam in eodem cum matre cubiculo dormiret, quae filiae pudicitiam & ipſa omni cura, & ſervorum vigiliis, & forum clauſtris cuſtodiebat, totam tamen iſtius diligentiam fefellit Satyri aſtutia, qui ejus ſibi ancillam Clionem conciliaverat. Intromittitur Clitophon: ſed, nondum amplexus erat puellam, cum mater, ſomnii viſa exterrita, repente ad filiae lectum ſe proripit. Ille vix effugiendi tempus habet, tamen ita evadit, ut a Panthia non cognosceretur. Haec vero ira atque dolore incenſa, ſervos clamare, omnia turbare, quaerere quis in cubiculo adfuerit, Leucippen increpare, conviciari, Clionem in quaeſtionem tradere velle, ut cruciatibus ex ea veritatem extorqueat. At Clio commodum fuga ſe ſubduxerat, ut Panthia nil certi comperire poſſet. Leucippe, ſuſpicionum matris criminationumque quotidianarum pertaeſa, tandem fugae conſilium capit, & cum Clitophonte communicat. Parat omnia Satyrus, eluditur matris cuſtodia, clam domum egrediuntur noctu, currum conſcendunt, &, ſocio Clinia, Berytum perveniunt, ibique navem nacti, quae jam in eo erat, ut ex portu ſolveret, Alexandriam tendunt.

Erat

Erat forte in eadem navi Menelaus Aegyptius, liberali adoleſcens ingenio, & honeſto loco natus, quocum eos in convictum amicitiamque conciliat itineris ſocietas. Sed cum per aliquod tempus proſpero uſi fuiſſent vento, oritur ſubito graviſſima tempeſtas, quae navem diu miſere agitatam ſcopulo tandem illidit ac diſſolvit. Reliqui omnes undis obruuntur: una prorae pars ea, qua Clitophon ſolus cum Leucippe conſederat, integra manet, & Peluſium appellitur. Ibi, refectis corporibus, navem conducunt, & Alexandriam petunt. Tenebant vero illo tempore paſtores regiones inferioris Aegypti paluſtres, easque latrocinio infeſtabant. Hi navem intercipiunt, ſpoliant, Clitophontem ac Leucippen vinciunt, & cum reliquis captivis cuſtodiunt. Quae calamitas quamvis, ut erat, maxima eſſet, alia tamen velut malorum cumulus acceſſit. Oraculo monebantur latrones, exercitum luſtrare captae virginis ſacrificio. Statim adcurritur ad Leucippen: abſtrahitur reluctans a Clitophonte, nequicquam & ipſo reluctante. Interea ſuperveniunt Aegyptiae legiones, emiſſae a praefecto ad coercendos delendosque latrones, eosque in fugam vertunt, intra paludes rejiciunt, & cum aliis captivis Clitophontem etiam ex eorum poteſtate eripiunt. Paſtores nil prius habent, quam, ex oraculi juſſu, ſacrificio defungi. Struitur ara, adducitur a duobus juvenibus Leucippe, caeditur, & eodem loco terra

conti-

continuo conditur. Atque haec omnia in conſpectu Aegyptii exercitus & Clitophontis peragebantur, qui virgini opem ferre, propter interjectam foſſam, non poterant. Clitophon ſtupefactus & fere enectus ſpectaculi atrocitate, cum primum ad ſe rediit & congeſtam vidit foſſam, currit eo ubi Leucippen caedi viderat, ut ſe eo ipſo loco interficeret. Jamque gladium admoverat jugulo, cum de repente exiſtunt Satyrus & Menelaus, qui eum amplexantur & a mortis conſilio ad vitam revocant: Leucippen enim vivere: omnia ei exponunt: ut ex naufragio enatarint: ut in paſtorum manus inciderint: ut, agnita Leucippe, ab eorum duce ſacrificii peragendi provinciam poposcerint & impetraverint: qua eos inſpectantes arte eluſerint, ut, cum jugulatam putarent virginem, ea tamen viva manſerit. Et Leucippen quidem continuo protrahunt ex loculo, quo condita erat, eique reddunt. Hoc tum primum fuit tempus, quo libere ſolus cum ſola eſſet; itaque Veneris tandem fructum percipere vult. Contra dimovet eum puella, dicens, Minervam ſibi pridie, quam ſacrificanda eſſet, apparuiſſe, ſalutemque promiſiſſe ea conditione, ut virginitatem ſervaret, donec ab ipſa Dea Clitophonti dicaretur. Haud multo poſt eam deperit Charmides militum dux, eaque potiri intemperanter cupit. Quem dum differunt Satyrus & Menelaus, Leucippe in furorem incidit ex philtro, quod ei Gorgias miles, ipſe quo-

que

que ejus amore captus, miſcuerat. Mox Charmides & Gorgias a paſtoribus caeduntur: liberataque erat ab eorum poteſtate Leucippe, non item a furore. Ingraveſcebat quotidie mali vis, donec ejus originem aperit Chaereas miles, medicumque adducit, qui virginem ſanitati reſtituit. Veniunt Alexandriam, comite Chaerea. Hic quoque ejus amore incenſus, rapere puellam ſtudet. Invitat eam, cum reliquis, domum ſuam, in Pharo inſula. Eunt contra Menelai conſilium & ominum quoque monita. Neque vanus fuerat metus: nam inter coenandum, velut aliud agens, primum ſurgit Chaereas, tum irrumpunt latrones, qui Leucippen abripiunt, in navem imponunt, & remis veliſque aufugiunt. Clitophon ab inſulae praefecto auxilium poſtulat, & navem ab eo impetrat armatam, qua latrones perſequatur. Hi cum perſequentium vim velocitatemque effugere non poſſent, jamque teneri ſe viderent, callido ſe conſilio expediunt. In puppis enim tabulata mulierem adducunt in adverſariorum conſpectum, ei caput abſcindunt, truncumque in mare projiciunt, his verbis ad Clitophontem ſociosque clamantes: *en vobis corpus, de quo pugnaturi eratis!* Clitophon, qui noctis obſcuritate mulierem caeſam oculis cognoſcere non ſatis poterat, Leucippen interfectam eſſe arbitratus, a perſequendo deſiſtit; truncum expiſcatur & in inſula ſepelit; ipſe Alexandriam revertitur. Ibi moerore confectum & rerum omnium

taedio

taedio laborantem. ſuſtinet conſolaturque Menelaus: tempus quoque paulatim majorem luctus partem demit. Sexto menſe in Cliniam forte incidit. Hunc Sidonii e naufragio ſuſtulerant, ſalvumque Sidona advexerant, ubi a Soſtrato literae ad Hippiam adlatae erant, quibus ille filiam Leucippen Clitophonti deſpondebat. Atque hunc tam laetum nuntium ut Clitophonti adferret, Clinias iterum Alexandriam repetierat, ſi forte eum ex naufragio ſervatum ibi invenire poſſet: quibus adjiciebat, patrem quoque Hippiam ipſum propediem affuturum, ut filium recuperaret. Hoc nuntio animus Clitophontis non tam ad aequitatem revocatur, quam obducta luctui cicatrix refricatur memoria Leucippes. Igitur conſtituit patris ſe adſpectui ſubducere, Alexandriamque relinquere. Dum abitum parat, nuntiant ei Menelaus & Satyrus, Melitten, in cujus notitiam Alexandriae venerat, vehementi ejus amore flagrantem ei nubere velle. Erat haec mulier Epheſia, florente aetate, pulchritudine haud vulgari, divitiis affluens, & recens vidua, marito per naufragium amiſſo. Clitophon primum omnem nuptiarum mentionem averſatur: poſtea, paulatim amicorum precibus exoratus, ut fortunae & rebus ſuis conſulat, conditionem accipit: ea tamen lege, ut ne nuptiae fierent, donec Epheſum perveniſſet: neque enim vel in Aegypto, neque mari, ubi Leucippe tot mala perpeſſa erat, & mortem quoque obierat, ſibi

ſas eſſe putabat Veneri operari. Proficiscuntur Alexandria: ſalvi Epheſum veniunt. Et primo quidem die in villam Melittes divertuntur, ut interea nuptiae parentur in urbe. Operabatur vero inter ſervas in agro mulier recens emta, tonſo capillo, ſqualore panniſque obſita, virgis etiam crudeliter lacerata: elucebat tamen quaedam ex facie habituque honeſtas. Haec ſe ad Melittes genua abjicit oratque, ut ſe, honeſtis ingenuiſque natam parentibus, in libertatem reſtituat, & a Softhenis libidine vindicet. Hic, licet ipſe ſervus eſſet, ſervorum operumque in villa erat praefectus, mulieremque hanc nuper a latronibus advectam, formae cauſſa emerat, pudicitiamque ejus, quam blanditiis primum ſollicitaverat, poſtea verberibus expugnare nitebatur. Melitte eam benigne ſuſcipit, ſolvi vinculis, &, donec in patriam abiret, liberaliter haberi jubet: Soſthenem abigit. Ceterum Clitophon ad mulieris ejus adſpectum turbatur, & tacito praeſagio percutitur, quod in ejus vultu habituque magnam cum Leucippe ſimilitudinem deprehendere ſibi videbatur. Neque temere: nam erat ipſa Leucippe. Cum domum rediiſſet, inter coenandum eum Satyrus ſeorſim vocat, literas a Leucippe tradit, & totam rem exponit. Clitophon laetitia & ſpe exultat, neque quidquam prius habet, quam confeſtim ad Leucippen adcurrere. Retinet eum Satyrus: conſtituunt, rem a Melittes notitia cohibere, & prima quaque occaſione auffugere

re. Sed, reperta puella, Clitophon multo magis, quam antea, abhorrebat a Melittes amplexu: neque tamen habebat, quomodo mulierem, amore ferventem, & ad Veneris opus impatienter feſtinantem, diutius fruſtraretur; praeſertim cum ejus blanditias lachrimasque jam Alexandriae & in itinere una hac conſolatus esſet ſpe, nuptias ſe ejus accepturum, quam primum Epheſum pervenisſet. Sed hanc ejus curam nova calamitas ſupervacaneam fecit. Nam Therſander, maritus Melittes, inſcia illa, ex naufragio evaſerat, & ſalvus domum redierat. Qui audiens ab obviis, uxorem ſuam ſecundas hodie nuptias celebrare, ira percutitur, confeſtim in aedes irrumpit, turbat, aeſtuat, Clitophontem multis modis miſere verberat, & conſtrictum ſervis cuſtodiendum tradit: quibus peractis, domo egreditur, & amicos viſere feſtinat. In hac lucta Clitophon epiſtolam Leucippes, quam intra tunicam abdiderat, amittit: hanc tollit Melitte; & totam rem cognoscit. Tum ipſa ſecum triſtem ſuam indignata ſortem, omnia experiri ſtatuit; ſaltem ne fruſtra ſecundo viro nupſisſe ſibi videretur. Intrat igitur in cuſtodiam, ſolvit eum ex vinculis, memorat ſuum in eum amorem, miſeratur fortunam ipſa ſuam, quod adulterii infamiam quidem ſuſceperit, voluptatem non perceperit: omnia ei blanditiarum lenocinia admovet, ad lachrimas quoque precesque confugit. Vincitur Clitophon; fitque illud, quod Amor diu

voluerat. Illa, peracta re, veſtes ſuas cum eo permutat, & donis liberaliter ornatum, poſtremum exoſculata dimittit. At vix egreſſus erat foras, ſeque tandem in tuto arbitrabatur, cum in Therſandrum redeuntem incidit: cognoſcitur, comprehenditur, & pro adultero in carcerem publicum abducitur. Neque vero Leucippe in libertatem reſtituta erat. Soſthenes enim, cognito Heri adventu, ſponte in agrum redierat, & Leucippen denuo in poteſtatem redegerat ſuam, ut eam dono offerret Therſandro, atque ita magnam ab eo gratiam iniret. Hic ſimul atque eam vidit, amore exarſit, eamque omnibus modis ſollicitare coepit: illa contra, nec vivam ſe, nec mortuam, alterius quam Clitophontis fore, asſeverat. Quare in eam cogitationem incidit, ita ſe Leucippe potiturum, ſi Clitophontem interfeciſſet, & cum Melitta divortium feciſſet. Hanc igitur in adulterii judicium vocat: illum, ut clam occidi curaret, carceris praefecto perſuadere conatur: poſtea, hujus conſilii periculo deterritus, aliam iniit rationem cum praefecto. Subornant hominem, cui praecipiunt, ut, ſe veluti maleficum in carcerem abduci patiatur, ibique Clitophonti narret, Leucippen interfectam eſſe. Sperabant enim ita fore, ut, objecto iſto terrore, Clitophon eo citius, ſi ei evadendi facultas data eſſet, ea uteretur, & Epheſum relinqueret. Contra, longe res aliter cecidit, ac putarant. Adducitur in carcerem

rem homo, &, velut aliud agens, praeſente tamen Clitophonte, adverſam fortunam incuſat, quod ipſe innocens, loco ejus, qui Leucippen interfeciſſet, in carcerem abreptus ſit. Contremiscit ad Leucippes nomen Clitophon, totamque rem ſibi ab homine narrari poſtulat. Narrat ille, Melitten, foeminam primariam inter Epheſiacas, juvenis cujusdam Tyrii amore captam, per invidiam & aemulationem, ejus uxorem Leucippen interficiendam curaſſe: interfectorem evaſiſſe, ſe vero, dum iter faceret cum eo, comprehenſum eſſe. Hac fabula peracta, hiſtrio clam ex carcere dimittitur. Clitophon, tanta nuncii acerbitate ab animi ſtatu dejectus, rerumque omnium pertaeſus, vitam finire ſtatuit, ita tamen, ut Melitten etiam ulciscatur: nequicquam diſſuadente Clinia, qui ad eum conſolandum in carcerem venerat. Agitur adulterii judicium magno apparatu: producitur Clitophon, & ipſe adulterum ſe Melittes eſſe, eaque conſcia Leucippen interfeciſſe, ſponte profitetur. Melitte ejusque patroni inopinato caſu perturbantur, neque quid agant reperiunt. Accurrit Clinias: dicendi veniam petit: docet, Clitophontem, fractum aegrotumque animo, falſa narraſſe, ut mortem oppeteret. Necdum, quid ſtatuant, judices habent. Therſander enim omni ratione caverat, ne veritas patefieret: Leucippe occulta tenebatur: Soſthenes, quem Melitte ad quaeſtionem poſtulabat, effugerat. Itaque poscit a

Judicibus Therſander, ut reum, qui ſe ipſe caedis accuſasſet, ex lege, damnatum capitis, morte multarent. Condemnatur Clitophon, &, antequam ultimo ſupplicio afficitur, tormenta ei adhibentur, ut quaeratur, an Melitte quoque caedis conſcia fuerit. Jam denudato ſtat corpore, rota, ignis, flagra adferuntur; cum ſubito, ecce, advenit Dianae ſacerdos, & inhibere jubet quaeſtionem. Erat enim illa Epheſiorum lex, ut, cum pompam advexisſent peregrini, continuo juſtitium indiceretur. Et nunc quidem Byzantii, oraculi jusſu, propter victoriam de Thracibus, dona Dianae Epheſiae miſerant, eorumque legatio modo urbem intraverat. Ejus forte princeps erat ipſe Soſtratus, qui ad forum veniens cum ſacerdote, ut audiit de Leucippes caede quaeri, agnovitque Clitophontem, ſtatim ira exarſit, neque quidquam propius habuit, quam ut in eum involans ipſe ab eo de filiae caede poenas ſumeret. Retinetur vix tandem a Clinia, & quid res ſit audit. Interea Leucippe e cuſtodia in Dianae templum evaſerat; nam Soſthenes, capta ſubito fuga, fores cuſtodiae claudere oblitus erat. Itaque res denuo in judicium adducitur, auctore in primis defenſoreque reorum ſacerdote: causſa magno apparatu ab accuſatore & reis inſtruitur: patroni omnem utrimque eloquentiae vim expromunt. Aeſtuare indignarique Therſander, quod eriperetur ſibi condem-

demnatus reus, & ſerva, quam optimo jure emtionis poſſideret: in Soſtratum & ſacerdotem contumelioſe invehi. Sacerdos contra accuſatoris crimina diluere, eumque, ad comici Ariſtophanis imitationem, acriter ſimul & feſtive exagitare. Tum Therſander, artes omnes ſuas fruſtra conſumtas, exitumque judicii in eo poſitum esſe videns, ut Leucippe intactam ſe virginem, Melitte puram ab adulterio, probaret, ambabus religionis terrorem objicit. Erat enim in templo Dianae ſacra fiſtula, ex cujus cantu de puellarum virginitate judicabatur: erat item Stygii fontis lavacrum, quo cognoſcebatur uxorum fides caſtitasque. Accipit conditionem Leucippe magno cum gaudio: nec Melitte eam detrectat, quod ei a Therſandro hac formula offerebatur., ſi abſente marito rem cum Clitophonte non habuisſet. Et mulieres quidem ita experimenti religionem ſubierunt, ut innocentiae documentum utraque aufferret. Tum vero univerſorum conviciis laceratur Therſander, & ni fugam cepisſet, nil erat propius, quam ut lapidibus obrueretur. Soſtratus Leucippen denuo Clitophonti deſpondet: abeunt Byzantium, & inde Tyrum. Ibi Calligonen etiam cum Calliſthene inveniunt. Hic eam, postquam rapuisſet, honeſte habuerat, ac, mutata vitae ratione, ad frugem redierat, &, in bello contra Thraces additus Soſtrato collega, egregiam patriae navaverat operam; neque tamen ipſe ahhuc puellae ma-

trimonio potitus erat. Itaque Hippias & Soſtratus eodem die liberorum nuptias celebrant.

Atque ex hac quidem fabulae ſumma intelligitur, eam argumentum habere ſatis magnum & varium, neque a ſimilitudine veri & conſuetudine vitae abhorrens. Similes vero laudes in ſingularum etiam partium compoſitione expolitioneque tribuere ei non poſſumus. Primum ducitur ab exordio parum veriſimili : nam totam hiſtoriam narrat Clitophon, auctori numquam antea cognitus, ſed caſu ad eandem ſpectandam tabulam, de Europae raptu, delatus; & quidem ita narrat, ut per octo libros numquam intermittat ſermonem. Aliter apud veteres, v. c., Platonem, qui, veriſimilitudinis cauſſa, narrationem, praeſertim longiorem, interrumpunt, & ad res cum ipſis narrantibus conjunctas divertunt. Similiter Longus exordium duxit a tabula picta : ſed longe melius ipſe ſolus conſumſit orationem deſcriptione caſuum, quos tabula exhibebat. Deinde illud magnopere deſideramus, quod hominum, quorum praecipuae ſunt in fabula partes, indoles nec depingatur, nec dictis factisque ſignificetur iis, quae ejus indicia prodant, nec forma exprimatur ingenii, animi, ac morum. Quid est in Clitophonte, quod non in aliis plerisque ejusdem loci, aetatis, conditionisque ſit juvenibus? quid in Leucippe, quin idem in omnibus fere liberaliter & ingenue inſtitutis puellis reperiatur? Neque aliorum hominum indoles mo-

resque

reſque melius ſignificantur. Contra nimius est in deſcriptionibus, communi Sophiſtarum vitio, v. c. regionum, locorum, urbium, tabularum, &, in primis, animi perturbationum, in quibus quidem omnibus exultat oratorie, & verborum ſono fervet. Est omnino utile & in primis elegans, paſſionum, quibus animi moventur, fontes, rationesque deſcribere, ſed ita ut ex ipſis factis & rebus cognoſcantur, neque lector ſubito ad aliam quaſi picturam convertatur, ſed leniter ipſa ſerie narrationis ductus motuum originem, ſucceſſionem, exitumque cognoſcat. Atque in his locis philoſophum agit Tatius, ſed ita, ut quaſi ex Sophiſtae commentario ſententias & rationes adferat. In aliis vero libri partibus multo plus habet diligentiae atque veriſimilitudinis, veluti in colloquiis atque orationibus. Sed, quod initio jam dixeramus, habet noſter magnam cum Heliodoro convenientiam, & cum aliis, qui vel perierunt, vel adhuc in bibliothecis latent: quosque omnes a Diogenis Antonii imitatione pendere, auctor est Photius Cod. 166. Heliodorus argumento compoſitio, neque ad heroicum carmen vel tragoediam accedit. Omnino ſi Aethiopica ut poëma ſpectentur, multa probabuntur, vel certe mitigabuntur, legentium ſenſu, quae in hiſtoria, aut ſimili opere, haudquaquam ferenda ſint. Achilles contra manet in quotidianae vitae lege ac conſuetudine, & propior est comoediae: &

nonnumquam ad hilaritatem & feſtivitatem remittitur. Sed longum est de hac fabula in utramque partem diſputare. Laudes ejus praecipuae ſunt duae: altera, doctrina varia & jucunda, partim ex philoſophia, partim ex aliarum rerum ſcientia, gentium locorumque petita: altera, ſtilus elegans, terſus, quamquam, uno alteroque loco, verborum novitate ac ſono, compoſitionisque curioſitate laborans.

Ceterum primus hunc librum ediderat Graece, *ex* codice Palatino, Commelinus, Heidelbergae, cum Longo & Parthenio, 8. 1601. Post eum Salmaſius, ex compluribus libris ſcriptis, correctiorem edidit textum Lugduni Batav. 12. 1640., animadverſionibus adjectis haud quidem paucis nec contemnendis, ſed ejusmodi tamen, ut meliores dare potuisſet, niſi operae typographorum nimium feſtinasſent. Itaque plurimum adhuc labis & corruptelae relinquebatur, non in ſingulis tantum verbis, ſed in oratione tota, quae ſaepius ita turbata est, ut vix commodus extorqueri posſit ſenſus, & in *qua* ita discrepant libri ſcripti, ut Salmaſius putaverit, duplicem olim ab ipſo auctore factam esſe editionem. Hanc vero corruptelam magnopere imminutam esſe, & lucis medelaeque multum accesſisſe libro, nova hac editione, affirmare omnino non posſumus.

Reddidit Bodenus textum Salmaſianum, cum verſione Cruceji. Librum ſcriptum habuit Bavaricum, ex

ex quo tamen parum bonae lectionis adlatum deprehendimus. Nam quod ait, ſe lectiones librorum Italicorum etiam nactum fuiſſe, quam vim habeat neſcimus, cum eas in notis commemoratas non reperiamus. Codex vero Palatinus, ut eum vocat, non est niſi editio Commeliniana. Carpzovii obſervationes, peculiariter antea editae, paucae ſunt eaeque longae, neque comparatae ad emendandum illuſtrandumque auctorem. Haud disſimiles iis ſunt Bodeni animadverſiones: habent haud paucis locis utilem comparationem aliorum Eroticorum, & doctrinam, quamquam eam magis ex recentiorum commentariis, quam antiquorum fontibus, hauſtam: non item ingenium criticum & ſcientiam accuratam linguae; unde etiam factum est, ut de multis locis, quorum facilis erat & parata medicina, ei non liqueret. Majorem Graecae orationis intelligentiam in Bergeri notulis deprehendimus, & acumen, haud raro, inveſtigandae verae lectionis cum ſenſu venuſtatis. Haec de editorum interpretumque opera ſufficiant. Nunc ipſi pauca ex iis, quae nobis in mentem venerunt, adjiciamus.

Itaque p. 18. ed. Salmaſ. ad verba. Ὡς δὲ εἶδον, εὐθὺς ἀπολώλειν· Conferri debuerat Theocriteum Id. II. v. 82 Χ'ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, & Virgilianum Ecl. VIII. v. 41. *Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.*

P. 23. τῇ γαστρὶ μετρήσαντες τὴν ἡδονὴν, est dictio Demoſthenica ex Or. p. Corona p. 324.

τῇ

τῇ γαςρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίςοις τὴν εὐδαιμονίαν. Quod multi imitando expreſſerunt : v. c. Cicero Nat. Deor. I. 40 : *quae ad beatam vitam pertineant, ventre metiri.* Plutarch. T. II. p. 97. D. Herodianus Hiſt. I, 6, 2. ὅσοι τε κόλακες τραπέζης, καὶ τὸ εὔδαιμον γαςρὶ καὶ τοῖς αἰσχίςοις μετροῦσιν. Theodoretus Serm. de Provid. IX. p. 214. τῇ γαςρὶ καὶ τῇ γνάθῳ καὶ ταῖς ὀφρύσι τὴν εὐδαιμονίαν μετρεῖς.

P. 35. ἡ δὲ τοῦ κάλλους ἀπόῤῥοη δι᾽ αὐτῶν (τῶν ὀφθαλμῶν) εἰς τὴν ψυχὴν καταῤῥέουσα· Platonica est imitatio, ex Phaedro p. 346. F. δεξάμενος γὰρ τὴν τοῦ κάλλους ἀπόῤῥοην διὰ τῶν ὀμμάτων: unde etiam profecerunt imitando Heliodorus L. III. p. 146. Gregorius Naz. Or. X. p. 170. D. XVIIII. p. 283. B. & Ariſtaenetus II, 18.

Ibid. τὸ συνηθὲς τῆς κοινωνίας εἰς χάριν αἰδεσιμώτερον. Sunt Cliniae verba conſolantis Clitophontem impatienter amantem : χάριν pro *venereo complexu* accipiendum eſſe, res ipſa ſuadet, & ita exquiſite loquuntur. Sed quid ſibi vult, *conſuetudo quotidiana majorem venerationem ad complexum venereum habet?* Vitium est in αἰδεσιμώτερον, in quo licet Eclogae Maximi & Antonii conſentiant, ubi hic locus exſtat p. 566., tamen corrigendum ἀνυσιμώτερον, i. e. *vim habet ad conciliandam venerem.* Eleganter haec vox dicitur de perſuadendo : Plutarch. T. II. p. 442. C. ἀγωγαῖς, τὸ πει-

τὸ πειθήνιον ἁπάσης ἀνάγκης καὶ βίας ἐχούσαις ἀνυσιμώτερον. Lucianus T. III. p. 145. ἀνυσιμώτατον-εἶδος διαβολῆς, *calumnia, cui faciſſime creditur.* Ariſtaenetus I, 15. Οὐδὲν-πιθανώτερον πέφυκεν οὐδ' ἀνυσιμώτερον Ἀφροδίτης.

L. II. p. 70 Ἔρως καὶ Διόνυσος, δύο βιαίοι θεοὶ, ψυχὴν κατασχόντες ἐκμαίνουσιν εἰς ἀναισχυντίαν; mirum, quod editor, non indiligens ceterum, in ſimilibus locis adferendis, non laudaverit Propertium, I, 3, 13. qui ex communi Graeci poetae fonte hauſiſſe videtur:

Et quamvis duplici correptum ardore juberent,
Hac Amor, hac Liber, durus uterque Deus, --

Ibid. p. 132. *in capienda fuga*, dicitur, ὄχημα δὲ εὐπρεπὲς ἡμᾶς πρὸ τῶν πυλῶν ἐξεδέχετο. Cui autem bono *pulcher currus* erat? Lege εὐτρεπὲς, *paratus*. Sic in fragmento Athenionis ap. Athen. L. XIV. p. 166. D. legendum: Τά τ' ἔνδον εὐτρεπῆ ποίει λαβών.

P. 141. cum Menelaus dixiſſet, inter alia de puerorum amore, καὶ τὸ κάλλος αὐτοῖς (παισὶ) δριμύτερον εἰς ἡδονήν: reprehendit eum Clitophon his verbis: ποῖ δριμύτερον, --- ὅτι παρακύψαν μόνον οἴχεται· reponendum vero ὄγε, pro ὅτι.

L. VI. p. 406. de Therſandro dicitur, ἀτυχήσας δὲ ὧν ἤλπισεν, ἀφῆκεν τῷ θυμῷ τὰς ἡδονάς:

in-

interpres in ſuo codice videtur habuiſſe τοῦ θυμοῦ, cum vertit, *conceptarum animo voluptatum oblitus*: vulgatam lectionem quis ita interpretari poſſit, *conceſſit voluptates irae*: at nos quidem pro ἡδονὰς corrigimus ἡνίας· Eadem forma p. 399. de Therſandro dictum erat.

Ibid. p. 408 in verbis Leucippes ad Therſandrum: οὐδὲ τὴν Ἄρτεμιν, εἶπέ μοι, τὴν σὴν φοβῇ; ἀλλὰ βιάζῃ παρθένον ἐν πόλει παρθένου; pro εἶπέ μοι, corrigendum videtur, ἐπ᾽ ἐμοὶ, *in mea cauſa.*

L. VII. p. 441. Ἀληθὴς δέ ἐστιν, ὡς ἔοικεν, ὁ λόγος, ὅτι μνήμην ἐκπλήσσειν πέφυκε φόβος: ſententia est Thucydidis II, 87. Φόβος γὰρ μνήμην ἐκπλήσσει.

L. VIII. p. 493. Therſander vocat Clitophontem, εἰς ἀνδρὸς χώραν τὴν οἰκίαν τὴν ἐμὴν, οὐκ ἐν μοιχοῦ μόνον, καθεστηκότα. Levi mutatione legendum, κατεσχηκότα.

Nos quidem, multorum praeterea aliorum locorum, noſtram criſin expromere potuiſſemus. Sed quominus id faceremus, brevitatis nos ſtudium avertit. Neque etiam errores editoris omnino tangere voluimus; quod minime verendum nobis videretur, ne ſua ſpecie paulo acutiores lectores deciperent.

ΦΑΛΑ-

IV.

ΦΑΛΑΡΙΔΟΣ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ. *Phalaridis Epiſtolae. Quas Latinas fecit, & , interpoſitis Caroli Boyle notis, commentario illuſtravit Joannes Daniel a Lennep. Mortuo Lennepio, finem operi impoſuit, praefationem, & adnotationes quasdam praefixit L. C. Valckenaer. Groningae apud Jac. Bolt,* 1777. 4.

Richardi Bentleji Disſertatio, de Phalaridis, Themiſtoclis, Socratis, Euripidis, aliorumque Epiſtolis, & de Fabulis Aeſopi. Nec non Ejusdem Reſponſio, qua Disſertationem de Epiſtolis Phalaridis vindicat a cenſura Caroli Boyle. Omnia ex Anglico in Latinum ſermonem convertit Joannes Daniel a Lennep. Groningae ap. Jac. Bolt. 1777. 4.

Prodiit tandem liber ille, cujus apud eruditos homines & exſpectatio longa fuit; propter Lennepii, viri egregii, immaturam mortem, & ſpes magna, propter ejusdem excellentem doctrinam. Nam cum Lennepius, duo & viginti annos natus, ita ex Valckenarii diſciplina prodiiſſet, ut literarum & inge-

nii

nii praeclarum ſpecimen daret, Coluthi de raptu Helenae carmine edendo, facile omnes intelligebant, quid aliquando vir effecturus eſſet, ſi ad majus opus animum adjiceret. Cui quidem ſpei abunde ſatisfactum eſſe, nos ipſa libri lectione cognovimus: ut alii idem noſtra relatione cognoſcant, primum de auctore harum epiſtolarum, tum de editore, dicemus.

Epiſtolas antiquiſſimorum Graecorum, quae vulgo feruntur, veluti regum, ducum, philoſophorum, pleraſque a recentioribus Sophiſtis eſſe fictas, nemo eſt, noſtra aetate, qui dubitet. Harum aliae ſatis veriſimiliter ad eorum, quibus tribuuntur, mores & ingenia compoſitae ſunt, ut facile omnes decipiant, quorum non ſubactum eſt judicium diuturna veterum lectione; aliae tam manifeſta habent fraudis indicia, quae vel a mediocriter doctis teneri poſſint. Ex hoc genere ſunt Phalaridis epiſtolae, quas, nemini antiquorum commemoratas, juniores demum Graeci celebrarunt, Stobaeus, Suidas, Tzetzes, alii: unus Photius ita earum meminit, ut *quae referrentur ad Phalaridem.* Verum illos non magnopere miramur. Sed poſt reſtitutas quoque literas, doctiſſimos fuiſſe viros, in primis Jo. Seldenum, H. Dodwellum, Guil. Templeum, qui eas pro veris germanisque Phalaridis haberent ſcriptis, id vero ſatis mirari non poſſumus. Phalaridemne, Siculum hominem, & antiqua Dorica lingua utentem, Atti-

ca dialecto eaque recentiore ſcribere? Tyrannum, unum poſt hominum memoriam ſaeviſſimum ac crudeliſſimum, literas dare ad varios multosque homines, plenas clementiae, humanitatis, manſuetudinis, officii? Nil dicimus de multis magnisque earum contra temporum locorumque rationem repugnantiis: nil de antiquiſſimorum, qui de Phalaride prodiderunt, ſilentio, quorum ne unus quidem harum epiſtolarum mentionem fecit. Sed nimirum, aliud eſt multa legiſſe, aliud ita legiſſe, ut ſuo quodlibet momento expenderes, & aures exerceres ad ſenſum variorum generum orationis, qua, veluti certa voce, ſpuria a veris dignoscuntur. Ceterum, ut non a Phalaride ſunt illae epiſtolae, ita non aeque conſtat ad quemnam auctorem referendae ſint. Alii eas Adriano Sophiſtae tribuerunt, hoc uno levi argumento ducti, quod is, teſte Suida, *Phalarin* ſcripſit. Alii auctorem earum Lucianum eſſe crediderunt, leviori, aut nullo potius, argumento, quod inter ejus libros unus fertur, qui *Phalaris* inſcribitur. At fortaſſe earum auctor, quisquis fuerit, antiquos eosque deperditos rerum Sicularum ſcriptores conſuluit, ut ita fingeret Phalaridem, ut, quoad ejus fieri poſſet, ne nimis a veritate diſcreparet. Ne hoc quidem dici poteſt. Nam ita in his omnibus rebus aberrat, ut non tantum a veteri Sicilia, ſed omnino ab ejus aetatis ingenio alienus fuiſſe videatur. Certe ipſa epiſtolarum ratio ac materia ma-

 niſeſte

nifeſte prodit, hoc unum ſpectaſſe earum auctorem, ut, contra hiſtoriae fidem & communem hominum opinionem, a tyranno crudelitatis infamiam abſtergeret, contra humanitatis ei clementiaeque laudem adjungeret. Neque tamen, qui eas ſcripſit, contemnendus fuit Sophiſta. Habuit doctrinam, acumen, & orationis elegantiam ex veterum Atticorum imitatione ductam. Quamquam ne hoc quidem negari poteſt, nonnullis locis Latinae conſuetudinis exſtare veſtigia: de quibus egregia eſt obſervatio Valckenarii, praef. p. 18., ad verba epiſtolae LXVI. ἐκτεῖναι δυνάμενος τὴν φήμην· „ Phraſis, inquit, „ eſt Latina, non Graeca. Virgiliana nota ſunt:

breve & irreparabile tempus
„ *Omnibus eſt vitae: ſed famam extendere factis,*
„ *Hoc virtutis opus.*

Sunt in his Epiſtolis permulta, quae mihi perſua„ ſerunt, earum ſcriptorem Linguam Graecam non „ a matre, ſed e libris veterum didiciſſe; quod de „ Variae Hiſtoriae Scriptore Aeliano conſtat; a „ quo, me quidem judice, duo multum diverſi „ ſunt, qui ſcripſere de Natura Animalium, & li„ bellum mirificum περὶ Προνοίας, ex quo multo „ plura Suidas in ſuam farraginem transſcripſit, „ quam plerique viderunt." Ceterum tam facilis & aperta res, in qua nemo vel mediocri uſu & ingenio homo haerere debebat, Bentleji demum, principis

criti-

criticorum, diſputatione patefacta atque explicita eſt. Nam cum Boyleus, nobilis juvenis, hunc librum Oxonii Ao. 1695 ederet, ad quem emendandum a Bentlejo, regiae bibliothecae praefecto, ſcriptum codicem habuisſet, dixit in praefatione, *ſe totum hunc codicem excutere non potuisſe, quod ejus ſibi ulteriorem uſum bibliothecarius, pro ſingulari ſua humanitate, negasſet.* Ὡς φάτο, τὸν δὲ ἄνακτα χόλος λάβεν οἷον ἄκουσεν. Itaque biennio poſt edidit Disſertationem ad Wottonum, de Epiſtolis Phalaridis, Themiſtoclis, Socratis, Euripidis, aliorumque, & de fabulis Aeſopi, qua ſcripta illa non ab iis, quorum nomine feruntur, auctoribus esſe evicit, & Boyleanae praeterea editionis cenſuram egit. Boyleus cum ea esſet doctrina, quae in homine ejus aetatis ac loci multum laudis haberet, & ab inimicis etiam Bentleji adjuvaretur, biennio poſt ipſe quoque ad ejus cenſuram reſpondit: ſed, impar congresſus Achilli, potius voluntatem reprehendendi adverſarii, quam facultatem tuendae causſae ſuae oſtendit. Nam Bentlejus, haud ita multo poſt, rationes Boyleanas omnes tam erudita accurataque confutavit diſputatione, ut, quid ei amplius opponeretur, ne excogitari quidem posſe videretur. Omnino multum proderit quibusvis accuratae doctrinae ſtudioſis, cognovisſe quomodo in una difficillima critices parte, quae eſt in detegenda ſpuriorum librorum fraude, verſatus ſit is, qui principem inter

criticos obtinet locum. Nos vero quominus omnem harum diſputationum doctrinam nunc ſingillatim explicemus, facit non tam brevitatis ſtudium, quam quod, dudum editae, non noſtra demum relatione ad communem notitiam celebrandae videantur. Quare ſimplici argumentorum enumeratione defungamur.

Cum in aetate Phalaridis disſentiant auctores, aliis, cum Euſebio, initium ejus tyrannidis ad Ol. 38., referentibus, aliis, cum Hieronymo, eum in Ol. 52 ponentibus; ut liberaliter ageret *Bentlejus*, neque ullum calumniae locum relinqueret, poſteriorem ſententiam asſumſit, & ſic tamen demonſtravit, pleraque in his epiſtolis temporum rationibus repugnare. Itaque in Disſertatione haec continentur. Cap. I. Phintiam urbem, quae memoratur (ep. 112) poſt Phalaridis tempora a Phintiade, ejusdem Agrigenti tyranno, conditam esſe. II. *Haleſam*, (ep. 9) extitisſe demum Ol. 94. III. Pocula Thericlea, (ep. 106.) a Thericle, figulo Corinthio, aequali Ariſtophanis Comici esſe inventa. IV. Mesſanam, (ep. 108., 110) aetate Phalaridis *adhuc* Zanclen nominatam fuisſe. V. Dictionem πίτυος δίκην ἐκτρίβειν (ep. 9.), ab Herodoto primum prolatam fuisſe. VI. Taurominium, (ep. 38.) *Ol.* 96 ita vocari coepisſe, cum antea Naxos nominaretur. VII. Λόγος ἔργου σκία, (ep. 92) a Democrito primum dictum. VIII. Ἀθάνατος ὀργὴ, (ep. 24) esſe Euripideam dictionem, ex Philocteta. IX. Phraſin

δαίμω

δαίμων ἕτερος, (ep. 23) ex Pindaro, & ὄλεθροι εὗρε (ep. 5) ex Callimacho deſumtas esſe. X. Pythagorae doctrinam (ep. 79.) ſimpliciter *Philoſophiam* vocari, cum ille hujus nominis fuerit inventor, haud veriſimile esſe oſtenditur. XI. Cum (ep. 18) Ariſtolochus, & (ep. 93) Lyſinus, tragoedias contra tyrannum ſcribere dicuntur; monetur, utrumque nomen ignotum & fictum esſe, & Thespin, tragoediae inventorem, primum fabulam docuisſe Ol. 61. XII. Oſtenditur, fieri non potuisſe, ut Phalaris Attica dialecto, nedum recentiore illa, uteretur: ſimul de Doricae dialecti uſu breviter, ſed egregie, diſputatur. XIII. Complures in epiſtolis notantur voces & dictiones, quae recentiorem aetatem ſapiunt. XIV. Cum unum Atticum talentum esſet duorum millium talentum Siculorum; hanc tantam differentiam ignoravit auctor epiſtolarum. XV. Agitur de ipſis epiſtolarum argumentis, parum ingenio, fortunae, rebusque Phalaridis congruentibus. XVI. Monetur, neminem veterum has commemorasſe epiſtolas. Additur denique cenſura male a Boyleo adminiſtratae edendi provinciae. Huic Disſertationi aliquot adjunguntur capita, ad calcem Reſponſionis. XVII. (ep. 117) πρόνοιαν, de Divina providentia, Phalaridis aetate nondum dictam fuisſe. XVIII. Notatur, in ep. 82, imitationem esſe inſcriptionis ſepulchralis Athenienſium, qui in bello contra Philippum ceciderunt; quae in-

ſcriptio exſtat apud Demoſthenem, in oratione pro Corona. XIX. Dona, quae (in ep. 106.) Polyclito medico data perhibentur, incredibilia esſe pro iſtius aetatis paupertate. XX. Rationem & conſuetudinem epiſtolarum ſcribendarum poſteriorem esſe aetate Phalaridis. Cum his tot tantisque rationibus tamen cenſuram opponere auſus esſet Boyleus, quamquam id potius egisſet, ut ne omnino tacuisſe videretur, quam ut ſani quid afferret; Bentlejus nova eaque longa Reſponſione, cum Boylei ratiunculas refutavit, tum ſuperioris Diſputationis argumenta fuſius ampliusque explicuit & novis etiam rationibus confirmavit, tum denique argumenta in priore disſertatione vel non tacta, vel leviter tacta, pertractavit. Ex his est in prooemio diſputatio de auctoritate eorum, qui Phalaridis epiſtolas commemoraverunt: locus Scholiaſtis Ariſtophanici a primis editionibus abesſe, & a correctore Florentinae invectus esſe oſtenditur: Suidae & Tzetzae quantum tribuendum ſit, ſtatuitur: de Nonno etiam, Scholiaſta Gregorii Nazianzeni, egregie diſputatur, eumque a poeta Nonno diverſum esſe evincitur. Sequitur quaeſtio de aetate Phalaridis & Pythagorae, qua Dodwelli rationes evertuntur. Est etiam accuratisſima diſputatio de dialecto Attica antiqua & recentiore, qua Leges Zaleuci & Charondae, quae apud Stobaeum & Diodorum exſtant, dubiae originis esſe oſtenditur.

Sed

Sed cum hi Bentlejani libri Anglice eſſent ſcripti, multi, qui quidem iſtam linguam non ſatis callerent, ab eorum lectione prohibebantur. Hoc cum, & alias ſaepius, & quondam etiam praeſente Lennepio, doleret Hemſterhuſius, continuo ille apud ſe conſtituit, libros hosce Latine vertere. Atque, cum hac de cauſſa ipſas Phalaridis epiſtolas legeret, easdem quoque denuo edendi conſilium cepit. Quod eo dicimus, ut, ſi qui forte mirentur, Lennepium ſtudium operamque ſuam in ejusmodi libro poſuisſe, hi intelligant, Lennepium non huncce prae omnibus aliis veterum libris dignisſimum judicasſe in quo elaboraret, ſed caſu delatum, paulatim, ut fit, ad eum adhaeſisſe. Ceterum, ſuscepta ſemel editione, tanta eam exornavit, non ſolum cura & diligentia, ſed ingenio etiam & doctrina, quantam vix praeſtantisſimo ex antiquis libro a quoquam adhibitam novimus. Et primum librorum copiam habuit, cum editorum omnium, tum ſcriptorum octo, trium Leidenſium, totidem Florentinorum, unius Palatino-Vaticani, & unius Britannici ex bibliotheca regia Cottoniana. Cumque vel optimorum librorum copia, & diligentisſima obſervatio variarum lectionum nil magnopere valeant ad editionis praeſtantiam, niſi acumen, judicium, uſus antiquitatis, & linguae perfecta ſcientia accedat, haec omnia in Lennepio ita extiterunt, ut Hemſterhuſianae Valckenarianaeque diſciplinae ſalubritas atque excellen-

tia appareret. Itaque non illud tantum intelligitur, doctrinam ejus non ex hodiernorum rivulis, ſed ex fontibus veterum, hauſtam esſe: verum hoc quoque omnes cognoſcere posſunt, Lennepium in veterum lectione nullos ſibi fines circumſcripſisſe, ſed omnia elegantis eruditaeque antiquitatis monumenta legisſe; neque legisſe tantum, ſed diligenter accurateque legisſe, ut judicium adhiberet loco cuique vel notabili, vel obſcuro, vel corrupto, eumque in adverſaria referret. Ex hac igitur doctrinae tam *beata* copia, facile ubique, quidquid e re esſet, expromebatur, & ex ſimilium locorum contentione atque comparatione certisſimae praeſtantisſimaeque obſervationes & correctiones naſcebantur. Earum quominus ſpecimina proponamus, facit ipſa multitudo & copia. Quare in univerſum de critica ratione dicamus. Primum, cujuslibet loci vera lectio conſtituitur, vel ex libris, vel ex conjectura, atque hac occaſione, vis atque uſus verborum fuſe atque erudite explicatur, cum ſcriptorum auctoritate, tum nonnumquam ex originum ratione, qua quidem haud mediocriter valuit *Lennepius*. Saepius etiam de verborum dictionumque novitate vel antiquitate ita diſputavit, ut inde conjectura fieri posſet de auctoris aetate. *Et in hoc* genere non ſolum Bentleji animadverſiones auxit & confirmavit, ſed novas ſaepe addidit, & locos nonnullos a Bentlejo tentatos feliciter emendavit. Huc quoque pertinet, quod ſententias veterum *ſimiles* dili-

diligenter ubique attulit; unde apparet, ſcriptorem epiſtolarum ſaepius imitatum esſe auctores, qui post Phalaridem floruerunt. Deinde multi multorum veterum auctorum loci illuſtrantur atque emendantur: quorum index adjectus est ad calcem primi voluminis, neque is, ut quorundam est conſuetudo, ad oſtentationem compoſitus, ut, cum locum ſignificatum inſpicias, nil niſi nugas reperias: contra, apud Lennepium ſemper reperias vel emendationis acumen, vel explicationis lumen, vel certe animadverſionis utilitatem.

Non dubitamus fore, qui Lennepii notas nimiae prolixitatis atque copiae accuſent. Sed hi fere erunt ii, qui hoc nomine, in primis Batavorum editiones reprehendere, & quam laudem ipſi asſequi non posſunt, eam aliis invidere ſolent. Neque nos abſolute omnes longas notas laudamus; ſed eas, quas ingenii atque doctrinae abundantia longiores fecerit: quales ſunt Lennepii. At in Phalaride effudit, quae, vel ad alios etiam ſcriptores notari posſent, vel ad Lexica potisſimum referri deberent. Hoc nimirum illud est, quod cum dicunt iſti, multum ſibi dicere videntur. Atqui nil est in Lennepii animadverſionibus, quin aliquo modo conjunctum ſit cum ſcriptoris, quem interpretatur, loco; nil tritum & pervulgatum, omnia egregia atque exquiſita. Deinde, quae est illa humanitas, eos repre-

hendere, qui bona ſua cum aliis communicent? Tu, cum ex anguſta & famelica tua doctrina aliis impertiri nil poſſis, eos etiam vituperabis, qui largas praeſtantis doctrinae copias in publicum effundunt, quibus & tu ipſe, & alii uti posſint. Et, prout illa inter Britannos de Phalaride contentio copioſisſimas peperit excellentisſimasque Bentleji disputationes, ſic in eodem argumento Lennepii doctrina tale opus effecit, quod tam ſua praeſtantia, quam Phalaridis commendatione, eruditorum hominum ad ſe ſtudia convertat.

Sed Lennepius cum Groningae, ubi per quindecim annos Graecas Latinasque literas docuit, ſaepius adverſa valetudine tentatus fuisſet, vehementius etiam aegrotare coepit, poſteaquam Franequerae in locum Gisb. Koenii ſuccesſisſet. Tanta enim erat morbi atrocitas, ut non niſi Aquisgrani domari posſe videretur. Itaque eo devehitur. Nil tamen valuit celebrata aquarum vis. Ibi eum Valckenarius inviſit jam morti vicinum, fracto quidem debilitatoque corpore, ſed animo vigente atque forti, ultimumque ei vale dixit. Neque multo post exſtinctus est, anno ſeculi hujus primo & ſeptuageſimo, aetatis ſuae ſexto & quadrageſimo. Cujus viri obitu boni omnes eo acerbius luxerunt, cum, quod ejus doctrina conjuncta fuisſet cum animi morumque inſigni humanitate: tum quod recens adhuc esſet lu-

ctus

ctus ex immatura morte duorum ex eadem diſcipli-na plane egregiorum, & ad literarum principatum creſcentium juvenum, Jo. Pierſoni & Gisb. Koenii. Sed Valckenarius, ut vivo amicitiam fidemque praeſtitit, ita defuncto pietatem exſolvit. Nam cum, mortuo Lennepio, illud quidem volumen, in quo Bentleji ſunt diſſertationes, totum esſet typis deſcriptum, alterum autem, quo ipſe Phalaris continetur, usque ad paginam 305 esſet perductum, Valckenarius inchoatum opus abſolvit. Itaque reliquam partem usque ad finem, ſeu paginam 381, quoad ejus fieri potuit, ex ſchedis Lennepii ita explevit, ut ea nil fere antecedenti parti copia ac praeſtantia cedat; totam praeterea operis rationem in praefatione expoſuit, & haud paucis Lennepianis obſervationibus egregias animadverſiones adjecit. Et haec quidem, paulo post obitum Lennepii, editioni parata Groningam miſit ad librarium; qui per totum illud tempus aliis rebus intentus, nunc demum librum evulgavit.

Ceterum Lennepius novo ordine Epiſtolas has diſpoſuit, ſecundum temporis rationes, cujus in iis veſtigia deprehendisſe ſibi videbatur. Hoc ne aliis obesſet, cavit amicus Lennepii Nic. Guil. Schroederus, vir magnis ſuis meritis celeberrimus, indicem adjiciendo Epiſtolarum ſecundum ordinem, & hujus, & praecedentium edi-

tionum.

tionum. Atque ejusdem viri operae hoc quoque debetur, quod & alii indices acceſſerunt, rerum verborumque atque auctorum, & reliqua libri pars ſincera neque operarum mendis foedata prodiit. Neque vero in exigua laudis parte numerari debet etiam chartae nitor, typorumque elegantia accurataque expreſſio. Ut nobis quidem Lennepii Phalaris, cum externo cultu, tum praecipue interna bonitate & excellentia, inter praeſtantisſimas veterum editiones merito ponendus videatur,

Abul-

V.

ABULFEDAE *Deſcriptio Aegypti, Arabice & Latine. Ex codice Pariſienſi edidit, Latine vertit, notas adjecit, Joannes David Michaelis, Stellae Polaris Eques, Regiae M. Britannicae Conſiliarius Aulicus, & Profeſſor Philoſophiae Goettingenſis. Goettingae,* 1776. 4.

Quam apud omnes gentes experta ſunt literarum ſtudia fatorum vicisſitudinem, eandem ſubierunt inter Arabes. Et in prima quidem aetate: nam potest hiſtoria Arabum literaria in quatuor veluti aetates haud incommode diſtingui: primis igitur, ante Mohammedem, temporibus, conſtat, magnam jam fuisſe literarum hominumque literatorum famam atque exiſtimationem; quae tamen praeſertim Poëtis deferebatur, quod genus, ut apud Graecos, e doctis est antiquisſimum, & quorum ingens erat hoc tempore multitudo, cum mira ingenii fertilitate, tum carminum elegantia atque ſublimitate praeſtantium. Sed, praeter Poëtas, plurimi etiam erant, qui ad alia ſtudiorum genera animum converterent, & vel in augenda ornandaque lingua patria diligenter elaborarent, vel ad eloquentiae laudem eniterentur, vel

rerum

rerum domeſticarum cognitioni, & conſervandis diverſarum tribuum genealogiis incumberent, vel denique in aliarum perveſtigatione diſciplinarum multum operae collocarent. Nec tamen erat hoc doctrinae genus late diffuſum, ſed arctioribus finibus circumſcriptum, & vix ultra aſtronomiam, ineptamque, quae hinc ortum ducebat, ſomniorum interpretandorum rationem, denique exiguam imperfectamque artis medicae culturam, extendebatur. Itaque erat univerſa ſtudiorum ratio, tamquam ex proprio ſolo enata; ſiquidem haud facile poterat rudior gens, crebris vagationibus disjecta, & a Graecis Romanisque nondum edocta, in aliis rebus *ſatis* perite verſari, quam in iis, quas vel ab inſito a natura ingenio acquiſivisſent, vel rerum geſtarum conſervatrice memoria retinuisſent, vel ipſimet attenta naturae contemplatione, & longa *experientia* ſibi comparavisſent.

Jam vero altera aetas, quae a Mohammede, ſeculo post C. N. ſeptimo ad annum Hegirae 137, i. e. Chriſti 754, decurrit, longe *aliam* exhibet rerum faciem. Nam initio quidem imperii Mohammedici, cum nova religio per Arabiam vicinasque regiones vi atque armis propagaretur, multum intermittebantur literarum ſtudia, nec poterant fere in tanto armorum ſtrepitu ullo modo efflorescere. Sola dominabatur ſuperſtitio. Ad hanc deflectebantur fervida Poëtarum Oratorumque ingenia.

Sola

Sola haec opprimebat quidquid erat artium utiliſſimarum, vel doctrinae elegantioris. Si qui vero eruditi, aut erant, aut habebantur, hi in Corano explicando & illuſtrando ſtudium ſuum omne ponebant. In hanc certe aetatem incidit, estque rationi horum temporum omnino conſentaneum, quod de Omaro, ſecundo post Mohammedem imperatore, relatum legimus, (*) qui Amruo duci, cum Alexandriam oppugnaret peteretque, ut nobiliſſimam ejus urbis bibliothecam conſervare liceret, eamque Joanni Philopono Grammatico donare, barbarum hoc reſponſum per literas mittebat: *Si illi libri cum Corano conveniant, eos ſupervacaneos eſſe; ſi aliena contineant, noxios: itaque omnes eſſe comburendos.* Cui tam crudeli mandato obſecutus Amruus juſſit eos per balnea dispergi, ut his calefaciendis inſervirent. Et tametſi Alexandriae eo tempore circiter quatuor millia thermarum eſſent, vix potuerunt omnes illi libri intra quinque, vel ſex, menſes conſumi. Tanta fuerat regum Aegyptiorum in illis congerendis diligentia, ſed tanto etiam erat execrabilior Omari ſaevitia, vel potius, ſuperſtitio.

Pauci igitur erant, qui literarum ſtudiis hac aetate incumberent, & ab eruditione, doctrinaeque amore aliquam ſibi nominis famam conciliarent.

Sed unus in primis commemorandus nobis est, qui hoc

(*) Abulpharagii Hiſt. Dynaſtiarum, p. 180, 181.

hoc tam barbarum ſeculum ingenio, doctrina, eloquentia mirifice colluſtravit, Ali, filius Abu Talebi, gener Mohammedis, hujusque tertius in imperio ſuccesſor; quem eruditione Auguſto, clementia & benignitate Trajano, philoſophiae & pietatis ſtudio Marco Antonino Philoſopho, fortitudine, juſtae cauſſae patrocinio & exitus triſti ratione Pompejo parem, eloquentia omnibus majorem judicavit Reiskius V. Cl, (*) & recte judicasſe fatentur quicumque cum hiſtoriam Mohammedanam horum temporum cognoverint, tum ipſa praeclari viri ſcripta evolverint. Nam, praeter paroemias, ſive dicta ejus ſententioſa, quorum est magna pars a *Golio* edita L. B. 1629, major vero adhuc latet in MSS., ſuperſunt etiam orationes, & orationum fragmenta, digna ſane, quae, ob ſingularem eloquentiam atque copiam, ex bibliothecarum latebris in lucem expromantur; quod a viro harum literarum peritisſimo brevi factum iri, nobis ſpes adfulſit. Quae vero ſub hujus imperatoris nomine circumferuntur carmina, nugacisſimi impoſtoris opus esſe, nec potuisſe a tali viro proficiſci, dudum est, quod viri docti monuerunt: ſed ideo exiſtimamus hic repetendum, ne imperitioribus, ſi forte in tam ineptum libellum incidant, perverſe

(*) Diſſert. *de Principibus Mohammedanis, qui aut ab eruditione, aut ab amore literarum inclaruerunt.*

verſe videamur de eo judicaſſe. Praeter haec vero Ali ſcripta, in magna librorum Arabicorum copia pauci ſunt, imo fere nulli, qui ad hanc aetatem pertineant. Nam, quae ſuperſunt, Lebidi, Caabi, Tharaphae, aliorumque praeſtantium Poetarum carmina, cum ſuppares illi fuerint aetati Mohammedis, videntur ad primam, quam deſcripſimus, aetatem rectius referri.

Succeſſit deinceps tertia aetas, ſummorum ingeniorum in omni doctrinae genere feraciſſima, quamque auream appellare omnino oportet. Haec ab A. H. 137. i. e. Chriſti 754, ad A. H. fere octingenteſimum, ſive aerae noſtrae ſeculum decimum quintum pertinet, adeoque circiter 700 annorum tempus complectitur. Et primus quidem, qui tam felicem rerum converſionem auctoritate ſua & exemplo efficeret, fuiſſe fertur Manſurus, ſecundus Imperator ex gente Abbaſidarum, ad quos, deletis Ommiadibus, A H. 132, ſumma imperii poteſtas pervenerat. Cum enim perſpiceret hic vir, quam ſalutaris civibus ſuis futura eſſet artium literarumque cultura, quae ferociores animos emolliret, pacatioremque redderet rei publicae ſtatum, in id omni opera incumbebat, ut exulantem doctrinam quaſi postliminio reduceret, & incredibilem, quo ipſe flagrabat, ejus amorem apud alios quoque excitaret. Quicunque igitur vel in arte quadam, vel in ſcientia alicujus rei eminerent;

hos omnes benigne excipiebat, inſignique favore, & munificentia proſequebatur. In his vero primum locum dabat Aſtronomis & Mathematicis, quorum cum ſtudiis ipſemet erat in primis deditus, tum etiam doctrina diligenter utebatur.

Sed, ut tam ardua res, qualis eſt literarum ex ſumma barbarie inſtauratio, non poteſt ab uno homine perfici, & plures requiruntur, qui, vel in ſocietatem pulcherrimi conſilii accedant, vel id, quod ab aliis feliciter inchoatum eſt, ſtrenue proſequantur, ita parum profuisſent Manſuri conatus, niſi, paucis annis interjectis, exorti esſent duo principes egregii, iidemque viri literati, Harun, ſive Aaron Raſchidus, & Mamûn, quorum inſigni in eruditos favore jam porro confirmabantur doctrinarum ſtudia, & tanquam ad maturitatem perducebantur. Etenim Raſchidus, etſi videtur majorem operam impendisſe formandis atque emendandis civium ſuorum moribus, quam excolendis poliendisque eorum ingeniis, tamen in eo cenſendus eſt ad incrementa ſcientiarum *multum* contulisſe, quod eruditos benigne, honorifice, liberaliter, exciperet, atque ſic plurimos excitaret, qui, ut hunc favorem experirentur, literis artibusve diligenter incumberent. Verum majus quid inerat in Mamune. Nec ille ſolum in Philoſophia, rerumque Mathematicarum cognitione ſtudium ſuum collocare, quique has artes omnemque doctrinae rationem

tionem profitebantur, hos laudibus & honore cumulare, ipſorum conventibus diſputationibusque ſaepius intereſſe, ſuoque exemplo ad majorem induſtriam exhortari; verum etiam de Graecorum libris diligenter inquirere, horum optimos quosque & utilisſimos magnis ſibi ſumtibus comparare, eosque viris doctis in eodem doctrinae genere exercitatis, ingentibus praemiis propoſitis, vertendos tradere. Qua tam inſigni acceſſione univerſam eruditionem in gente ſua mirifice auxit & amplificavit. Denique in hoc etiam magnum ſe virum praeſtitit Mamun, praeſertim ſi rationem habeamus tam ſuperſtitioſae aetatis atque gentis, quod a propoſito haud abducebatur ineptis multorum hominum clamoribus, qui, ut tam pulchrum conſilium omni vi eluderent, literarum, inprimis vero philoſophiae ſtudium reprehendebant tanquam cauſſae Mohammedicae valde adverſum, quodque religionem, quae vix ſtabilita eſſet, funditus everteret; imo ipſi Mamuni, haec tam nova atque inaudita inducenti, certisſimam aeternamque Dei vindictam confidenter denuntiabant. (*) Itaque hujus Imperatoris doctrina, prudentia, conſtantia effectum est, ut literae, quae jam in Occidente neglectae fere erant & contemtae, in Orientem emigrarent. Cum enim ejus aetate jam in

(*) Pocock. Spec. Hiſt. Arabum p. 166.

in Arabicam linguam converſa esſent Hippocratis, Galeni, Dioſcoridis opera, Arabice etiam legerentur Ariſtoteles, Euclides, Porphyrius, aliique; cumque deinceps Baghdadi, Baſorae, Cufae, & aliis in urbibus, ſcholae conſtituerentur, quae, bibliothecis inſtructae amplisſimis, juvenes undique allicerent, in quibus magna esſet ſtudiorum contentio, non est quod miremur, has literas omnem Saracenorum ditionem, quae per Aſiam, Africam, imo Europae partem Hiſpaniam deinde extendebatur, tam egregie ornasſe atque illuſtrasſe, & firmam illam ſedem apud eos collocasſe, quam per tot ſecula felici ſuccesſu retinuerunt.

Non est hujus loci totam hanc aetatem ita peragrare, ut ſingulos enumeremus, qui variis doctrinae generibus excelluerunt, & quorum praeſtantisſima opera ad nos pervenerunt. Id quidem certum est, (ſiquidem, continuo vertendis libris Graecis & Latinis, jam porro formabatur ingenium, cum ad plurimarum rerum ſcientiam, tum ad pulchri venuſtique ſenſum,) non ſolas fuisſe, quae hac aetate florerent, diſciplinas ſeveriores, quae vel ad Theologiam Mohammedicam, vel ad Medicinam, vel ad Philoſophiam pertinerent, ſed magnum quoque fuisſe numerum optimorum Hiſtoricorum, cum multiplici doctrina, tum vario ſcribendi genere. Multi ſuperſunt Geographi, quorum magna est laus, non ſolum in Geographia cognoſcenda, verum etiam

ili-

illuſtranda, atque corrigenda. Habemus Grammaticos propemodum innumerabiles. Oratores permultos, interque eos Haririum & Hamdanium, utrumque in ſuo genere cum Graecis facile comparandum. Denique Poetarum optimorum egregia est copia, quorum ingenium, quod ſuperiorum temporum tenebris ſepultum erat, in hac tam felici literarum conditione reviviſcebat, quique nobis quidem videntur ab antiquis illis, quos prima aetas tulit, haud multum ſuperari. Quare vehementer mirati ſumus, quod ſcripſit Michaelis, (praefat. ad Gramm. Arab. p. 38 ſeqq.) *auream Poeſeos aetatem cum Mohammede occidisſe, &, inducta primum a Lebido in Poëſin ſuperſtitione Mohammedica, nativum illum pulchri, ſublimis, venuſtique ſenſum in recentioribus fuisſe exſtinctum.* Nam etſi difficile ſit de laudibus ſingulorum judicare, in tanta etiam copia ſint nonnulli cum prioribus minime comparandi, tamen iniquum est, ne quid dicamus gravius, hac tam audaci reprehenſione omnes omnino recentioris aetatis Poetas notare; & Tograjo e. c., Buziridae, Ibn Ferdi, Nawagio, Motanabbio, & inprimis Abulolae hanc laudem denegare, eos dignos esſe, qui ob ſpiritus magnitudinem, imaginum jucunditatem, dictionis ſublimitatem atque venuſtatem, in certamen adducantur cum priscis illis Poetis, qui vixerunt ante Mohammedem, Motalammeſio, Amralkeiſo, Caabo, Tharapha, aliisque.

Tandem vero deſiit aurea haec aetas, ſeculo Hegirae octavo, Chriſti decimo quinto, rediitque priſtina barbaries, quae aetatem ſecundam infuſcaverat. Quod tunc accidit, cum Timurus, ſive Tamerlanes, qui paucos ſibi pares habuit, & laude bellica, & felici armorum ſucceſſu, cum innumerabilibus copiis Orientem pervaderet, & univerſam ferme Aſiam in poteſtatem ſuam redigeret. Nam primo quidem his tam crebris, diutinisque bellis detrahebantur ingenia a literarum ſtudiis ad artes bellicas, mox vero, cum nemo esſet, qui recedentes literas revocaret, haec tanta ac tam praeclara gloria ita prorſus exſtinguebatur, ut nullum fere ejus veſtigium hodie inter Arabes appareat, quorum doctrinae ratio, ſi est ulla, levis est & exigua, & ab antiqua illa atque eleganti longisſime remota.

Et haec quidem videbantur ex hiſtoria *Arabum* literaria breviter praemittenda: quod ideo praeſertim faciendum exiſtimavimus, cum, ne ipſa ſtatim libri Arabici cenſura a legendo deterreret eos, qui ſunt in hoc ſtudiorum genere minus exercitati, tum, ut diſcerent iidem de praeſtantia & utilitate harum literarum recte atque ex vero judicare. Progrediamur tandem ad id, cujus cauſſa hanc diſputationem ſuſcepimus. Etenim de Abulfeda, ejusque operibus vix poterat ſatis accurate exponi, niſi antea cognoſceretur, quaenam fuisſet, ipſo vivente, (vixit autem

autem verſus finem ſeculi post Chr. decimi tertii) literarum conditio; ut facilius appareret, quibus ſubſidiis inſtructus doctrinam ſuam acquiſiverit, quidve contulerit ad incrementa illarum ſcientiarum, in quibus magna cum laude verſabatur. Itaque primo dicemus quaedam de auctore, ejusque eruditione & meritis: tum operis geographici conſpectum exhibebimus paullo pleniorem: denique videbimus, quid in edenda & illuſtranda magni operis particula ſit a Michaele praeſtitum.

Iſmael igitur Abulfeda natus erat Damaſci A. H. 672, Chr. 1273, ex illuſtri gente Ejubidarum, ita dicta ab Ejubo, ſive Iobo, patre magni illius & in hiſtoria expeditionum cruciatarum notisſimi Saladini. Tenebat haec gens, per integrum ferme ſeculum principatum Syriae & Aegypti, quem a Saladino acceperat; ſolebantque hi principes minorum provinciarum urbiumve praefecturam gentilibus ſuis, vel agnatis, tanquam feudum, committere. Cum vero A. H. 658, Chr. 1259, irruente in Syriam Holacuo Tatarorum Rege, imperium primo ad Tataros, deinde, paucis annis interjectis, ad Mamlucos Turcicos pervenisſet, manebat tamen continua ſuccesſio Ejubidarum in minoribus urbium praefecturis, inque his a novis dominis confirmabantur. Talis quoque erat Hamatae praefectura, Syriae oppidi haud ignobilis, quam tenebant Abulfedae noſtri majores, inde a Maleko

Modaffero primo, cujus patruus erat Saladinus. Sed cum A. H. 698, Chr. 1298, ſine liberis decederet Modafferus tertius, Abulfedae patruelis, tollebatur haec dignitas ex familia Ejubidarum, & a Sultano, qui tunc regnabat, Naſero, Kelawunis filio de Mamlucis Turcicis, in aliquem ducum ſuorum conferebatur, fruſtra renitente Abulfeda, eumque ſibi honorem, tanquam debitum ex jure hereditatis, poſtulante. Hic igitur, relicta Hamata, in qua urbe per aliquod tempus, cum patruele vixerat, Damascum concesſit. Poſtea vero inde egresſus, interfuit expeditioni bellicae a Sultano adverſus Tataros ſuſceptae, rebusque fortiter ac praeclare geſtis magnam ſibi gratiam conciliavit apud eum, ita ut non ſolum, A. H. 710, Chr. 1310, praefecturam Hamatae, quam ſaepius rogaverat, obtineret, tanquam vicarius Sultani, hujusque nomine adminiſtrandam, ſed deinde etiam majus quid ſplendidiusque accederet. Etenim A. H. 720, ab eodem Naſero, conſtituebatur Sultanus, i. e. Dominus, ſive Princeps αὐτοκράτωρ Hamatae, quique ad hunc titulum pertinebant, honores & majeſtas, etſi multum reſtricta poteſtate, ſollenni pompa, ad eum deferebantur. Ad tale igitur dignitatis faſtigium evectus Hamatenis praefuit usque ad mortem, quae accidit A. H. 733, Chr. 1332, filiumque Afdalum reliquit imperii heredem.

Vixit igitur noſter adhuc ea aetate, qua literarum

ſtudia

ſtudia in Oriente maxime florebant. Cumque ſatis pacatum esſet ejus imperium, posſetque adeo his ſtudiis, quorum mirifico amore flagrabat, omni vi incumbere, plurimum profecto cenſendus est ſingulari doctrina & diligentia ad ſeculi ſui gloriam contulisſe; & inſignem locum obtinet inter Principes Mohammedanos, qui aut ab eruditione, aut amore literarum, hominumque literatorum claruerunt, quique fuerunt permulti, de quibus exſtat peculiaris Reiskii disſertatio, quamvis exiliter ſcripta, plurimisque in locis multum augenda. Et magnus quidem est hiſtoricorum, qui post Abulfedam vixerunt, conſenſus in celebrandis ejus laudibus, omnesque uno ore affirmant, cum principem eum fuisſe tam pace, quam bello, juſtitia, prudentia, moderatione, fortitudine incomparabilem, tum etiam ingenio & doctrina cum ſummis hominibus comparandum, & ſcientia graviorum diſciplinarum, aeque ac literarum elegantiorum egregie eruditum. Dicitur enim calluisſe varias artes Mathematicas, Geometriam, Mechanicam, Aſtronomiam; praeterea ſtudium poſuisſe in Medicina; porro peritisſimus fuisſe in jure Mohammedico tam ſacro, quam civili; & in ſingulis his generibus commemorantur libri ab eo conſcripti, (*) ſed ex quibus nihil, praeter ſola nomi-

(*) Vid. Gagnier. praef. ad vit. Moh. p. 11. & Reisk. praef. ad Annal. Mosl.

nomina, ad nos pervenit. Etſi autem in Poetarum quoque numero a quibusdam est habitus, tamen haud credimus, eum hac arte multum praeſtitisſe, ſiquidem in hac ejus laude, parciores ſunt hiſtorici, nec aliquod ejus poeſeos ſpecimen conſervarunt, quod raro caeteroquin ab illis omittitur, ubi in Poetae cujusdam laudibus verſantur.

Verum magis conſtat, quantus vir fuerit Abulfeda in ſtudio hiſtoriarum & geographiae, quandoquidem duo hodie ſuperſunt ejus libri, hiſtoricus alter, alter geographicus, quibus conſcribendis aeternam ſibi nominis famam in utroque hoc genere comparavit. Hiſtorici operis, quod *Epitome hiſtoriae univerſalis* inſcribitur, longe major pars, quae res in Oriente geſtas inde a nato Mohammede ad A. H. 406, Chr. 1015, complectitur, eruditis innotuit latina verſione Reiskii, quam edidit Lipſ. 1754, inſcripſitque *Annales Moslemicos*, addita praefatione, in qua de libri indole atque meritis accurate & erudite disſeruit. Totum vero opus, ad rerum Orientalium cognitionem utilisſimum, ut Arabice ederetur, fuerunt quidem multi, qui vehementer optarent, ſed nemo, qui vel ipſam editionem ſuſciperet, vel, cum ſuſcipere vellet, emtorum numero & liberalitate adjuvaretur. Itaque ſunt tantummodo quaedam capita in lucem emisſa; veluti vita Mohammedis a Joanne Gagnierio, Oxonii 1723; pauca de regibus Arabum ante Mohammedem, ab Alberto Schultenſio, in Hiſtoria Ioctanidarum, opere affecto,

ſed,

ſed, intercedente ſummi viri morte, haud abſoluto; denique ab eodem Schultenſio excerpta quaedam ab A. H. 556 ad A. H. 589, tanquam appendix ad vitam Saladini, quam edidit L. B. 1732. Simile fere fatum fuit operis geographici, de quo edendo multi cogitarunt, ſed omnes vel conſilium poſtea depoſuerunt, vel ab eo perſequendo morte fuerunt abrepti. Duo capita, quae deſcriptionem Chorasmiae, & Mawaralnahrae ſive Tranſoxanae continent, edidit Jo. Gravius, Lond. 1650; quae deinde cum Arabiae deſcriptione, ejusdemque Gravii verſione, inſerta ſunt Geographis minoribus Hudſoni. Gagnierius totum librum in lucem emittere conſtituerat, cum verſione, & notis, in quibus varietates multorum codicum, qui ipſi ad manum erant, diligenter annotaret; ſed Gagnierii obitu ſubſtiterunt operae ad pag. 72, fol., in initio deſcriptionis Aegypti, cui Arabiae deſcriptio praeceſſerat. Poſtea Jo. Bern. Koehlerus edidit tabulam Syriae, cum verſione, ſuisque & Reiskii animadverſionibus, Lipſ. 1766. Denique prodiit A. 1776 tabula Aegypti a Jo. Dav. Michaele edita, & verſione illuſtrata, quam, ſi praeſtabit V. Cl. quod promiſit, ſtatim ſequetur deſcriptio Africae occidentalis, Meſopotamiae, Iracae, Chureſtanae, & Perſiae proprie ſic dictae. Reiskius quidem totam geographiam Abulfedeam jam A. 1745, cum Leidae degeret, latine converterat, ſed bibliopolarum ope deſtitutus, A. 1770 tradidit hanc verſio-

nem

nem Buſchingio V. Cl., permiſitque, ut tomo quarto & quinto collectaneorum hiſtoricorum & geographicorum insereretur. (*)

Sed dicamus paullo accuratius de ipſius operis argumento, atque praeſtantia, & videamus, unde Abulfeda tantam, tamque inſignem rerum geographicarum cognitionem praecipue hauſerit.

Nimirum in tertia, quam deſcripſimus, literarum aetate maxime etiam florebat geographiae ſtudium, plurimique erant, qui, a Graecis primum edocti, huic doctrinae incumberent, mox quoque novis obſervationibus identidem eam augerent. Cum enim late extenderetur Arabum imperium, non adeo *difficilis* erat opera & ratio varias regiones cognoſcendi, nec deerat illis diligentia in explorandis earum natura, ſitu, atque intervallis. Conſtat, geographiam Ptolemaei Arabibus cognitam fuiſſe ſeculo *Hegirae* tertio, neque a veriſimilitudine abhorret, eam Arabice converſam eſſe ab Honaino quodam, medico Motawakkeli Chalifae; (vid. Herbelot, Biblioth. O. p. 193, & 456.) Ad hujus autem libri *imitationem* exiſtimat Michaelis (not. 152), confectum dein fuiſſe alium librum Arabicum, quo ſaepius uſus est Abulfeda, quique ſolet a multis cum Ptolemaeo Graeco confundi, كتاب رسم ربع المعمور i. e. ὁρισμὸν τῆς οἰκουμένης, ſed quem inde diverſum

(*) Magazin für die neue Hiſtorie und Geographie.

eſſe,

eſſe patet, cum quod longitudinum latitudinumque alia plerumque eſt deſcriptio apud Ptolemaeum, quam in libro Arabico, tum quod ſaepe ex Arabe latitudines & longitudines urbium memorantur, quarum ne nomina quidem exſtant apud Ptolemaeum. Etſi vero credimus, recte ſtatuiſſe Michaelem, hunc librum non eſſe eundem cum Ptolemaeo Graeco, quod jam monuerat Reiskius, (Prodidagm. ad Hagji Chalifae tabulas p. 230) Kitab Al Rasmi *librum* vocans *vulgo Ptolemaeo attributum*, tamen in eo multum fallitur, quod ab Arabe quodam ad modum Ptolemaei conſcriptum arbitratur; ſiquidem diſertis verbis refert Abulfeda in praefat. verſus finem, *ex Graeca lingua Arabice eum tranſlatum eſſe in uſum Mamunis:* quod certe miramur a Michaele haud fuiſſe animadverſum, niſi forte haec verba, quae nos ex codice Lugdunenſi deſcripſimus, in Pariſino, cujus ille apographum habet, deſiderentur. Itaque probabilius eſt, alium quemdam Geographum Graecum, etſi nunc deperditum, hoc libro comprehendi. Porro ante Abulfedam in hoc genere excellebant Jacutus Hamatenus, Ibn Haukal, Abu Rihan Birunenſis, qui vixit A. H. 431, multique alii, quorum nomina hic recenſere nihil attinet. Sed praeſtabat omnibus Edriſius, ſive Edriſides ille Siculus, qui Geographi Nubienſis nomine magis nunc innoteſcit. Concinnavit ille A. H. 548, Chr. 1153, juſſu Rogerii regis Siciliae, geographiam, in ſeptem climata, ſe-

cundum ordinem Ptolemaei diſtinctam, additis quoque, & ſatis accurate expreſſis locorum intervallis. Prodiit hic liber Arabice, Romae ex typographia Medicea 1592, in forma quarta, ſed est hodie, forte quod pauca ejus exempla impreſſa ſunt, rariſſimus. Exiſtimarunt Pocockius, & Herbelotus, epitomen tantummodo majoris operis hac editione contineri, quod tamen negat Steph. Euod. Aſſemannus, (Catal. codd. O. O. biblioth. Palat. Med. p. 162.) quis vero rectius judicaverit, nobis quidem haud conſtat, cum librum ſcriptum nunquam viderimus, neque adeo potuerimus cum ipſa editione conferre. Verſionem ejus Latinam curarunt Gabriel Sionita & Jo. Heſronita, Paris 1619, ſub titulo Geographiae Nubienſis, ſed peſſima illa est, & vitiis ſcatet innumerabilibus. In editione vero Arabica expreſſus est hic titulus obſcurior: *de Geographia univerſali. Hortulus cultisſimus, mire orbis regiones, provincias, inſulas, urbes earumque dimenſiones & Orizonta deſcribens.* Nimirum inſcripſerat Edriſius: *Oblectatio eorum, qui orbem terrarum cupiunt permeare*, نزهة المشتاق في اختراق الآفاق, qui titulus cum ſoleat interdum a ſcriptoribus Arabicis brevius poni, نزهة المشتاق, ſubintellectis reliquis, non debuerat a Michaele reddi, ut factum vidimus, (p. 13 vers. lat.) *oblectationes ſtudioſorum*. Omnino praeſtitisſet, integrum libri nomen in verſione exhibuisſe; vel, ſi ad imitationem Abulfedae com-

compendio quodam uti voluiſſet, tale elegiſſe, ex quo lectores, in hiſtoria literaria minus verſati, poſſent de libri argumento rectius judicare.

Sed redeamus ad Abulfedam. Hic igitur erat variis ſubſidiis inſtructus, quibus in conſcribenda geographia adjuvabatur. Ipſe ultra viginti auctores, pleroſque geographos, commemorat, quorum ſtudium atque diligentiam multum fatetur ſibi profuiſſe: (vid. Reisk. prodidagm. ad Hagji Chal. tabulas, p. 230.) quibus libris ſic fere uſus eſt, ut quae vel minus accurate, vel parum concinne in illis eſſent tradita, emendaret, & in meliorem ordinem redigeret, meliora vero inde excerperet, non per plagium, quae illorum erant, ſibi vindicans, ſed ſingula ad auctores ſuos exacte referens. Verum, ut de ejus conſilio clarius conſtet, age, excerpamus quaedam ex ipſa praefatione, quam antea jam ediderat Jo. Hudſonus, in Geogr. min. t. III, nos vero ex codice Lugdunenſi vertimus. „Cum, inquit, conſtitutum mihi eſſet geographiam conſcribere, in qua de natura & ſitu regionum, urbium, marium, montium, aliiſque rebus, quae ad hoc genus pertinent, paullo uberius exponerem, nullum reperiebam librum, cujus auctor idem mihi videretur conſilium executus eſſe, quod ego ſuſceperam, & in pleriſque multa deſiderabam. Etenim Ibn Haukal, etſi longus eſt in deſcribendis regionum natura & ratione, tamen errat plerumque in ortho-

orthographia nominum propriorum, neque exhibet longitudines, & praeterea multa videtur ignoraſſe, ſine quorum ſcientia geographiae ſtudium parum profecto est fructuoſum. Simili fere vitio laborant Edriſidae, & Ibn Chordadzabae opera. Sunt vero alii, qui longitudines & latitudines exhibeant quidem, ſed vel urbium nomina haud recte exprimant, vel in iis deſcribendis juſto ſint breviores. Denique nonnulli id quidem egerunt, ut nominum orthographiam accurate indicarent, eandemque ſemel conſtitutam conſtanter retinerent; veluti Abu Saadi Samaanenſis, Jacutus Hamatenus, Ismael Abu-l Magidi Hebatallae filius, aliique; verum apud hos contra altum est ſilentium de longitudine & latitudine locorum, quae ſi ignorentur, ſimul quoque ignoratur diverſarum regionum zenith, ſive punctum verticale, neque adeo cognoſcitur illarum ſitus, ſitne ille ad orientem, vel occidentem, an vero ad auſtrum vel ſeptemtriones. Cum igitur hos defectus animadverterem, coepi quae in his libris diſperſa erant colligere, & ipſemet de edendo geographiae compendio cogitare, quod tamen procul abest, ut jactanter praedicem omnes plane regiones, imo vel maximam earum partem complecti; quod equidem difficillimum exiſtimo: nec ullus est in hoc genere ſcriptor, quin de plurimis regionibus interdum exiliter agat & jejune. De China v. c., vaſto illo imperio, quodque tot ac tam illuſtres urbes continet,

quam

quam pauca ſunt, quae nobis innotescant, neque ea ſatis accurate tradita ! nec meliora ſunt, aut fide digniora, quae de India accepimus, de Bulgaria, de Circasſia, Rusſia, Siberia, Wallachia, & regione Francorum, inde a freto Conſtantinopolitano, ſive Bosphoro Thracio, ad Oceanum Occidentalem. Haud magis conſtat de regionibus Nigritarum verſus auſtrum, quarum diverſi ſunt incolae, Habesſini, Nubienſes, Zingaei, Zeilagenſes, Tocruraei, (*) aliique. Itaque in hoc etiam opere multa talia deſiderantur. Sed nimirum memor eram proverbii noſtri: *Quod totum haud cognoſcitur, illud totum haud negligatur; praeſtat enim partem cognoſcere, quam totum ignorare.*,,

Apparet, quaenam fere ſit ratio hujus operis, cui praeterea ad majorem praeſtantiam etiam hoc accedit, quod, cum nonnullas Aſiae atque Africae regiones ipſemet peragrasſet, in his quidem ſaepius multa ipſe cognoſcere potuerit, quibus aliorum errores corrigeret, certasque obſervationes, quas ipſe ſumma cura atque induſtria confecisſet, pro dubiis multorum conjecturis ſubſtitueret. Quare a peritis hac in arte viris ſemper habitus eſt Abulfeda Geographorum Orientalium princeps, cum fide, tum diligentia.

Sed

(*) Vid. Herbelot, p. 889.

Sed, quoniam ſemel de hoc libro dicere inſtitui-mus, ne ad pleniorem ejus notitiam aliquid deſideretur, illud quoque haud omittendum videtur, ut enarremus, quas regiones, & quo ordine, eas deſcripſerit. Erimus autem in hac parte breviores, cum Reiskius eam jam perſecutus ſit in Prodidagm. ad Hagji Chal. tabulas, p. 221--227.

Totum igitur opus duabus partibus conſtat, quarum in priore post exhibitas regulas quasdam geographiae mathematicae, veluti de diviſione telluris, de linea aequinoctiali, de ſeptem climatibus, de ſpatiis geographicis cet., agitur de maribus, lacubus, fluminibus, montibusque per univerſum orbem terrarum.

Tum ſequuntur in altera parte ipſae regionum urbiumque descriptiones, ſive tabulae. Sunt enim in modum tabularum ſic diſpoſitae, ut in prima columna ſcribatur nomen urbis; in ſecunda ponantur longitudines & latitudines variae ex variis auctoribus excerptae; deinde notetur clima, & regio, ad quam pertineant; mox adjiciatur orthographia nominis per ſingulas vocales, conſonantes, & puncta diacritica accurate expoſita; denique ſubjungatur brevior plerumque hujus urbis deſcriptio. Quae vero generatim obſervanda erant de regionum ſitu, finibus, diviſione, & ditionibus praecipuis, porro etiam de locis quibusdam ignobilioribus, de quorum certa poſitione minus conſtabat; denique de antiquarum

urbium

urbium dirutarum collapſarumque reliquiis, aliisve vetuſtatis monumentis; haec igitur omnia ſunt in marginem tabularum ſuperiorem & inferiorem conjecta; &, cum continua ſerie conſcripta ſint, peculiare quoddam caput conſtituunt. Jam vero ipſum opus 28 tabulis abſolvitur, quae hoc ordine exhibentur. Arabia : Aegyptus : Mauritania, ſive Africa Occidentalis: Hiſpania: Inſulae maris occidentalis, ſive mediterranei: Syria: Inſula inter Tigridem & Euphratem, i. e. Meſopotamia : Iraca Arabica, ſive Chaldaea veterum: Chureſtana, ſeu Suſiana: Farſiſtan, i. e. Perſis: Kermana, quae, cum hodierna Karamania in Aſia minore haud confundenda, ſita est ad oſtium Sinus Perſici, estque Arriani Καρμανίη, (Hiſt. Ind. p. 353): Segieſtana, veterum Drangiana, hodie Aroukagè: Senda, ſive regio juxta Indum ejusque brachia, eadem illa, quam Alexander victricibus copiis pervaſit: India proprie ſic dicta, ſive vaſtae regiones a latere Indi orientali: China: Inſulae maris orientalis: Regiones Graecorum, ſive Romania Aſiatica, & Natolia: Armenia, Arrana, & Adſerbagjana, quae nunc Tauris, veteribus Atropatia, vel Media Atropatena: Regio montana, i. e. Iraca Perſica, ſive Media: Dailomitis, & Kilanitis, pars hodiernae Metanderaniae: Thabareſtana, reliqua Metanderaniae pars ad auſtrum maris Caspii, (vid. Herbelot, p. 1013): Choraſana, ſive Parthia veterum: Zabuleſtana:

Tochareſtana & Badzachſchana, (cf. Herbelot, p. 165): Chowaresmia, quae veteribus Chorasmia, (vid. Arrian. de exped. Alex. l. IV; p. 172): Mawaralnahra, ſive Tranſoxana: Regio Nigritarum verſus auſtrum: denique variae gentes barbarae, urbesque Arabibus incognitae.

Quandoquidem igitur haec est libri indoles atque praeſtantia, ut nihil in eo deſideretur, quod ad geographiam Orientalem horum temporum pertineat, facile intelligitur, quantum inde lucis & praeſidii ſperandum ſit ad illuſtrandam harum gentium hiſtoriam, a cujus pertractatione nihil fere est, quod pleros que magis retineat, quam quod peregrini ſunt atque hospites in illis regionibus, in quibus res tantae ac tam praeclarae geſtae ſunt, & quod a recentioribus Europaeis, in hac geographiae parte minime exercitatis, nequeunt in rectam viam reduci.

Itaque Michaelis, edita Aegypti deſcriptione, rem literariam inſigniter auxit; cumque alias etiam tabulas edere conſtituerit, omnino exhortandus est, ne illud conſilium deponat, ſed plurimorum votis diu expetitum munus eruditis tandem concedat: quod ſine magno labore, temporisve diſpendio ab eo praeſtari posſe credimus, dummodo, ut ipſemet recte judicat, omittat deſcriptiones illarum regionum, quae Abulfedae minus erant cognitae, veluti Graeciae, totiusque fere Europae, praeter Hiſpaniam, aliarumque, quas ex praefatione modo commemoravi-

ravimus; quas tabulas qui in lucem emittere vellet, is profecto nec laudi Abulfedae, nec incrementis hujus diſciplinae conſuleret.

Sed veniamus tandem ad ultimam diſputationis noſtrae partem, & breviter exponamus rationem, quam, in hoc libro edendo, Michaelis ſecutus est.

Et forma quidem editionis haec est, ut primo ſeparatim collocetur textus Arabicus, quem, jam A. 1773, tanquam partem chreſtomathiae Arabicae, in uſum auditorum typis deſcribi curaverat, additis varietatibus quibusdam lectionis; tum ſubjungatur verſio Latina; denique ſequantur annotationes, quae longe maximam implent totius libri partem.

Unum habuit Michaelis, ex quo textum Arabicum ederet, codicem Pariſinum, bonum profecto, quique proxime accedat ad primum exemplum, quod est in bibliotheca Leidenſi. Etenim conſtat, maximam esſe hujus codicis Leidenſis antiquitatem, & praeſtantiam; imo exiſtimarunt nonnulli, ipſius Abulfedae manu eum fuisſe exaratum: ſed Reiskius, quo certe pauci erant in verſandis cognoſcendisque libris ſcriptis peritiores, rectius ſtatuit, fuisſe eum in uſum auctoris, ejusque juſſu, descriptum; ipſum praeterea Abulfedam alia in eo delevisſe, alia addidisſe, multa emendasſe. Quare, cum hic liber ab autographo vix differat, valde est probabile, ex eo, tanquam ex communi fonte, reliquos omnes promanasſe: (vid. not. Reiskii in Koehleri praef.

ad tab. Syriae, p. 13.) Hinc ſaltem deſcriptum eſſe codicem Pariſinum, nos quidem, ex collatione Leidenſis cum editione Michaelina, manifeſto perce pimus. Nam, praeterquam quod magna eſt utriusque convenientia, ut variae lectiones nec multae ſint, nec magni pleraeque momenti, poſſunt ſaepius errorum, qui in Pariſinum irrepſerunt, origines atque cauſſae ex Leidenſi indagari; cujus rei inſigno nobis exemplum occurrit in deſcriptione urbis Alaki, (pag. edit. 36.) ubi recte vidit Michaelis, deeſſe quaedam in ſuo exemplo, quae in Leidenſi codice legi veriſimile erat ex verſione Reiskii (conf. not. 290.) Igitur primum, pro و شرقي العلاقي invenimus وفي شرقي العلاقي, deinde adduntur ſequentia: و عرض الوضح قريب من عرض اسوان و طولها سا قال العزيزي اذا اخذت من اسوان في سمت المشرق يصل الي العلاقي. Quare locus ſic vertendus: *Wadach ſtatio eſt peregrinatorum Meccam petentium, eſtque Alako ad orientem. Latitudinem habet propemodum eandem cum Oswana; ſed longitudinem 61 graduum. Refert Azizius, ab Oswana Alakum perveniri ſub eadem poli elevatione orientem verſus, poſt duodecim ſtationes*, cet. Omiſſa eſt una linea, quae integra exſtat in Leidenſi, ut poſterius العلاقي poſitum ſit exacte ſub eodem vocabulo, quod ſuperiore linea praeceſſerat; unde patet, quaecunque

cunque inter utrumque العلاوي ſcripta ſunt facile potuiſſe a librario omitti, cujus oculus in inferiorem lineam forte delaberetur.

Quamvis igitur textus Arabicus minus accurate ex uno codice, quam ex pluribus, poſſet conſtitui, tamen Michaeli multum profuit collatio inchoatae editionis Gagnierianae, & verſionis latinae Reiskii, ex quibus cum judicare poſſet, quas illi lectiones in codicibus ſuis habuiſſent, meliores plerumque in textum recepit, eaque de re lectores commonuit, vel rationes addidit, cur a ſuo codice putaret haud recedendum. Et in hac quidem parte ſaepius eum recte judicaſſe deprehendimus, eamque lectionem ſagaciter indagaſſe, quam Reiskius vertendo expreſſerat. Ubi vero ipſam attingit Criticam, & varias lectiones vel cernit atque ponderat, vel novas ipſemet conjecturas proponit, facile animadvertunt peritiores, hos conatus Michaeli infeliciter ceſſiſſe. Nam, cum in emendandis veterum ſcriptorum libris non ſolae ſint partes ingenii, quod certe in Michaele eſt haud mediocre, nec ſola quoque ſufficiat multiplex, at vaga, eruditio, verum inprimis opus ſit multo linguae uſu, aſſidua optimorum librorum lectione comparando, & perfecta Grammatices ſcientia, haec quidem facultas tanta in eo non eſt, quantam adferre oportet Criticum, qui ſemet velit in hac arte jactare.

Verſionem adjecit Michaelis novam, & a verſio-

ne Gagnierii, atque Reiskii, multis in locis diverſam; ſaepius quidem meliorem, ſubinde vero pejorem. Sed, Reiskio ne fieret injuria, monuit in praefatione, totius Abulfedae verſionem intra 45 dies ab eo fuisſe confectam. Itaque haud difficile erat errores quosdam ex feſtinatione ortos detegere: praeterea Reiskius non ſatis verſatus erat in disciplinis quibusdam, praeſertim mathematicis, ſine quarum cognitione Geographum vix intelligas: nec poterat varias vocum, quae in hoc genere propriae ſunt, ſignificationes ſemper accurate diſtinguere, iisve ſuo loco uti; quod exemplis quibusdam oſtendit Michaelis n. 42, 64, 103, 151 b, 168, 193, 208, 290, etſi ſunt in his, quae non tantum posſint ab erroris turpitudine liberari, verum etiam melius defendi, quam id, quod est in nova verſione ſubſtitutum. Denique, quamquam Reiskius ſatis valeret Latini ſermonis copia, tamen ei deerat, praeter elegantiam ſcribendi, etiam ſimplicitas illa & perſpicuitas, quam interpreti ineſſe oportet, qui, transferendo dictionis genere tam peregrino & inſueto, Latinis etiam auribus velit placere. Reiskio igitur hac in parte ſuperior est Michaelis, cujus verſio potest ab iis, qui Arabice neſciunt, ſine taedio, nonnumquam etiam cum jucunditate legi.

Annotationum gemina est ratio, ut vel inſerviant illuſtrandae geographiae tam veteri, quam recentiori,

ti, vel in vocibus explicandis, aut lectionibus judicandis occupentur. In iis, quae ſunt argumenti geographici, diligenter uſus eſt geographis & peregrinatoribus recentioribus, d'Anvillio, Nordeno, Pocockio, Niebuhrio, aliisque; comparavit horum obſervationes cum obſervationibus Abulfedae; ubi disſentiebant, judicavit, quis ad veritatem propius accederet. Porro uſus eſt ſcriptoribus veteribus Graecis & Latinis, eorumque teſtimoniis id quod ab Abulfeda dictum erat ſaepius confirmavit. Recte enim vero & laudabiliter. Sed, cum hanc ſibi in animadverſionibus ſcribendis rationem proponeret, negligendi haud erant ipſi Orientales, ut vel Abulfeda hinc illuſtraretur, vel hi ex Abulfeda lucem acciperent. Tamen in hoc genere nihil praeſtitum, praeterquam quod ſubinde loca quaedam afferuntur ex Geographo Nubienſi.

Nec ignoramus, Michaelem librorum Arabicorum, praecipue MSS., copia deſtitui. Sed debuisſet hunc defectum aliis ſubſidiis compenſare; veluti Schultenſii indice Geographico ad vitam Saladini, quem ſemel memoravit, not. 248; & inprimis Golii commentario ad Al Ferganum, in quibus cum plurima invenisſet, ex ipſis fontibus ducta, ſcriptorum Arabicorum loca, tum etiam eruditas de multis Aegypti urbibus diſputationes, dignas ſane, quas cum Abulfeda conferret, & in uſus ſuos converteret.

Caeterum, etſi multa in his notis traduntur utilia, & ad mentem auctoris explicandam neceſſaria, ſuperſunt tamen haud pauca, vel leviter ſcripta & temere, vel a recta ratione harum literarum longius remota, vel denique, quae potuisſent majore cum cura pertractari atque expoliri; quod vitium in omnibus fere ſcriptis Michaelinis inest, & ex ſola πολυγραφίᾳ oritur, cujus impetum ſi cohiberet, melius profecto ſcriberet, & ad utilitatem fructuoſius.

Verum ne videamur praeter rem virum reprehendisſe, age, cenſuram noſtram exemplis quibusdam confirmemus.

P. 4. text. Ar. l. 8. ما علي عن Gagnier, & cod. Leid. ما علا, quae lectio praeferenda, ut majus ſit diſcrimen inter praepoſitionem, & verbum. Ex utroque etiam fonte pro اسغل, lin. ſeq. leg. سغل.

Not. 54. In copioſa diſputatione de tribus الـوحات, ſive Oaſibus veterum, non omittendus fuisſet locus Iacuti Hamateni, ex Schultenſii ind. geogr. v. Thebais.

Not. 94. Ignorari dicit ſepulchrum Galeni, & tamen Abulfedae obloquitur, qui ex Haukalide refert, esſe illud prope Catiam, ſive Caſium, in cujus vicinia, ad montem Caſium, ſepultum esſe Pompejum Magnum conſtat ex Strabone. Nec ratio-

nes

nes addit Michaelis, cur ab Abulfeda diſſentiat, eumque in ſuſpicionem erroris adducat. Vana haec captatio novitatis.

P. 10. text. Ar. l. 1. لما حاصروا دمياط. ſic legitur in Pariſino, reddendumque, *cum Damiatam obſiderent.* Idem fere Leidenſis لما حاصرت الفرنج دمياط; ſed, ut magna paſſim est punctorum diacriticorum in hoc codice negligentia, non dubitamus, quin legendum ſit جاضرت, *cum Franci Damiatam tenerent*; nam recte ex Herbeloto monuit Michaelis, alteram lectionem cum hiſtoria minus convenire, ſiquidem conſtat, Francos jam per biennium Damiatam in poteſtate habuiſſe, cum Malecus urbem Manſuram inſtauraret. Inſtauraſſe enim potius, quam novam condidiſſe refert idem Herbelotus, p. 246 & 554.

P. 13. l. 11. و قد نقل فيها اخبار cet. Haec verba eraſa ſunt & obſoleta in Leidenſi, quare Reiskium putamus ex ingenio addidiſſe, quod est in ejus verſione: *poſſet hoc incredibile videri, &, niſi ipſe meis oculis id vidiſſem, dubitarem fortaſſis de rei veritate.* Michaelis; *Ohe vero, quam narrantur multa, quorum non certa fides.* Sed primo quidem هبا, non credimus alio ſenſu quam *appellandi* occurrere, & in *admiratione* uſurpari. Praeterea inſolens est, nec bona conſtructio, pro qua dicendum fuiſſet هبا ما

نقل

تقل cet. Denique nec فى poſſet in hac ſede locum obtinere. Omnino legendum; emendatione tam certa, quam facili فيها vel potius فيها *multa de iis narrantur* &c.

P. 16. l. 5. مدينة جامعة *urbs; templum cathedrale habens*. Quidni potius, *urbs frequens, celebris*? Templum cathedrale dicitur مسجد الجامع, vid. Gol. p. 533, & ipſum Abulf. infra p. 24. l. 3. & p. 31. l. 7. a fine.

P. 17. l. 4. a fine. وبها البرني. Locus difficillimus, quemque Golium haud intellexiſſe veriſimile eſt, cum in deſcriptione urbis Echmimae, (not. ad AlFerg. p. 102) ex Abulfeda referat, *multa ibi ſupereſſe antiquitatis monumenta*, ſed de hac voce ſileat. In Leidenſi eſt البربي, quod Michaelis praefert, putatque *templum* deſignari, figuris hieroglyphicis ornatum, forte etiam ſubterraneum. Reiſkius emendaverat البرامن, verteratque *pyramides*, quod vocabulum conjecturale exiſtimat Michaelis, nec ullo uſu confirmatum. Sed cum vix credibile ſit, Reiſkium, cui tanta erat Arabicae linguae copia, vocabulum ſubſtituiſſe, cujus uſum nulla poſſet auctoritate firmare; potius exiſtimamus, eum haud cogitaſſe de diverſa vocis ſcriptione البرابى, quae plane idem ſignificet. Utrumque enim ortum videtur ex *pyramide*, ut, pro *Alpirâmi* diceretur *Albirâmi* & *Albirâbi*: quemadmodum lectionem cod. Leid. egre-

egregie tuetur vir doctus, qui, ante nos, cenſuram harum notarum ſuſcepit, in biblioth. Germ. Berol. t. XXXI, part. 2. Ut vero ille *templorum* ſignificationem vocibus براببي & براابا, بربا, ſola Pocockii auctoritate, haud audet attribuere, ſic nos Paulli Lucae teſtimonio parum profecto confidimus. Credimus quoque, deſcriptionem *Birabarum*, quae est in Geographia Nubienſi, ad *pyramides* tam facile accommodari poſſe, quam ad *templa*.

Not. 181. Quod de Azizi, non auctore, ſed titulo libri, notavit, ſtabilire potuerat auctoritate Reiskii, ad Hagji Chal. tab. p. 230. In Leidenſi العزيزة & العزيزة في paſſim confunduntur.

P. 21. Columnam Pompeji Alexandrinam, quam Abulfeda عامود السواري vocat, Michaelis vertit *columnam Severi*, eamque, inani conjectura, a Septimio Severo poſitam arbitratur. (not. 193.) Nimirum, manifeſto errore, confundit السواري cum السوارروس, vel سبوارس, quemadmodum Severi nomen ab ipſo Abulfeda ſcriptum deprehendimus, in parte IV. operis hiſtorici, (p. 57 codicis Warneriani.) Fruſtra etiam Spartiani locum excitat, ut hanc opinionem auctoritate aliqua confirmet; cum nihil aliud inde probetur, quam Severum Alexandriam adiiſſe, inque eam urbem beneficia quaedam contuliſſe. Itaque non erat, cur Michaelis tantopere exultaret, & „ videretur ſibi jam tandem aliquando de nobiliſſimo antiquitatis monumento aliquid certi ſtatuere poſſe,

poſſe, *idque adeo novum recentioribus & ignotum*; ut *Reiskius*, *vir incredibili* doctrina, ne intelligeret *quidem Abulfedam*, literasque Arabicas سوارى legens, *non de* Severo cogitaret, ſed verſioni ſuae hanc *ſubjiceret* notam: *columna trabium. Neſcio, cur ita dicta: Pompeji forte intelligitur.* Nempe ad radicem سور (Gol. p. 1236.) nomen Severi Arabicis literis expreſſum revocabat." Enimvero huc ſi revocaſſet Reiskius vocem سوار, profecto haud levius erraſſet, quam nunc erravit Michaelis, cum numquam a سور poſſit derivari سوار, ſed haec forma pluralis ſit, ſive collectiva, a ſing. سارية *trabs, columna*, quod a themate سرى derivatum, in Golio exſtat, p. 1170, quodque apud ſcriptores Arabicos paſſim occurrit. Neque ſolum uſurpatur de *tignis*, *trabibus*, *columnis*, verum etiam de *opere columnato*, de *porticu* inprimis, longa columnarum ſerie magnificentius exſtructa. Ut ſolent اسطوانة *porticus*, & سوارى, *columnarum ſtrues* invicem plerumque permutari. Itaque عامود السوارى verti non debet *columna trabium*, ſed *columna porticus*, ſive talis, quae collocata erat in magnifica plurium columnarum ſtructura: conf. Pocock. t. 1, p. 8. Sed inprimis id patet ex Abu Serouri compendio deſcriptionis Aegypti, quod ex Meſudio, Macrizio, aliisque excerpſit, & in quo, cap. VI, de Amoud Iſſawâri ſeparatim egit. Hic igitur refert, hanc

„ hanc columnam collocatam fuiſſe, prope alias columnas fere quadringentas, quas Karagia praefectus Alexandriae, eo tempore, quo Saladinus Aegyptum teneret, deſtruxerit, & in maris littus projecerit, ut adventanti hoſti aditum praecluderet." Nil igitur refert Abulfeda de conditore hujus columnae, quam probabile est, Veſpaſiano poſitam fuiſſe & dicatam, in memoriam prodigii, quod, ſanando claudo, Alexandriae feciſſe traditur: quam conjecturam ingenioſe adſtruxit Nobilis vir, Eduardus Wortlejus Montacutius, cum aliis argumentis, tum nummo Veſpaſiani, quem in columna inuenit, & cui inſcriptum AVT. KAIC. CEBA. OUECП. In averſa parte conſpicitur victoria gradiens, dextra ſpicas, ſiniſtra palmam geſtans: vid. comment. Philoſoph. regiae ſociet. Lond. vol. LVII, Art. 42. Si igitur locus, in quo haec columna poſita erat, jam antea *Asſawâri* diceretur, ab inſigni columnarium copia, patet ratio, cur ea, quae recentiore aetate accederet, nomen *Amoud Isſawâri* obtineret.

P. 21. text. Ar. l. penult. لا يكون من خصبه. *Non habet fertiles agros.* Sed hoc Arabice diceretur لا يكون خصيبا vel خصيبة, Nimirum vitioſa est lectio Pariſina, pro qua in Leidenſi لا تكون مرخصة *Frumentum aliunde ei advehitur, nec est vili pretio habendum*; quam lectionem

nem inveniſſet in Schultenſii indice, v. Alexandria.

Sed haec quidem ſpeciminis cauſſa ſufficiant. Apparet, Michaelem, etſi edita hac Abulfedae parte magnam gratiam iniit apud omnes, quibus literarum Arabicorum incrementa curae cordique ſunt, majorem tamen initurum fuiſſe, ſi ſolum textum edidiſſet, cum verſione Reiskii, quibusdam in locis vel emendata, vel elegantius expreſſa; a ratione vero critica abſtinuiſſet, vel, ſi videretur ſibi in hoc genere aliquid praeſtare poſſe, majorem attuliſſet curam, & diligentiam.

VI.

EPICTETI *Enchiridion, Graece & Latine, cum ſcholiis Graecis & novis animadverſionibus, curavit Chr. Gottl. Heyne. M. Britann. R. a conſiliis Aulic. Eloqu. & Poeſ. P. P. O. in Georgia Auguſta, Ejusque Bibliothecar. Societatis Regiae Scient. Gotting. Sodalis Ordinar.*

Altera Editio emendatior & auctior. Varſaviae & Dresdae. 1776. 8.

Sunt nonnulli ex veterum libris, qui, vel ob utilitatem ſingularem, vel brevitatem voluminis, vel jucunditatem & facilem intellectum, crebris editionibus frequententur. Quorum ut nova editio prodit, ita nil magnopere ex ea novi exſpectatur; propterea, quod ille jam mos diu invaluiſſe videtur, ut nil animadverſionis adjiciatur ab editoribus, & libellus ipſe ſatis perſpicuus eſſe putetur. In horum numero librorum Epicteti quoque est Enchiridion. Hujus ex multis variisque editionibus, quae ferebantur, quibusque contenti erant literarum amantes, nullam accuratae interpretationis laudem habere, tum demum plerique cognoverunt, cum Heynii

editio prodiisſet. Hujus enim acumine atque ſcientia certus verusque libelli ſenſus ex Stoicorum ratione patefactus est, ut multi faterentur, nunc denique ſe intelligere ea, quae dudum intellexisſe ſibi viſi esſent, ab Heynio difficultatem ſimul & oſtenſam & ſublatam esſe. Quod non eo dicimus, ut Heynio laudem quaeramus ex ſuperiorum omnium interpretum reprehenſione; nam, ut alii idem efficere non potuerint, alii certe, veluti Wolfius, Salmaſius, Relandus, Uptonus, ſimilesque, cum posſent, noluerunt. Sed nimirum intelligi volumus a literarum ſtudioſis, hancce optimam esſe praeſtantisſimi ſimul & pervulgatisſimi libelli editionem.

Est omnino aureus hic libellus, praeceptorum cum veritate ac perſpicuitate, tum pondere ac momento. Nam licet Stoica ratio plena ſit diſtinctionum acuminibus, quae ſe invicem haud raro compungant; ejusque etiam initia ſaepius exitum habeant abhorrentem a communi hominum ſenſu; tamen, in morum officiorumque doctrina, Socratis & Platonis ſequitur auctoritatem, easque vitae regundae praeſcribit leges, quae, ſi cum aliorum philoſophorum praeceptis conferantur, ſolae videantur dignae philoſophia, dignae virtute. Docet enim, virtutem ſe ipſa esſe contentam ad bene beateque vivendum: hanc qui ſequatur, eam conſequi perfectionem; quae ſumma in humanam naturam cadere posſit,

ani-

animumque in eam asſerere libertatem, ad quam factus ſit a parente & auctore Deo : nil bonum esſe, niſi quod conjunctum ſit cum virtute, nil malum niſi culpam & peccatum: externas res neque bonas, neque malas esſe : nil ad nos pertinere, vel bonam vel adverſam, fortunam: ea ſola noſtra esſe, quae in noſtra ſint poteſtate, & ab animi inductione proficiscantur. Atque his praeceptis ita animum informat, ut eum bona malaque ex re atque vero aeſtimare, hominumque opiniones contemnere doceat : ut eum asſuescat nil timere, nil dolere, nulli deteriori rei ſervire : ut eum contra omnes vitae caſus muniat : ut denique ipſum ſuae felicitatis auctorem conſtituat. Quae quidem virtus, tametſi tam ſublimi excelſoque loco poſita ſit, ut mortalis ad eam nemo eniti posſe videatur, &, ſecundum Stoicos, miſer ſit quicunque eam non penitus asſecutus ſit; tamen fatendum est, eos etiam, qui vel gradibus aliquot ad eam propius accesſerint, magna beatae vitae parte potitos esſe. Omnino & nos ipſi, & alii, quamquam multis partibus a Stoicorum ratione disſentiamus, & ab illa perfectione longe diſtemus, tamen legendis eorum libris, qui de virtute & moribus ſunt, mirifice nos adfici ſenſimus. Ita animus percutiebatur atque commovebatur praeceptorum gravitate, veritate, ſimplicitate, ita ad rerum humanarum contemtum attollebatur, ut ſe veluti ex opinionum vanarum

ſervitute in libertatem vindicatum, ſuique juris factum, putaret.

Sed principes Stoicae familiae, Zeno & Chryſippus, quaecumque ſcripta ediderant, quae ſane multa fuerant, haec & ipſa ratione erant ſubtiliora, quam ut in communem hominum intelligentiam caderent, & oratione horridiora, quam ut legentium animos aut allicerent aut tenerent. Itaque operae pretium fecit Arrianus, quod ex magiſtri Epicteti ſcholis praecepta Stoicorum, ea quae maximam vim haberent ad virtutis ſtudium atque vitam beatam, in breve Enchiridion redegit, oratione etiam conſcripſit elegantiore, quam pro vulgari Stoicorum conſuetudine, ita denique accommodavit ad communem hominum uſum, ut ea unusquisque non intelligere tantum, ſed vita etiam actioneque exprimere, posſet. Nam Arrianus ex Epicteti Stoici diſciplina profectus, vitae ſtudiorumque rationem ad Xenophontis Socratici exemplum compoſuit, philoſophiamque cum rerum actione conjunxit. *Itaque* & bellicas artes tractavit, &, regnante *Hadriano*, dux ipſe exercitui praefuit, & conſulatum etiam gesſit. Sed ſcripta quoque ad Xenophontis ſimilitudinem edidit. Primum, expeditionem Alexandri M. ſeptem libris conſcripſit, cum Xenophon totidem libris Cyri junioris militiam complexus fuisſet. Deinde Epicteti magiſtri ſcholas literis conſignavit, cum Xenophon dicta factaque Socratis haud paucis li-

bris,

bris, praeſertim, iis qui Α'πομνημονεύματα vocantur, conſcripſisſet. Denique, ut alia omittamus, ejusdem imitatione libellum de Venatione edidit, in quo ſe ipſe adeo juniorem Xenophontem nominavit.

Sed quod de Enchiridio diximus, ejus auctor idem est Arrianus. Nam delectis ex majore opere disſertationum, ſeu, ſcholarum Epicteti, quarum ad nos pervenerunt libri quatuor, optimis quibusque ac maxime perſpicuis praeceptis, parvum libellum concinnavit. Et Enchiridion quidem, ſeu, Manuale, eum vocavit, quod propter brevitatem atque utilitatem ſemper in promtu esſe, ac geſtari in manibus, & posſet, & deberet. Omnino virtutis felicitatisque ratio tam clare tamque perſpicue in eo exponitur, ut nullum ſit vitae, conditionis, ſtudiorumque genus, ad quod ille libellus non accommodatus videatur. Quare minime est mirandum, eum non ſolum ab aliarum ſectarum philoſophis, ſed a Chriſtianis etiam doctoribus, in magno pretio habitum fuisſe. Et ex his quidem complures paraphraſtae, quorum unus editus est, alii in bibliothecis ſervantur, eum ad Chriſtianae doctrinae formulam revocarunt: & St. Nilus Abbas Enchiridion ipſe ita conſcripſit, ut Epictetum ad puriorem doctrinam refingeret. Sexto ſeculo Simplicius luculentisſimo eum explicuit commentario, in quo perperam nonnulli Chriſtianae religionis veſtigia deprehendisſe ſibi viſi ſunt.

Quin fuerunt boni quidem homines, ſed nullo antiquitatis uſu exercitati, qui crederent, ſacros N. T. libros lectos eſſe non tantum a Stoicis, Seneca, Epicteto, Antonino Imperatore, ſed ab aliis quoque hujus aetatis philoſophis, veluti Plutarcho & ſimilibus. Quorum quam vana ſit opinio, cum res ipſa loquitur, tum hoc unum ſatis ſuperque oſtendit, quod inde conficeretur, ex hoc etiam fonte hauſiſſe Socratem, Zenonem, Chryſippum. Sed, ut de Stoicorum ſcriptis dicamus, habent ea quandam cum ſacris N. T. libris ſimilitudinem, quae imperitos facile ludere poſſit. Haec poſita est in duabus potiſſimum rebus: primum in praeceptis, quae ad vitae rerumque humanarum contemtum pertinent: deinde in ſtilo & oratione. Atqui praecepta, cum in utraque doctrina ex diverſis principiis ducantur, ipſa diſſentire inter ſe neceſſe est. Quod vero ad orationem pertinet N. Teſtamenti, ſi illa majorem habet cum Stoicorum, quam cum Platonis v. c. & Demoſthenis, oratione convenientiam, an continuo erit eadem ac Stoica? Chryſippus, ejusque imitatione plerique alii Stoici, dicendi genus ſecuti ſunt minime elegans & exquiſitum, cum verborum incuria, tum compoſitionis negligentia, tum exemplis etiam & dictionibus e medio deſumtis. Sed inter Sacrorum ſcriptorum Stoicorumque orationem hoc interest, ut haec tamen Graeca ſit, illa Graeca vix dici poſſit.

Cete-

Ceterum in hujus libelli recenſione duplex est Heynii laus. Altera, quod lectionis varietatem veritatemque ad criticas leges exegit, conferendis, tum codice Boerneriano, & editionum aliarum copiis, tum comparandis Simplicio aliisque Stoicis, & Nilo atque Paraphraſte. Altera, quod verum Epicteti ſenſum e Stoica ratione & loquendi conſuetudine acute eruditeque explicuit; ut ejus animadverſionum lectio quaſi viam aperiat ad reliquorum Stoicorum intelligentiam. Secunda vero hac editione illud egit Heynius, ut emendaret, cum ea, quae in philoſophi verbis male fuisſent typographi culpa expresſa, tum ſua notata; eaque partim accuratius conſtitueret, partim diſertius & copioſius inſtrueret, quae ex Stoicae diſciplinae ſubtiliore ratione esſent illuſtranda; vitae autem Epicteti, & editionum Enchiridii notas, doctius digereret.

VII.

Diſſertatio de Babrio, Fabularum Aeſopearum Scriptore. Inſeruntur Fabulae quaedam Aeſopeae nunquam antehac editae, ex Cod. Mſ. Bodlejano. Accedunt Babrii Fragmenta. Londini. 1776. 8.

Brevis est hicce libellus, quippe qui octo & quadraginta tantum paginis conſtet, ſed plenus elegantis accurataeque doctrinae. Ejus exempla cum & pauca ſint, & in paucorum manus venisſe videantur, credimus eo jucundiorem fore aliis noſtram de eo relationem. Cumque auctor ipſe nomen ſuum non prodiderit, nolumus ignorari ab literarum noſtrarum amantibus; eum esſe Thomam Thirwittum, cujus alia jam extant, eaque egregia, ingenii doctrinaeque ſpecimina, veluti Emendationes adjectae Musgravii V. Cl. Exercitationibus Euripideis, & fragmenta Plutarchi quaedam, edita ante hos quinque annos Londini. Nunc de recentisſimo hocce ejus opere exponamus.

Quamquam Aeſopi haud paucae fabulae ab antiquisſimis ſcriptoribus commemorentur, velut ab Ariſtophane, Platone, Ariſtotele, non tamen conſtat, utrum ab ipſo Aeſopo literis mandatae ſint, an vero ſermonibus dictisque ſparſae, ab aliis demum

collȩctae conſcriptaeque ſint. Bentlejus quidem (Diſſ. de Aeſopo) putabat, temporibus Socratis, ſcriptas Aeſopi fabulas non extitisſe: contra noſter nil causſae esſe arbitratur, cur dubitemus, Aeſopum fabulas ſoluta oratione ſcriptas reliquisſe. Sed de hoc non ſtatuimus. Illud tamen valde veri esſe ſimile putamus, temporibus Socratis fabularum Aeſopearum extitisſe libros, ſive ab ipſo Aeſopo, ſive ab aliis poſt eum, confectos. Poſtea multi fuerunt, qui his fabulis vel ſolutae ligataeve orationis ornatum adderent, vel novas in eodem genere adjungerent. Ex Latinis poetis, qui in hoc argumento verſati ſunt, aetatem tulere Phaedrus & Avienus: Graeci ad unum omnes interciderunt, neque quidquam ex eorum operibus, exceptis Babrii fragmentis, ad nos pervenit. De ejus vita, aetate, ac rebus, nil conſtat. Nam Suidas, qui verſus ejus ſane multos ſervavit, de ipſo tamen viro levem ac perexiguam prodidit notitiam hancce: *eum Babriam vel Babrium vocari, & Aeſopicas Fabulas in Choliambos convertisſe, earumque decem libros edidisſe.* Bentlejus eum, absque ullo argumento, in ultima bonorum auctorum aetate ponit. Omnino recte de Bentleji Disſertatione Aeſopea judicat Thirwittus, cum ait, p. 25: „ Dolendum est, magnum Bentle-„ jum disſertationem ſuam de Aeſopo, eo modo „ quo illam de Phalaride, non retractavisſe. Mul-„ ta, quae hodie obſcura ſunt in hac materia, ſine

 „ dubio,

„ dubio, illuſtria feciſſet ſingularis ea, qua in his „ literis pollebat, eruditio & ſagacitas. Sed ille, „ adverſarios Diſſertatione ſecunda Phalaridea, ve„ lut fulmine, proſtraviſſe contentus, a pugna im„ pari indignabundus receſſit. Nonnulla igitur in „ Diſſertatione Aeſopea reliquit vir maximus, „ quae, ſi ſecundas curas adhibuiſſet, niſi fallor, „ mutaviſſet. Tale est argumentum illud, quo „ probaturus est, Aeſopi fabulas, tempore Socra„ tis, ſcriptas non exſtitiſſe, quia ſcilicet Socra„ tes, qui aliquas ex illis metrice expreſſit, non ait, „ *ſe uſum eſſe libro fabularum*, ſed *ſcripſi*, inquit, „ *ὧν ἠπιςάμην, quas noveram, & primas in me„ moriam revocare poteram. cet* "

Sed Babrium bonorum aetate ſcriptorum floruiſſe, primum, ipſa verſuum ejus elegantia & ſuavitas prodit: quae quidem ejusmodi est, ut ejus *liber*, ſi extaret, judice ipſo Bentlejo, (Diſſ. Aeſ. cap. 5.) merito opponi Latino Phaedro, ſi non praeferri, poſſet. Deinde indiciis duobus collegit Thirwittus. Alterum est in loco Apollonii Lex. Hom. V. Ἄειδε, qui veriſimillima conjectura in Choliambos redigitur, & ad Babrium refertur; unde ejus aetas in tempora Auguſti videatur incidere. Alterum est in praefatione Avieni, qui Babrium ita commemoravit, ut eum ante Phaedrum poneret. Ceterum, post editum hoc a Babrio opus, credibile est, proſaicam fabularum Aeſopearum collectionem negligi coepiſſe,

piſse, & ſenſim prorſus evanuisſe. Nam, ut editoris utamur verbis „ easdem fabulas, & fortasſe „ plures, parare facile erat, ſtylo jucundo & ele„ ganti (a Babrio) ornatas, metroque concinnatas „ aptisſimo; quod ſane non minus proprie *Mythi*„ *cum*, quam aliud *Heroicum*, aliud *Elegiacum*, ap„ pellare licet. Tandem ſequioribus ſeculis, cum „ non modo numerorum metricorum ſuavitas, ſed „ etiam omnis orationis elegantia neglecta jaceret & „ ignota, coeperunt homines male feriati Babrii „ fabulas in proſam reducere, non eam in qua ab „ Aeſopo & aliis olim ſcriptae ſunt, quod minus „ plorandum esſet, ſed qualem ipſi pro barbarie „ ſua excudere potuerunt. Atque hinc opinor „ accidit, ut fabularum Aeſopi, quae a veteribus „ memorantur, aliae in libris hodiernis deſideren„ tur, aliae mutatae legantur. Scriptores enim „ noſtri eas ſolum fabulas quas libuit, & ut libuit, „ verterunt. Quamquam haud incredibile est, ip„ ſum Babrium nonnulla, quae ſcilicet deſperavit „ *tractata niteſcere posſe*, reliquisſe, nonnulla etiam „ pro arbitrio immutasſe."

Seculo nono Ignatius Magiſter, ſeu Diaconus, ſub nomine *Gabriae*, quod ex corrupto *Babrii* ortum est, Babrii fabulas in Jambica tetraſticha redegit, quarum quatuor & quinquaginta in Neveleti ſunt editione. Quadrageſima tertia, de Luſcinia & Hirundi-

rundine, tredecim conſtat choliambis, & ſine dubio Babrii est, eaque unica, quae ex iis ad nos integra pervenerit. Maximum etiam Planudem ex Babriano opere multas fabulas in communem ejus aetatis dialectum tranſtulisſe, minime abhorret a veriſimilitudine, ſi hominis ingenium ac ſtudia ſpectemus. Quamquam uno hoc argumento, quod Aeſopi vita ab eo conſcripta multis fabularum codicibus praefixa est, illud probari, recte negat Thirwittus. In hoc vero nos omnino conſentientes habet, libros fabularum Aeſopearum, qui hodie feruntur, ab junioribus Graeculis confectos, & ex Babriano opere ductos esſe. Nam editiones *Aeſopi* ex tribus factae ſunt exemplis. Primum est Accurſianum, anno circiter 1479 Mediolani typis expresſum, repetitum ab Aldo & aliis. Secundum est Rob. Stephani, A. 1546, quo Accurſianum augetur atque emendatur ex vetustisſimo bibliothecae regiae libro. Tertium Iſ. Nic. Neveleti A. 1610, quo item Accurſianum redditur, ſed locupletatur fabulis ineditis centum & triginta ſex, ex *codicibus* bibliothecae Palatinae quinque; qui codices, cum raro inter ſe disſentiant, pro uno habendi ſunt. Sed in omnibus tribus exemplis manifeſta ſunt veſtigia ſuavitatis elegantiaeque Babrianae metro ſcazonte ſeu choliambico, quae magna ſagacitate indagavit, ſuosque auctori verſus, quoad ejus fieri potuit,

ſuit, reſtituit Thirwittus. Atque hoc ejus conſilium magnopere adjuvit felicitas quaedam, quae ei ex bibliotheca Bodlejana obtulit librum fabularum Aeſopearum ſcriptum, qui editores hucusque omnes, ipſumque Jo. Hudſonum, ejus bibliothecae magiſtrum, latuerat. Ex his primum exhibentur ineditae fabulae ſex, p. 4--12., quae, Suidae indicio, vindicantur Babrio. Harum unam ſpeciminis loco ponamus:

Γάμοι τοῦ Ἡλίου θέρους ἐγίνοντο· πάντα δὲ τὰ ζῶα ἔχαιρον ἐπὶ τούτῳ. ἠγάλλοντο δὲ καὶ βάτραχοι· εἷς δὲ τούτων εἶπεν· ὦ μωροί, εἰς τί ἀγάλλεσθε, εἰ γὰρ μόνος ὢν ὁ Ἥλιος πᾶσαν ὕλην ἀποξηραίνει, εἰ γήμας, ὅμοιον αὐτῷ παῖδα γεννήσῃ, τί οὐ πάθωμεν κακόν;

Babrianae hujus fabulae concluſio pene integra est apud Suidam V. Αὐήνας.

Εἰ γὰρ μόνος νῦν λιβάδα πᾶσαν αὐαίνει,
Τί μὴ πάθωμεν τῶν κακῶν, ὅταν γήμας
Ὅμοιον αὐτῷ παιδίον ἐπιγεννήσῃ;

Sequuntur aliae item ineditae ſeptem, p. 12--16: quae licet Suidae teſtimonio deſtituantur, ipſae tamen

Διῆχ' ἀπελθεῖν αὐτὰ πρὸς θεῶν οἴκους,
Κἀκεῖ πέτεσθαι, τῆς τε γῆς ἄνω φεύγειν.
Μόνη δ' ἔμεινεν Ἐλπὶς, ἣν κατείληφε
Τεθὲν τὸ πῶμα· τοιγὰρ Ἐλπὶς ἀνθρώποις
Μόνη σύνεστι, τῶν πεφευγότων ἡμᾶς
Ἀγαθῶν ἕκαστον ἐγγυωμένη δώσειν.

VIII.

Examen Critique des Anciens Hiſtoriens d'Alexandre le Grand. A Paris. 1775. 4.

i. e.

Cenſura Veterum Scriptorum de rebus Alexandri Magni. Pariſiis 1775. 4.

Nulla facile hiſtoriae veteris pars majorem habet vel converſionum copiam, vel conjunctionem cum literarum ſtudiis, quam ea quae res geſtas Alexandri Magni complectitur. Neque enim ſolum Macedonum imperio plurimorum populorum commutatae ſunt res publicae; ſed Graecorum etiam cum Barbaris ſocietate ac commerciis novae utrimque quaſi naturae, novae ingeniorum indoles, nova disciplinarum ſtudia extiterunt. Sed eadem hiſtoriae pars cum mire turbata ſit veterum ſcriptorum disſenſu, operae pretium fecit Ill. Academia Elegantiorum Literarum, quae Pariſiis est, quod doctorum hominum ingenia ad explicationem ejus excitavit. Cumque ex variis variorum de hoc argumento disputationibus, judice ac disceptatrice eadem Academia, victrix fuerit una, quam nos a viro (*) acris judicii & eruditionis minime vulgaris ſcriptam eſſe cognovimus; videmur & nos operae pretium facturi, ſi de ea hoc loco exponamus.

Est

(*) Mr. le Baron de Ste Croix.

Eſt vero hujus diſputationis ratio quadripartita. Primum generatim ſcriptores recenſentur, qui res Alexandri conſcripſerunt: ſecunda parte res bellicae geſtae, tertia res ejus civiles & actiones privatae, quarta ſitus locorum regionumque, quas peragravit, explicantur, ita ut unaquaeque res variis ſcriptorum auctoritatibus expendatur. Sequuntur animadverſiones philologicae, hiſtoricae & geographicae, quibus res multae, conjunctae cum hujus diſputationis argumento, & ſcriptorum loci, notantur atque illuſtrantur. Denique adjicitur diſputatio brevis, de certo tempore, quo Alexander natus eſt. Nos, ſpeciminis cauſa, de prima & ſecunda parte referemus.

Exſtincta a Macedonibus Graecorum libertate, ejus etiam alumna, eloquentia, conticuit. Neque fuit poſtea, vel in aliis generibus, vel in hiſtoria, ſcriptor, qui ad antiquorum ſpiritum ac praeſtantiam ſe extollere poſſet. Itaque, corruptis ſervitute atque adulatione hominum ingeniis, ſcriptores etiam rerum Alexandri, ejus facta exornarunt atque auxerunt, veritatis exiguam habuerunt rationem. Primum Calliſthenes, profectus ex Ariſtotelis diſciplina, Alexandri in expeditione comes, ita ejus hiſtoriam conſcripſit, ut ſe tam veri, quam pulchri, ignarum proderet. Quod vix credibile videatur de philoſopho, niſi graviſſimorum conſtaret teſtimonio auctorum, Polybii & Strabonis. Et hic tamen poſt

ea

ea, cum ex diuturna adulatione liberam vocem emittere auderet, ab Alexandro interfectus est, & ſuo ipſe exemplo docuit, quam turpe ac periculoſum eſſet, philoſophiae munus cum aulae artibus conjungere. Neque major est Oneſicriti laus, qui ipſe quoque Alexandri fuit comes. Hic, cum ejus facta ad imitationem Cyropaediae conſcriberet, fabulas finxit, non vera narravit. Jam Hegeſias Magnes, ſuppar huic aetati, Graecam eloquentiam primus Aſiatico cultu corrupit, & veluti meretricio fuco illevit: in hiſtoria quoque Alexandri, tam rebus, quam verbis, puerilis est atque ineptus. Clitarchus vero, Dinonis Hiſtorici filius, idemque ſocius Alexandri in expeditione, quamquam apud poſteros magnam auctoritatem habuit, tamen oratione fuit argutus atque inflatus, neque in rebus ſanum veri judicium ſecutus est. Praeter hos plures, ſed magis etiam contemnendi, de hoc argumento ſcripſerunt Sophiſtae. Quibus omisſis, auctor eos recenſet, quibus certa auctoritas tribui debet.

Primo loco ponuntur Ptolemaeus, rex Aegypti, & Ariſtobulus, uterque Alexandri in militia ſocius & dux, uterque, mortuo eo, rerum ejus ſcriptor, ut eo longius abſint ab adulatonis ſuſpicione. A qua ſuſpicione Ariſtobulum auctor noſter acute vindicat contra Lucianum, in libello de hiſtoria ſcribenda. Sequuntur alia monumenta, condita Alexandro vivo. Primum Ephemerides ejus, ſeu acta diurna,

 con-

conſcriptae ab Eumene Cardiano & Diodoto Erythraeo. Deinde Itinera exercitus Macedonici, deſcripta juſſu Alexandri, a Diogneto & Betone, itinerum menſoribus. Tum epiſtolae ejus ad amicos, de quarum auctoritate, ut de aliis antiquorum epiſtolis, vere & accurate ſtatuit auctor. Denique provinciarum deſcriptio, facta Alexandri juſſu a peritis geographis, quam deſcriptionem Patrocles, qui, ſub Seleuco Nicanore, Indiae praefuit, ejusque oram claſſe obiit, accepisſe ſe dixerat a Xenocle, gazae regiae praefecto. Multi fuerunt praeterea hiſtorici: veluti, Cephalaeon Gergettius, qui, cum Herodoti exemplo univerſam hiſtoriam novem libris Jonica dialecto complecteretur, nono Alexandri res expoſuit, ita ut ex triginta ſcriptoribus, quod ei verisſimum videretur, judicio eligeret. Fuerunt & alii, & Chares, Anticlides, Philo Thebanus, Hecataeus Eretrienſis, Duris Samius, Nearchus, Timagenes, qui verbo & obiter memorantur.

Sed ſcriptores, de quibus hactenus dictum est, omnes temporum injuria perierunt. Sequuntur ii qui ſuperſunt: quorum partim peculiaribus ſcriptis, partim conjuncte cum aliarum rerum hiſtoria, de Alexandro prodiderunt.

Ex his longe princeps ponitur Arrianus, qui auctores in primis ſecutus est duos, Ptolemaeum & Ariſtobulum, quamquam illum maxime, neque alios neglexit, qui res veras & memorabiles tradidiſſe

ſe viderentur. Laudatur ab accurato judicio, veri amore, ſcientia rei militaris: reprehenditur, quod nonnullis locis Alexandro nimium faviſſe, & in geographicis rebus aliquoties negligens fuiſſe videatur. Quamquam levia haec ſunt, ſi cum aliorum ſcriptorum, in eodem genere, erroribus conferantur.

Secundus Plutarcho tribuitur locus, cujus ad noſtram aetatem pervenerunt Vita Alexandri, & duo libelli de ejusdem virtute & fortuna. Et conſilium quidem in Vitis ſcribendis, quodnam habuerit, ipſe ſignificavit, cum dixit, ſe Vitas, non Hiſtorias, ſcribere; itaque ſe non facta omnia virorum omnesque caſus ſingulatim perſequi, ſed eas vitae partes, actiones, dictaque eorum enarrare, ex quibus cujusque vera animi ingeniique indoles cognoſcatur. Reliqui vero duo de Alexandro libelli, nobis quidem a Plutarcho, vel puero, vel adoleſcente, declamationis cauſa compoſiti eſſe videntur.

Tertio loco ponitur Diodorus Siculus, qui, operis ſui libro ſeptimo decimo, res Alexandri complexus eſt. Hic Clitarchum in primis auctorem ſequi videtur: in ejus etiam libri priore parte, qua tempus ante Arbelenſem pugnam continetur, plus eſt diligentiae, quam in poſteriore parte. Ceterum Diodorus multis partibus acerbiore iniquioreque cenſura notatur a noſtro auctore.

Sequitur ex Romanis Q. Curtius, cujus res atque aetatem ignorant omnes. Quamquam bona eum literarum aetate vixisſe, cum ſtilus ejus indicet, tum quod Ptolemaei hiſtoria, quam aliquoties laudat, ſuperſtes fuisſe videatur. Vitia ejus, dudum á viris doctis animadverſa, recenſentur. Ignorantia negligentiaque in temporum ratione locorumque ſitu, ſilentium de multis magnisque factis, contra ſtudium & loquacitas in rebus vel incredibilibus vel aptis ad orationis ornatum. Veriſimile etiam videtur, Curtium hiſtoriam non ex Diodoro, quod Freinshemius volebat, ſed ex Clitarcho hauſisſe; quod is ſcriptor Romanorum ſtudiis frequentatus fuisſe videatur. Huic ſubjungitur Juſtinus, qui Trogi magnum opus in compendium redegit. In eo notatur negligentia in ſingulis factis & in univerſorum diſpoſitione, ut auctoritate ſupra memoratis ſcriptoribus cedere debeat.

Jam qui horum aetatem ſecuti ſunt ſcriptores, minus etiam laudis habent. Syncellus & Cedrenus ſeculares commiſerunt errores. Plerique eccleſiae patres, Athenagoras, Auguſtinus, Cyprianus, & duo Alexandrini, Clemens ac Cyrillus, in iis quae de Alexandro commemorant, parum ſuam ſcientiam nobis probant. Diligentior eſt Euſebius Caeſareenſis, quamquam & ipſe ſubinde in locis temporibusque turbet. Oroſius ex Juſtino librum ſuum compilavit, Zonaras ex Diodoro; ut quanta eorum ſit

aucto-

auctoritas, facile exiſtimari poſſit. Denique, qui nobis innotuerunt, Orientales ſcriptores, magis etiam a veritate aberrant, & in alia omnia diſcedunt, veluti Eldriſius, Abulpharagius, Patrikius. Sequitur, ut de ſecunda parte diſputationis referamus, qua res bello geſtae continentur.

Alexander, mortuo Philippo, rerum potitus eſt Ol. CXI. Ann. 1, Archonte Pythodemo, non Euaeneto, ut Diodorus perhibet. Primae ejus bellicae expeditiones nobilitatae ſunt victoriis de Triballis, Thracibus, Getis, Autariatis, Taulanteis & Agrianibus, qui ad famam de Philippi morte, Macedonicum jugum excutere conabantur. Hanc primam militiam breviter narrant & univerſe Diodorus & Plutarchus; diligentius peculiariusque Arrianus. Quod vero prodit Juſtinus, Alexandrum ex victis regibus, quorum vel ingenium vel auctoritatem timeret, ſecum captivos abduxiſſe, aliorum ſilentio refellitur. Sed Graeci quoque, mortuo Philippo, defectionem moliebantur. Quorum omnium motus Alexander Thebarum excidio compeſcuit. Polyaenus quidem Thebas belli dolo captas eſſe prodit: ſed eſt haec ejus ſcriptoris conſuetudo, ut omnia bellica facta ad ſtratagematum rationem velit revocare. Major eſt auctoritas Ptolemaei, quem ſecutus refert Arrianus, Macedones Thebanorum eruptionem repulſſe, ſimulque cum iis fugientibus in urbem pervaſiſſe. In numero captorum caeterorum-

que & praedae magnitudine diſſentiunt auctores. Neque major eſt inter eos conſenſus de Athenienſium ad Alexandrum legationibus, paciſque cum eo conditionibus. Hoc certum eſt, Athenienſes neque duces ſuos, neque oratores, ſeu demagogos, Alexandro poſtulanti tradidiſſe, ſed Thebanos quoque perfugientes benigne recepiſſe, ejuſque calamitatis cauſſa publice luctum egiſſe. Alexander Thebarum *caſu* Graeciam ſatis pacatam ratus, cogitationem ab Athenarum oppugnatione ad Perſicum bellum convertit. Quod quidem ut ſuſciperet, non tantum imperii gloriaeque cupiditate incitabatur, ſed patris etiam Philippi exemplo, qui idem conſilium agitaverat, ac ſatis certo judicio de eventu felici ejus belli. Nulla fides habenda eſt Juſtino, qui unus prodit, Alexandrum, antequam ad Perſicum bellum proficiſceretur, novercam ejusque liberos interfeciſſe. Omnino, ante devictos Perſas, humanitas in ejus omnibus factis inerat. Copias trajecit Helleſpontum eodem anno, quo Thebas expugnavit. Ut in certo trajectionis tempore, ita in numero copiarum, auctores diſſentiunt. Perſis praeerat Memnon Rhodius, excellens uſu ſcientiaque militari vir, ejusque conſilio ad Granicum fluvium conſtiterant, ut ab ejus tranſitu Alexandrum arcerent. Eos Arrianus viginti mille pedites & totidem equites mille fuiſſe, ait: alii numerum augent: Juſtinus quidem prorſus a veritate aberrat, cum ſexcena millia armatorum ponit.

Ale-

Alexander amnem pervadit, hoſtiumque aciem perfringit ac fugat. Caeſorum utrimque numerus ultra fidem & extenuatur & augetur ab hiſtoricis. Ariſtobulus adeo ex Macedonibus triginta pedites & ſeptuaginta equites cecidiſſe prodit: quod vix credibile est, cum pro Perſici ducis ſcientia, tum pro ejusdem exercitus robore, tum pro loci natura. Inde Jonia Cariaque recepta, Halicarnaſſum, quam Memnon ipſe tuebatur, expugnat, & Climacis montis radices, quas mare Pamphylium inundabat, audaci itinere trajicit. Utrumque factum bene & prudenter exponitur ab Arriano. Plerique alii hiſtorici Climacis trajectionem ad miraculum extulerunt : quos quidem ſecutus Joſephus haud dubitavit, Iſraelitarum per mare Rubrum iter ad ſimilem rationem exigere, eique ex Alexandri itinere fidem conciliare. Deinceps Phrygiam, non etiam, ut Curtius refert, Paphlagoniam, ingresſus, has regiones, ſimul & Cappadociam, in fidem recepit. Tum in Ciliciam deſcendit, quam, adventu ejus, reliquit Arſames, Darii praefectus, non quidem, ut Curtio placuit, incenſa prius Tarſo vaſtatisque agris. Mox Dario advenienti obviam it, eumque ad Iſſum vincit. Arrianus ſcienter accurateque hanc pugnam enarrat. Chares quidem prodidit, Alexandrum ſingulari certamine cum Dario ipſo pugnaſſe, ab eoque vulneratum fuiſſe. Quod falſum eſſe, recte judicat Plutarchus, cum ipſe Alexander nullam

ejus

ejus rei mentionem fecerit in epiſtola, quam de hac pugna ad Antipatrum ſcripſit. Calliſthenes, judice Polybio, ita Macedonicam aciem deſcripſit, ut ſe rei militaris plane rudem proderet. Ex Macedonum exercitu circiter trecenos milites cecidiſſe, in quo fere conſentiunt Diodorus, Juſtinus & Curtius, vix credibile est. Sed Arrianus cum dicat, ex ſola phalange centum & viginti primi ordinis milites caeſos esſe, facile est ad exiſtimandum, ex reliquis multo plures periisſe. Perſarum ſexcena millia fuisſe, conſentiunt ſcriptores: ſed quamquam in hoc quoque conſentiant, caeſa ex iis esſe peditum centum millia, equitum decem millia, vix fides iis haberi potest. Hujus victoriae terrore perculſae finitimae gentes Alexandro ſe dediderunt: una Tyrus eum recipere noluit. Ejus obſidionem Arrianus & Curtius, ſuo uterque more, narrant: ille vere ac prudenter, hic inepte ac pueriliter. Captivorum etiam duo millia, Alexandri jusſu, circum oram maris in cruces fuisſe ſublata, in quo Curtius haud disſentientem habet Diodorum, cum aliorum, tum Arriani ſilentio refellitur. Nec Polyaenus audiendus est, qui Tyrum dolo captam prodidit. Inde Gazam contendit: unus ex hiſtoricis Joſephus eum a recto itinere Hieroſolymam divertit, ne ſcilicet ejus patria nullo in numero ab Alexandro habita esſe videretur. Fabula tamen Judaica apud haud paucos homines fidem invenit. Gaza oppugnatur, quam tuebatur Betis,

homo

homo ſtrenuus. Hic Curtius iterum tragoedias excitat: primum, Alexandrum in ſingulare certamen cum Arabe milite educit; deinde captum Betim dirum in modum ab Alexandro excarnificari facit, qui ſcilicet, Achillis imitatione, hoſtium ducem, alligatum currui, admiſſis equis circum muros Gazae raptaſſet. Sed, reliquis tacentibus, quae poteſt eſſe Curtii auctoritas? Verumtamen unde nata eſt haec fabula? Nimirum ex Hegeſiae cerebro, cujus de hac re fragmentum in exemplum ineptae orationis propoſuit Dionyſius Hal., in libro de ſtructura orationis. Tum Aegyptum occupat, &, jactis Alexandriae fundamentis, ad Ammonis Oraculum contendit. De utriusque loci ſitu ac natura, & de itineris hujus ratione, docte & prudenter diſputatur. Inde redux Alexander contra Darium proficiſcitur, qui, ut pleriique omnes tradunt ſcriptores, cum centum myriadibus armatorum appropinquabat: neque abhorret ille numerus a veriſimilitudine. Alexander, trajecto Euphrate, necquicquam adverſante Mazaeo, Perſici equitatus duce, venit Gaugamelam, quae erat vicus proximus urbi Arbelae, quo in loco Darius caſtra poſuerat. Confligitur: Perſae funduntur. Curtius, qui in hujus pugnae enarratione argute ineptit, ſibique ipſe repugnat, in numero tamen caeſorum, quem quadraginta millium ponit, proximus eſt veritati: contra Macedonum numerus & ab illo, & a reliquis ſcriptoribus, ultra fidem minuitur. Ipſe adeo Arrianus Perſarum triginta myriades, Macedonum

centum

centum milites cum mille equis, periiſſe ait. Mox, Babylone Suſisque potitus, Perſepolin contendit. Duae res, quae hoc loco ab hiſtoricis nonnullis memorantur, ut falſae ſunt repudiandae. Altera est, ille Macedonum captivorum, & a Dario mutilatorum, adventus. Altera, ipſius Perſepolis incendium. Paulo post Darius interficitur a Beſſo, nono menſe post pugnam Arbelenſem. De ejus morte Curtius magis ad commiſerationem, quam ad veritatem, ſcripſiſſe videtur; cum aliis in rebus, tum quod eum animo finxit clementi & humano, in quo ab eo disſentit & Orientalium a majoribus accepta opinio, & aliorum ſcriptorum auctoritas. Sequuntur reliquae Alexandri expeditiones, de quibus auctor hujus disputationis accurate exponit, ita ut quamque rem variis ſcriptorum teſtimoniis ponderet atque explicet. Denique ſubjungitur huic parti peculiaris disputatiuncula, qua Alexandri itineribus, contra plerorumque dubitationes, fides vindicatur.

Atque haec quidem ſumma est duarum priorum partium. Neque vero minor est in ſequentibus doctrinae diligentia atque ſuavitas. Omnino haud vulgares habet liber hicce laudes, cum ab judicio acri ac limato, tum a ſcientia Chronologiae atque Geographiae, tum ab eloquentia profecta ex animo generoſo atque honeſtatis ſenſu. Huc quoque accedit, ut auctor ipſe de rebus bellicis judicare potuerit, quod ejus vita atque ſtudia cum rei militaris uſu conjuncta fuisſent.

BIBLIOTHECA

CRITICA.

PARS TERTIA.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,
Apud PETRUM DEN HENGST,
MDCCLXXVIII.

BIBLIOTHECAE CRITICAE PARS TERTIA.

I.

M. T. CICERONIS *Opera omnia ex recenſione Jo. Aug. Erneſti, cum ejusdem Notis & Clavi Ciceroniana. Voll. V.* 8. *maj. Halis Sax.* 1774.

Volumen Quartum, quo Libri Philoſophici continentur.

Tertia haec de Cicerone disputatio in libris ejus philoſophicis verſabitur, eademque finem faciet cenſurarum editionis Ernestinae. Nam Epiſtolae multis multorum & editionibus frequentatae & animadverſionibus illuſtratae, non magnopere diligentiam noſtram deſiderant. Librorum Philoſophicorum nondum ſatis vel oratio emendata est a Criticis, vel utilitas ac praeſtantia perſpecta a doctrinarum ſtudioſis. Quare, cum provinciae, quam ſuſcepimus, ratio, tum ipſa humanitas, a nobis exigere videtur, ut, quoad ejus a nobis

fieri poteſt, de hac doctrinae parte bene mereri ſtudeamus.

Et vero, gravis error plerorumque animos occupavit, qui & ipſi crederent, & aliis etiam perſuadere conarentur, in Ciceronis de Philoſophia libris, orationis tantum ineſſe ſuavitatem, rerum ac rationis praeſtantiam exiguam; eorum igitur lectionem haud inutilem eſſe iis, qui verborum ornatum conſectarentur, non item iis, qui ipſarum rerum certam ſcientiam quaererent. Neque etiam iſtorum unum eſt ac ſimplex genus vituperatorum. Ac primum quidem ſunt homines nimium acuti, qui putent, ſubtiliter accurateque diſputari non poſſe, niſi orationis adſit ſiccitas ac jejunitas. Atqui Cicero in Rhetoricis libris de oratoria *facultate* tam accurate, quam eloquenter, diſſeruit. In Orationibus, ejus ipſius artis ſummum & perfectum opus effecit. In Epiſtolis, eandem facultatem ad varia vitae negotia conſiliaque accommodavit. Igitur in his quidem generibus, orationis elegantia non obfuit rerum bonitati, in Philoſophia obfuit? Et unius Philoſophiae tam iniquum eſt fatum, ut, niſi inculte horrideque, bene explicari non poſſit? Videte, o boni, ne ipſi parum acute agatis; qui, cum nullum a natura habeatis pulcri ſenſum, & idcirco ut quidque elegantiſſime ſcriptum eſt, ita minime intelligatis, de reliquis tamen hominibus ex veſtra imperitia judicatis!

Sunt

Sunt quoque, quibus videatur horum librorum laus magnopere imminui, quod fere ex Graecis fontibus ducti ſint. Quibus quidem facillime occurritur. Neque enim Cicero Graecorum libros ad verbum Latine vertit, ſed ſuam iis rationem, ſuum judicium ac lumen adhibuit. Verum fac, eum nil aliud quam Graeca Latine vertisſe. Quis idcirco paulo humanior ejus de Philoſophia libros minus probet atque miretur? Nunc, in tanto veterum naufragio, eo magis a nobis legendi, diſcendi, & in primariis veteris Philoſophiae monumentis colendi ſunt.

Aliud est genus eorum, qui ajunt, Ciceronem mediocriter Philoſophiae peritum fuiſſe: ſive quod leviter, & quantum ſatis esſet ad oratoris officium, eam attigisſet: ſive, quod ea apud antiquos Philoſophiae fuisſet conditio, quae cum eo, qui nunc est, ſplendore vix comparari posſit. Magnae hic disputationis aperitur campus, de veteris hodiernaeque Philoſophiae comparatione. Quae cum ſit res una omnium difficillima ad dijudicandum, tamen fere ut quisque est rudior ab antiquitatis uſu, ita de ea ſtatuit audacius. Nos quominus in eam disputationem digrediamur, inſtituti noſtri finibus prohibemur. De ea quidem Philoſophiae parte, in qua Cicero verſatus est, hoc & affirmamus & contendimus, eam ita cum ab ipſo Cicerone, tum ab aliis antiquis explicitam eſſe, ut nec copia atque

ubertate, nec principiorum conſtantia ac veritate, nec rationis acumine, diligentia, ſubtilitate, recentior aetas melius quidquam tulerit.

Jam qui putant Ciceronem ipſam Philoſophiam non ſatis percepisſe, ſed veluti eloquentiae inſtrumentum asſumſisſe, hi nec eloquentiae vim intelligunt, & Ciceronis ingenium ſuae ipſi mentis anguſtiis metiuntur. Noſtrae haec est aetatis conſuetudo, qua juvenes, qui ſe oratores aliquando profiteri volunt, ſi qui alias etiam eloquentiae adjutrices disciplinas adhibendas ſibi judicant, eas fere currendo guſtant, ne earum peritiores fiant quam par ſit, & a propoſito fine retardentur. Qua quidem feſtinatione illud egregie asſequuntur, ne juſto fiant doctiores: ſed praeterea orationis quoque genus contrahunt, tam verbis exſangue, quam rebus jejunum. Verum quis tandem haud prorſus ab antiquitatis ſcientia rudis, aut Ciceronis ingenium ad iſtorum hominum modulum exigere, aut omnino hodiernam eloquentiam cum veteri conferre audeat? Cicero, ut de reliquis ejus doctrinarum ſtudiis nil dicamus, in una profecto Philoſophia tantum operae temporisque collocavit, quantum vix ii, qui hoc unum agunt, ut Philoſophi dicantur atque habeantur. Ac ne forte hoc a nobis temere dictum videatur, exponemus veluti in tabula hanc partem vitae ſtudiorumque Ciceronis. Eritque ea res tam utilis ſuavisque ad cognoſcen-

gnoſcendum, quam conjuncta cum noſtro conſilio.

Igitur, cum puer esſet, Phaedrum audivit Epicureum, eumque valde ut philoſophum probavit: (Ep. Div. XIII. 1.) Poſtea vero, annum agens undevigeſimum, majori quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus, totum ſe tradidit Philoni, quartae Academiae principi; qui, Mithridatico bello, domo profugus cum Athenienſium optimatibus Romam venerat. Sequebatur illa Academia philoſophandi genus maxime elegans minimeque arrogans: quippe quae de omnibus rebus in utramque partem disputabat, pauca vera, multa veriſimilia esſe dicebat, ubique exquirebat quid verum aut veriſimile esſet, nil tamen ipſa ſtatuebat, ſed animum ab asſenſionis temeritate cohibebat. Atque ex hac disciplina, duplicem fructum percepit Cicero. Alterum, quod exercebatur atque acuebatur ad perſpiciendas varias veri falſique ſpecies, easque adhibendas accommodandasque ad animorum moderationem multiplicesque motus; unde ipſe fatetur, ſe oratorem extitisſe non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatiis. Alterum, quod ſuscepta hac de omnibus contra omnes disputatione, neceſſe erat reliquarum etiam ſectarum placita rationemque cognoſcere, omnesque adeo res mentis cogitatione complecti. Quod quamquam difficilius videatur, quam pro humani ingenii modo,

tamen ita Cicero perfecit, ut non ſatis haberet, res, contra quas Philo diſſerebat, ex ejusdem disputationibus cognoviſſe, ſed ex ipſis fontibus peteret, ac ſingulas Philoſophiae ſectas ipſe adiret, earumque excellentisſimis doctoribus uteretur. Itaque Diodotum Stoicae rationis magiſtrum adhibuit, eruditisſimum hominem, a quo per triennium in variis doctrinis erudiebatur, & in Dialectica in primis diligenter exercebatur. Nam & Stoicam disputandi rationem ſibi addiſcendam judicabat Cicero, quae breviter concludebat, & veluti adſtricta contractaque erat; cum contra Academica latior & in omnes partes fuſa eſſet. Ac per idem tempus in foro verſatus, duas dixerat cauſſas, quibus nihil quidquam ad ſummam eloquentiae laudem deeſſe videretur, quum conſilium cepit in Graeciam proficiscendi. Et primum Athenis per ſex menſes Antiocho dedit operam, qui a Philone magiſtro disſentiens, quintam condiderat Academiam, quum ſe, ut quidem ipſe ajebat, ad veterem Academiam Xenocratis ac Speuſippi retulisſet, revera cum Stoicis ita rediisſet in concordiam, ut, ſi perpauca mutasſet, germanus Stoicus fuisſet. Inde, peragrata Aſia, Rhodum veniens, Molone dicendi magiſtro uſus eſt, & ſimul Poſidonium principem ejus aetatis Stoicorum diligenter audivit. Ita duobus annis in Graecia transactis, domum rediit, cum confirmatus corpore ad dicen-

di

di laborem, tum egregie locupletatus Philoſophiae ſcientia; eaque ingenii bona ita explicare atque in civium utilitatem conferre inſtituit, ut ipſe ſibi forenſi opera cauſſisque dicundis iter faceret ad ſummos in republica honores. Jam vero in hac tam occupata vita, Philoſophiae ſtudium aut abjecit, aut intermiſit? Ille vero non modo intermiſit, ſed auxit etiam quotidie, cum commentatione, tum ſummorum philoſophorum familiaritatibus, quibus ſemper ejus domus floruit. Itaque ſi ex ejus ſcriptis nil praeter orationes ad nos pervenisſet, vel hae ipſae ex philoſophi ingenio ſe profectas probarent, cum rebus ac ſententiis, tum ratione ac via. Nunc & Rhetorici ſunt libri, quibus eloquentiae praecepta ex intimis Philoſophiae ducta ſunt fontibus. Sunt de ipſa Philoſophia libri multi, admirabili ſuavitate, ſubtilitate, ubertate. Nam cum, auctore Socrate, Philoſophiae ſtudium ad mores ac vitae actionem referret, ſcripſit primum eo tempore, quo reipublicae gubernacula tenebat, ſex libros de Republica: Platonis quidem exemplo: neque tamen ita eam informavit, ut in re ac natura exiſtere non posſet, ſed ut explicita humanae ſocietatis origine atque indole, optimam civitatis formam effingeret, eamque in exemplum proponeret, ad quod Romana respublica revocaretur atque emendaretur. Poſtea, cum Ciliciam obtinuisſet provinciam, bis iterum Athenis fuit, & proficis-

cens & redux, & vetera ſtudia renovavit. Neque multo post, ejusdem Platonis imitatione, libros de Legibus ſcripſit: eamque diſciplinam ex Juris civilis & formularum anguſtiis, quibus hucusque conſtricta tenebatur, vindicavit, ſuamque ei dignitatem reſtituit, cum eam a Divina natura repeteret, legesque inde duceret, quas ad optimum, quem in libris de Republica exquiſiverat, *civitatis* ſtatum accommodaret. Quod utrumque opus niſi temporum injuria nobis invidisſet, haberemus profecto, quo contenti, multa hodiernorum in hoc genere compendia ac ſyſtemata facile contemneremus. Nunc libri de Republica ad unum omnes interciderunt: & ex quinque de Legibus tres tantum, neque ii integri, ad nos pervenerunt. Ceterum, ut argumentum hoc cum prudentia civili proxime conjunctum erat, ita Cicero alias, easque interiores, Philoſophiae partes explicuit, poſteaquam ſe a reipublicae adminiſtratione removisſet. Nam cum omnium rerum poteſtas ad unum Caeſarem rediisſet, Cicero ita ſe gesſit, ut *tam humanitatis*, quam gravitatis, rationem haberet: & a reipublicae quidem procuratione & causſarum patrocinio receſſit, ne fortunam alterius admirari adularique cogeretur: neque tamen ſe abdidit afflixitque, ut multi faciebant, ſed, veluti ex tempeſtate in portum, ita ſe ad literas ſuas recepit, Philoſophiamque primus Latinae orationis luce il-

luſtrare

luſtrare inſtituit. Igitur ad ipſam Philoſophiam primum cives hortatus eſt Hortenſio, deperdito libro. Tum philoſophandi genus Philonis, quod maxime probabat, commendavit libris Academicis. Horum primum duos ſcripſerat, Catulum & Lucullum, quorum uterque huic disputationi interfuerat. Poſtea eandem disciplinam copioſius uberiusque explicuit quatuor libris ad Varronem. Sed ex priore editione ſuperest Lucullus, periit Catulus: poſterioris quatuor libros omnes intercepit vetuſtas, excepta primi libri particula. Cumque totam fere Philoſophiam, Socratis exemplo, ad vitam moresque referret, ejusque disciplinae ratio accurate explicari nequeat, niſi conſtet a quibus initiis voluntatis naturaeque motus proficiscatur., ad quemque finem tendat; locum hunc accurate & ſubtiliter pertractavit quinque libris de Finibus Bonorum & Malorum. Primo Torquatus exponit Epicuri ſententiam; ſecundo eam refellit Cicero: tertio Stoicam rationem explicat Cato: quarto eandem refellit Cicero: quinto Academicorum veterum ac Peripateticorum doctrinam aperit Piſo, ita quidem, ut facile appareat, eam ipſi Ciceroni maxime probatam fuisſe. Sed cum ad beatam vitam non ſatis ſit fines bonorum ac malorum perſpicere: ſed animus etiam cum inflammandus ſit ad virtutis ſtudium, tum confirmandus contra multas variasque vitae calamitates; huic loco ſatisfactum est quinque li-

 bris

bris Tusculanarum Diſputationum, quibus res a beate vivendum maxime neceſſariae accurate c pioſeque pertractantur. Nam primus est de mo tis contemtu, qui ducitur cum ex rerum humana rum perſpicientia ac deſpicientia, tum ex cert judicio de animorum immortalitate ac gubernatio ne divina; ſecundus est de tolerando dolore: *ter*tius de aegritudine lenienda; quartus de *reliquis* animi perturbationibus; quintus unum totius Philoſophiae graviſſimum caput continet, cum docet, ad bene beateque vivendum virtutem ſe ipſa eſſe contentam. Ceterum, ut multis partibus Philoſophia moralis a Phyſiologia, ſeu, doctrina de rerum natura pendet, ita haud parum refert quid de Divina natura ſentiamus, quamque ei vim tribuamus. Igitur haec etiam quaeſtio explicita est, tribus libris de Natura Deorum, ita quidem, ut de ea neque ex populari opinione, neque ex certae alicujus ſectae decretis ſtatueretur, ſed Academicorum more disputaretur. Primo enim libro Epicuri opinio exponitur a Vellejo, ac *refutatur* a Cotta; ſecundo Stoicorum ſententia explicatur a Balbo; eademque tertio libro reprehenditur a Cotta. Jam cum Cicero ſub Cottae perſona latere videatur, isque non quid ipſe ſentiret prodiderit, ſed aliorum ſententias reprehenderit, fuerunt, qui ipſum Ciceronem de Divina natura nil certi ſenſiſſe, ſed fluctuaſſe, dicerent. Minime illi qui-

dem

dem mali homines, ſed parum acuti, neque gnari Ciceronianae Academicaeque conſuetudinis. Tertiae Academiae principes Arceſilas & Carneades ſtatuebant, nil in ſenſibus ineſſe veritatis, nil ab hominibus ſciri poſſe, dubitabant de omnibus, & contra omnia disputabant. Sed ex iſta dubitatione Philo haud parum remittebat, neque tantum contra omnia diſputabat, ſed, Ariſtotelis & Peripateticorum more, de omnibus rebus in utramque partem diſſerebat. Itaque recte ſuum ipſe morem Cicero vindicavit contra iſtos reprehenſores, cum multis aliis locis praeſertim Academicorum librorum, tum diſerte etiam in iis de Officiis (II, 2.): „Occurritur autem nobis" inquit „& quidem a doctis & eruditis, quaerentibus, ſatisne conſtanter facere videamur, qui, cum percipi nil poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore praecepta officii perſequamur. Quibus vellem ſatis cognita esſet noſtra ſententia. Non enim ſumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat umquam quod ſequatur. Quae enim esſet iſta mens, vel quae vita potius, non modo disputandi, ſed vivendi ratione ſublata? Nos autem, ut ceteri alia certa, alia incerta esſe dicunt, ſic ab his disſentientes, alia probabilia, contra, alia non probabilia, esſe dicimus. Quid eſt igitur quod me impediat, ea quae mihi probabilia videantur, ſequi: quae contra, improbare:

atque

atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quae a ſapientia disſidet plurimum? Contra autem omnia diſputatur a noſtris, quod hoc ipſum probabile elucere non posſit, niſi ex utraque parte cauſſarum esſet facta contentio." Sed, ut revertamur unde digresſi eramus: Epicurei Deum verbis relinquebant, re tollebant, cum eum a mundi procuratione removerent, & ad humanam imbecillitatem conformarent. Stoici contra, & esſe Deum, & res humanas curare, acerrime contendebant: ſed conquiſitis omni opera, multis etiam levibus & e longinquo arcesſitis rationibus pugnabant, ut & rem obſcurare magis quam illuſtrare, & ſuae ipſi cauſſae diffidere viderentur. Quare Cicero ita contrarias Stoicorum Epicureorumque ſententias reprehendit, ut ſe neutri addiceret, ſed propius tamen ad Stoicam accederet. Quod cum aliunde conſtat, tum quod ipſe in fine tertii libri teſtatur, ita ſe ex hoc colloquio discesſisſe, ut Vellejo Cottae diſputatio verior, ſibi Balbi ſententia ad veritatis ſimilitudinem propenſior videretur; tum quod aliis locis, ubi ipſe ex ſua perſona diſputat Cicero, veluti in Legibus & Tuſculanis, virtutis & juſtitiae rationes ex certo de Divina natura judicio, Stoicorum more, repetuntur. Secuti ſunt duo libri de Divinatione, ſeu ea pars Providentiae, quae in portendendis humano generi rebus futuris verſatur. Hujus in primo libro patro-

trocinium ſuſcipit Quintus frater, eamque ex Stoicorum ſententia acerrime defendit ac tuetur: ſecundo contra ipſe Cicero eam certisſimis rationibus evertit. Atque hujus disputationis operae pretium est concluſionem cognoscere, ut intelligatur, Ciceronem in aliorum refutandis opinionibus id unum egisſe, ut ex hominum mentibus errorem ac ſuperſtitionem ejiceret. „Explodatur" inquit „haec quoque ſomniorum divinatio pariter cum ceteris. Nam, ut vere loquamur, ſuperſtitio fuſa per gentes, oppresſit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. Quod & in iis libris dictum est, qui ſunt de natura Deorum: & hac disputatione id maxime egimus. Multum enim & nobis ipſis, & noſtris profuturi videbamur, ſi eam funditus ſuſtulisſemus. Nec vero, id enim diligenter intelligi volo, ſuperſtitione tollenda religio tollitur. Nam & majorum inſtituta tueri, ſacris caerimoniisque tuendis, ſapientis est: & esſe praeſtantem aliquam aeternamque naturam, & eam ſuſpiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum coeleſtium cogit confiteri. Quamobrem ut religio propaganda etiam est, quae est conjuncta cum cognitione naturae: ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes ejiciendae. Inſtat enim & urget, & quo te cumque verteris perſequitur; ſive tu vatem, ſive tu omen audieris; ſive immolaris, ſive avem adſpexeris; ſi Chaldaeum,

daeum, ſi haruſpicem videris; ſi fulſerit, ſi t nuerit, ſi tactum aliquid erit de coelo; ſi oſte ſimile natum factumve quippiam; quorum neces eſt plerumque aliquid eveniat: ut numquam lice quieta mente conſiſtere: cet." Reſtabat terti Phyſiologiae locus, qui conjunctus eſſet cum m rum doctrina, de Fato. Hoc enim ſi eſt ullum nilque relinquitur noſtrae poteſtati; nec laudi ne vituperio, nec praemiis nec poenis locus ſit. Igi tur haec etiam pertractata eſt quaeſtio duobus, u videtur, libris; ex quibus nil niſi alterius partic lam ſervavit fortuna. Sunt praeter hos alii extr mis temporibus a Cicerone ſcripti libri: tres a Atticum, de Amicitia, de Senectute, & deperditu de Gloria: Paradoxa, quibus Stoicorum placita, quae ab hominum communi ſenſu abhorrerent, vin dicavit: denique ſuaviſſimi accuratiſſimique libri de Officiis, quorum duos priores a Stoico Pan tio ſumſit, tertium ſuo ipſe exprompſit ingenio

Satisne videmur ſummam & conſilium Ciceronian Philoſophiae oſtendiſſe? Quid ſi ſingulorum etia librorum vim ac rationem deſcriberemus? Nu quidem ſimus contenti hac univerſa diſputation qua nos illud effeciſſe ſperamus, ut literarum ama tes intelligant, nos operam noſtram in re minin levi & contemnenda poſuiſſe, ſi aliquid ipſi co tulerimus ad hos libros nonnullis locis melius in telligendos. Et quam ſuperioribus cenſuris ratio

nes

nem tenuimus, eam hac quoque tenebimus. Neque enim per univerſos libros philoſophicos temere vagabimur, ſed quosdam, in quibus praecipue verſemur, eligemus. Qui quidem erunt de Officiis, & de Natura Deorum.

Atque hoc loco non posſumus ſilentio praeterire, qui nos error diu tenuerit: ſi forte noſtrum exemplum aliis prodesſe queat. Ex Ciceronianis libris omnium primi a nobis lecti ſunt illi, qui ſunt de Officiis: conſuetudine tam perverſa, quam pervulgata. Eramus tum pueri: id est, ea aetate, qua horum librorum vim ac praeſtantiam minime perciperemus, verba verbis redderemus; nec hoc quidem ſine ſummo taedio, quod res ipſas non intelligebamus. Itaque factum est poſtea, ut quo plus ſuavitatis capreemus legendis Poetis & Hiſtoricis, qui ſine dubio magis accommodati ſunt puerili ingenio, eo minus jucunda nobis accideret recordatio librorum de Officiis. Tum contemtus etiam oriebatur reliquorum omnium Ciceronianorum de Philoſophia librorum: qui quidem in dies augebatur hominum judiciis, quorum apud nos multum valebat auctoritas. Huc accedebant decreta Doctorum atque Profesſorum, qui ex cathedra ſaepius Ciceronem ridebant, exagitabant, condemnabant. Hi ſcilicet omnia demonſtrabant, ut quidem ſibi & diſcipulis videbantur: Cicero & veteres hanc egregiam demonſtrandi artem non noverant,

verant, tantum declamaverant. Coepimus tum nobis perſuadere, nullo alio conſilio Ciceronem nobis pueris in manus datum fuisſe, quam ut Latine disceremus. Quamquam non recordabamur nos ejus lectione quidquam ad Latinae orationis facultatem profecisſe. Nec mirum: verba ſine rebus tradita memoriae effluxerant. Veruntamen, dicebamus, alii ſunt a Cicerone de Philoſophia ſcripti libri, praeter illos de Officiis: ſunt Academici, Tusculani, & de Finibus Bonorum & Malorum. Haec nomina quid ſonarent, quidque ſibi vellent, ne ſuspicabamur quidem. Sed ecce! est etiam de Natura Deorum. Erit hic ſine dubio compendium vel ſyſtema Theologiae Naturalis? Age legamus! Exordium elegans & grave: *ſed tamen* certa principia, axiomata & definitiones mallemus. Pergamus! Vellejus Epicuri ſententiam explicat: refellit eam Cotta. In haccine refutanda opinione totus liber conſumendus erat, quam quilibet unus ex noſtris philoſophis uno ictu *profligeat*? Videamus ſecundum librum. Balbus Divinam esse Naturam demonſtrat. Demonſtrat? Imo vero vult, nec potest! Neque enim est argumentum a priori, neque etiam argumentum a poſteriori ſe nobis offert. Itaque hunc librum non totum perlegamus; nam, quod inter nos dicere liceat, difficilis est ad intelligendum. Accedamus ad tertium! Quid? Cotta disputationem Balbi reprehendit, dicit quid

ei in ea placeat, quid diſpliceat. Ciceroni Balbi ſententia veriſimilior videtur. Ubi Mathematica methodus? Noſtri quidem philoſophi primum axioma ponunt, tum definitionem, deinde poſtulatum, tum theorema, denique addunt demonſtrationem. Ergo abjiciebamus tum Ciceronem, cum obcaecati hac evidentiae Mathematicae opinione, tum rudes a linguae cognitione & ab Academicae rationis uſu. Omnino ſaepius hoc poſtea cognovimus, hominibus etiam acutis atque haud indoctis, ſed adſuetis ſcholaſticorum compendiorum jejunitati, elegantem illam, quam Cicero ſequitur, Socraticorum colloquiorum rationem placere non poſſe. Ceterum haec tantopere laudata & ab hodiernis in Metaphyſicam inducta vis Mathematicae rationis neſcio quomodo paulatim apud nos evaneſcebat, & minus minusque ſenſum noſtrum percutiebat: illam invictam cogendi vim non amplius ſentiebamus: aliud ſemper requirebamus. At hoc quid tandem rei eſt? In Mathematicis quidem poſt demonſtrationem nullum amplius ſubnaſcitur dubium: in Metaphyſicis non item. Tum denique excusſimus hanc fallaciam, cognovimusque hanc demonſtrationem ludibrium eſſe ac larvam, nec magis pro Mathematica evidentia habendam, quam in theatris pro vero Hercule habemus hiſtrionem parvo & exili corpore, quamvis ſe in leonina pelle & clava jactet. Poſtea factum

eſt, ut in Xenophontem ac Platonem incideremus quorum ſcriptis egregia illa & divina prorſus Socratica ratio conſignata eſt. Hanc deprehendimus pauca quidem affirmare; ſed, quae ſemel affirmaſſet, eo certius tenere: omnino eam unam veriſſimamque diſciplinam eſſe Philoſophiae, maximeque accommodatam humano ingenio: quippe quae veri indagationem a ſimpliciſſimis minimeque dubiis naturae initiis duceret, & nos ipſos nobis cognoscendos daret, cuilibet ſententiae ſuum pretium ſtatueret, ac philoſophantes erroribus & purgaret, & ab iis tutos praeſtaret. Itaque hujus rationis veritate ſubtilitateque capti, cum Cicerone in gratiam rediimus. At quam diverſus, & longe alius atque antea, tum nobis videbatur. Omnia non tantum ſuaviter, ſed caute, accurate, & utiliter eum ſcripſiſſe intelligebamus. *Sed tamen* illa praejudicata de Officiorum libris opinio, ut tenerrima aetate ſuſcepta erat, ita difficillime deponebatur. Nam cum, post excuſſos alios adolescentiae errores, hos libros aliquoties *legiſſemus*, ſemper adhuc aliquid ex veteri errore remanebat: ut non dubitaverimus alicubi concedere reprehenſoribus iſtis, qui dicerent, doctrinam de Officiis non accurate & vere a Cicerone traditam eſſe. A qua nunc ſententia tantum abſumus, ut nobis hi libri, cognito eorum conſilio atque inſtituto, omnium maxime diligenter conſcripti videantur.

Ag

Age vero ad alteram tandem disputationis partem accedamus, atque, percurrendo aliquot libros, de critica videamus ratione.

Et primo quidem libro de Natura Deorum, ab initio ſtatim nobis occurrit difficultas in his verbis: *De qua* (ſc. Natura Deorum,) *tam variae ſunt doctiſſimorum hominum tamque discrepantes ſententiae; ut magno argumento eſſe debeat, cauſſam, id est, principium Philoſophiae, eſſe inſcientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe.* Interpretes fere omnes in hoc loco haeſerunt. Nam ante Daviſium omnes fere libri habebant *ſcientiam*; qui bene reſtituit *inſcientiam*. Sed aliud reſtat. Erneſtus quidem recte *inſcientiam* tuetur, & acute ipſum locum explicat. Nobis verba, *id est principium Philoſophiae*, gloſſam ſapere videntur hominis, qui *cauſſam* non intelligeret. Atque Cicero nil aliud in mente habuiſſe videtur, quam hoc, cauſſam discrepantiae hominum doctiſſimorum, de Deorum Natura, eſſe inſcientiam.

Ib. *Velut in hac quaeſtione, plerique, quod maxime veriſimile est, & quo omnes duce Natura vehimur, Deos eſſe dixerunt.* Erneſto *vehimur* displicet, ait etiam in hac ſententia alias dici *ferimur*. Tamen amplectitur lectionem libri ſcripti *venimus*. Nobis olim *ferimur* in mentem venerat.

I, 10. *Qui vero mundum ipſum animantem ſapientemque eſſe dixerunt, nullo modo viderunt animi na-*

 turam

turam, *intelligentes in quam figuram cadere poſſet.* Daviſius corrigebat, *non intelligentes.* Nos olim — *nullo modo videntur animi naturam intellexiſſe cet.* Sed veriorem credimus Erneſti emendationem: *nullo modo viderunt, animi natura intelligentis in quam figuram cadere poſſet.*

I, 20. — *ſi quae interimant innumerabilia ſint, etiam ea, quae conſervent, infinita eſſe debere.* Est ipſum Epicuri dictum, quod miramur non obſervatum eſſe a Daviſio, diligentiſſimo in hoc genere interprete.

I, 35. *Etenim ſi ſemel, Vellei, ſuſcipimus genus hoc argumenti, attende quo ſerpat. Tu enim ſumebas, niſi in hominis figura rationem ineſſe non poſſe: ſumet alius, niſi in terreſtri: niſi in eo, qui natus ſit: niſi in eo qui adoleverit: niſi in eo, qui didicerit: niſi in eo, qui ex animo conſtet & corpore caduco & infirmo: poſtremo, niſi in homine atque mortali. Quod ſi in omnibus his rebus obſiſtis, quid est quod te forma una conturbet?* Omnino, ut oratio apto ſenſu finiatur, *conturbet* locum habere nequit. Nam Epicurei in antecedentibus obſiſtebant, neque Deo ita temere imbecillitates humanas tribuere volebant: at formam humanam non dubitanter ei tribuebant. Igitur pro *conturbet* legendum, *non turbet.*

II, 16. *Ordo autem ſiderum & in omni aeternitate conſtantia, neque naturam ſignificat; est enim plena rationis: neque fortunam, quae amica varietati con-*

ſtan-

ſtantiam reſpuit. Cum haec ex Stoicorum ſententia dicantur, qui naturam fere *ratione* definiebant, facile intelligitur vocem *naturam* ſtare hoc loco non poſſe. Jer. Marklandus Ep. Crit. p. 25. dudum correxerat *temeritatem* pro *naturam*: quae correctio minime erat negligenda. Neque vero non commemoranda erat conjectura Daviſii, reponentis, *neceſſitatem*.

II, 32. *Sed nos cum dicimus natura conſtare adminiſtrarique mundum, non ita dicimus, ut glebam aut fragmentum lapidis — nulla cohaerendi natura, ſed ut arborem, ut animal, cet.* Varie tentata ſunt verba, *nulla cohaerendi natura*, ab interpretibus. Erneſtus ita explicat: *non tali natura, ut opera alia partibus apte ſtructis & nexis, & abſolutionem habentia.* De qua explicatione non ſtatuimus. Marklandus quidem l. c. verba illa a mala manu invecta putavit.

III, 14. *Ita vultis opinor, nihil eſſe animal extrinſecus in natura atque mundo, praeter ignem.* Ex multis, quibus hunc locum corrigere tentarunt interpretes, conjecturis nulla nobis ſatisfacit. Erneſto Bouherii *intrinſecus* placet. Nobis aliquando in mentem venit, pro eodem *extrinſecus* legendum eſſe, *& ſentiens*.

III, 35. *Hunc igitur (Dionyſium tyrannum) nec Olympius Jupiter fulmine percuſſit, nec Aeſculapius miſero diuturnoque morbo tabeſcentem interemit: atque in ſuo lectulo mortuus in Tympanidis rogum illatus eſt,*

Longum est enumerare ſententias virorum doctorum, qui *Tympanidis rogum* emendando mutare voluerunt. Debuerant his noviſſimi editores adjicere Marklandi conjecturam Ep. Crit. p. 27. corrigentis: *atque in ſuo lectulo mortuus, in triumphantis toga elatus est.* Neque tamen cauſſam videmus, cur noſtram reticeamus conjecturam: *in ſuo lectulo immortuus tyrannidi, in rogum illatus est.*

Veniamus ad libros de Officiis.

I, 3. *Atque ea ſic definiunt, ut, rectum quod ſit, id perfectum officium esſe definiant: medium autem officium id esſe dicant, quod, cur factum ſit, ratio probabilis reddi posſit.* Poſterius illud *definiant* recte judicaverat Pearcius delendum esſe. Cujus animadverſio commemoranda erat.

I, 9. *Itaque videndum est, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem est in Philoſophos dictum: quod in veri indagatione verſentur, quodque ea, quae plerique vehementer expetant, de quibus inter ſe digladiari ſoleant, contemnant & pro nihilo ducant, propterea juſtos esſe. —— Itaque eos ad rempublicam ne accesſuros quidem putant niſi coactos.* Erneſtus *expetant* & *ſoleant* dedit ex libris nonnullis pro *expetunt* & *ſolent*, quod ei Latinitatis ratio conjunctivum poſtulare videretur. Nobis nec Latinitatis ratio hoc exigere videtur, cum *expetunt* & *ſolent* non eadem conſtructionis lege teneantur, qua *verſentur*: & perſpicuitatis lex, quae ſine dubio maxima

est,

eſt, indicativum poſtulat. Sed in fine pro *putant* omnino legendum *putat*, nimirum Plato, cujus, ut illa, ita haec quoque eſt ſententia. Aliter hunc locum conſtituit atque interpretatus eſt Jac. Facciolatus: *Itaque eos ad rempublicam non acceſſuros quidam putant:* atque voce *quidam* Epicureos ſignificari exiſtimat Sed *putat* verum eſt; eſt enim Platonis hoc dictum. Ceterum editionem Facciolati vel ignoravit, vel neglexit, Erneſtus.

I, 35. *Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec orationis obſcoenitas.* Gruterus aliique, quos ſecutus etiam eſt Jac. Facciolatus, dederant, *nec oratio obſcoenitate*, quod nobis etiam ſponte in mentem venerat. Et certe hoc verum videtur: quamquam Graevius & Pearcius illud tuentur.

I, 44. *Itaque niſi ea virtus, quae conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate humani generis, attingat cognitionem rerum, ſolivaga cognitio & jejuna videatur.* P. Manutius priorem hujus loci partem ita interpretatur: *niſi ſtudium ſocietatis conjungatur cum rerum cognitione.* Atqui contra ſententia debet eſſe: *niſi rerum cognitio conjungatur cum ſtudio ſocietatis.* Locus nobis ita revocandus videtur ad mentem Ciceronis: *Itaque niſi ea virtus quae attingit rerum cognitionem, conſtet ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani, ſolivaga cognitio & jejuna videatur.* Facciolatus, qui & ipſe

vitium odorabatur, minus in eo ſanando felix fuit; cum hanc periodum proxime antecedenti praemiſit, & *attingat cognitionem*, explicavit, *excipiat cognitionem eamque perficiat.*

II, 8. *Quod cum perſpicuum ſit, benivolentiae vim eſſe magnam, metus imbecillam; ſequitur, ut disſeramus, quibus rebus posſimus facillime eam, quam volumus, adipisci cum honore & fide caritatem.* Erneſtus pro *Quod* mallet *Quo.* Atqui *Quod* ſaepius est ab initio periodi pro *Quare*, *Quod ad hoc attinet*: cujus ipſe exempla dedit in Clave Voc. *Quod.* Ita Fin. I, 20.

II, 10. *Non enim omnes eas contemnunt, de quibus male exiſtimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam inſtructos, eos contemnunt quidem neutiquam, ſed de his male exiſtimant.* Putamus Ciceronem, non *maledicos*, ſed *maleficos* ſcripſisſe.

Ib. *Nam & voluptates, blandisſimae dominae, majores partes animi a virtute detorquent; & dolorum cum admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur.* Pearcius legit, *majoris partis animos*, ſc. hominum. Erneſtus intelligit eas facultates, quas hodierni *ſuperiores* vocant, rationem & voluntatem. Et, quod ad ſententiam, ei asſentimur: quod ad verbum *majores*, ei non asſentimur. Legendum, *meliores.* Ita Graeci τὰ κρείττονα, τὰ βελτίονα μέρη τῆς ψυχῆς. Sic ipſa anima cum cor-

corpore comparata, *pars melior* dicitur ab Ovidio Met. XV. 875. *Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis Aſtra ferar.*

II, 12. *Quamquam praeclare Socrates hanc viam, ad gloriam proximam & quaſi compendiariam dicebat, eſſe, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet.* Chapmannus pro *Quamquam* reponere volebat *Quamobrem.* Erneſtus hanc conjecturam memorat quidem, non tamen de ea ſtatuit. Nos quidem eam alienam ab hoc loco judicamus. Ita *quamquam* eleganter ponitur, habetque miram vim ac venuſtatem. Refertur enim ad antecedentia, ut haec ſit ſententia: *Quamquam quid damus praecepta gloriae quaerendae & collocandae, cum vel Socratis praeceptum ſequi ſatis ſit:* cet. Sic ſupra Off. I, 9. *Eſt enim difficilis cura rerum alienarum. Quamquam Terentianus ille Chremes humani nil a ſe alienum putat:* in quo loco perperam laborarunt interpretes. Brut. 4. — *ipſa mihi tractatio literarum ſalutaris fuit, admonuitque, Pomponi, ut a te ipſo ſumerem aliquid ad me reficiendum, teque remunerandum, ſi non pari, at grato tamen munere. Quamquam illud Heſiodium laudatur a doctis, quod eadem menſura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſſis.* Eadem eſt ratio in loco Off. I, 15. *Quod ſi ea, quae utenda acceperis, majori menſura, ſi modo poſſis, jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus.*

II, 13. — *qua aetate qui exercentur laude affici ſolent (ut de Demoſthene accepimus) ea aetate L. Craſſus oſtendit, id ſe in foro optime jam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.* Non debuerat omitti correctio Dav. Ruhnkenii, qui ad Rut. Lup. p. 108, ita hunc locum transponendo ſanaverat: *& qua aetate qui exercentur laude affici ſolent; ea aetate, ut de Demoſthene accepimus, L. Craſſus oſtendit, cet.*

II, 22. *Id enim est proprium, ut ſupra dixi, civitatis atque urbis, ut ſit libera & non ſollicita ſuae rei cujusque cuſtodia.* Recte Erneſtus tuetur *cujusque* contra J. F. Gronovium, qui malebat *cuique.* In tali conſtructione genitivus non infrequens est. Off. I, 33. *in qua deliberatione ad ſuam cujusque naturam conſilium est omne revocandum.* III, 12. *num iſta ſocietas talis est, ut nihil ſuum cujusque ſit?* Videndus est quoque Duketus ad Liv. III, 22.

II, 23. *Igitur cum ſtatuiſſet,* (Aratus) *opus eſſe ad eam rem conſtituendam pecunia, Alexandriam ſe proficiſci velle dixit, remque integram ad reditum ſuum juſſit eſſe: isque celeriter ad Ptolemaeum ſuum hoſpitem venit:* cet. Cum *isque* de eodem dicatur Arato, de quo antecedentia dicuntur, videtur nulla ratione in hunc locum cadere, ſed mutandum eſſe in *itaque.*

II, 24. *Quamobrem ne ſit aes alienum, quod reipublicae noceat, providendum est; quod multis rationibus*

ſtibus caveri poteſt: non, ſi fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Varie hunc locum tentarunt interpretes. Vir in primis acutus & doctus, J. Mich. Heuſingerus, Obſ. Antibarb. p. 405. ex libris revocavit veram lectionem: *ſi non fuerit, ut locupletes ſuum perdant*, atque ita dictum eſſe pro, *ſi non perdiderint*, ex interiore Latinitatis ratione demonſtrat.

III, 4. *Aut cum Fabricius Ariſtidesve juſtus nominatur.* Idem Heuſingerus in Addendis ad Emend. L. I. p. 97. locum hunc ita conſtituit: *Aut cum Fabricius juſtus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab hoc juſtitiae, tamquam a ſapiente, petitur exemplum.* Et hujus correctionis rationem ſe alio loco redditurum ait. Erat, ut videtur, locus ille, cum ipſos hos de Officiis libros, ſuis curis expolitos editurus eſſet. Quod egregii viri conſilium a Jacob. Fred. Heuſingero V. Cl., ejus ex fratre nepote, brevi perfectum iri ſperamus.

III, 6. *Cujus ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt; magis arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſa, quam omnia incommoda ſubire, vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, quae vacent juſtitia.* Optime mendum ſuſtulit Erneſtus, reponendo *injuſtitia* pro *juſtitia*; & ita jam ante eum fecerat Lambinus.

III, 7. — *ſatis multa praecepta ſunt, quibus perſpici poſſit, quid ſit propter turpitudinem fugiendum; quid*

quid quod idcirco fugiendum non ſit, quia omnino turpe non ſit. Erneſtus nullam mentionem facit varietatis lectionum; & ipſe adeo ſequitur lectionem falſam. Melius fuerat, vel Graevianam dare, *quid ſit id, quod idcirco fugiendum non ſit*, cet: vel Pearcianam, *quid idcirco fugiendum non ſit*, cet.

III. 10. *Ponit enim perſonam amici, cum induit judicis. Tantum dabit amicitiae, ut veram amici cauſſam eſſe malit: ut orandae litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet.* Erneſtus ex libris ſuis ſcriptis & editis, dedit *litis*. Nobis cum Aldo & Victorio, quos ſecutus etiam est Facciolatus, *liti* verum videtur.

III, 13. *Quaero, ſi hoc emtoribus venditor non dixerit, aedesque vendiderit pluris multum, quam ſe venditurum putarit, num id injuſte an improbe fecerit.* Erneſtus vere corrigit: *injuſte atque improbe.* Atque ita ante eum jam ediderat Facciolatus.

Ibid. *Neque enim id est celare, quidquid reticeas.* Senſus est: non enim quidquid reticetur, illud celatur. Erneſtus mallet *id* abesſe. Sed hic uſus frequens est Ciceroni. Ita proxime ſupra allato loco. II, 6. III, 10. *Cum Collatino Collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuſte:* ubi Erneſtus *id* male judicat, delendum esſe. Conſulendus est etiam J. Mich. Heuſingerus Emend. L. I, p. 99.

III, 16. *M. Marius Gratidianus, propinquus noſter*

ſter, C. Sergio Oratae vendiderat aedes eas, quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat: hae Sergio ſerviebant: ſed hoc in mancipio Marius non edixerat: Locum intactum reliquit Erneſtus; est tamen magna difficultas in ea parte: *hae Sergio ſerviebant.* Nam ſi aedes ipſi Sergio ſerviebant, quomodo hoc vel in vitio ponere, vel Marium ejus cauſſa accuſare poterat. Eandem rem narrat Cicero de Or. I, 39; neque memorat has aedes Sergio ſerviiſſe. Itaque nobis veriſimile viſum est, *Sergio* delendum eſſe, quippe ex ſequenti *ſerviebant* ortum. Ac vidimus poſtea, Pearcium in Addendis ad h. l. in eandem incidiſſe ſententiam.

III, 21. *Ipſe autem ſocer (C. Jul. Caeſar.) in ore ſemper Graecos verſus de Phoeniſſis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortaſſe, ſed tamen ut res poſſit intelligi:*

Nam, ſi violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas..

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod omnium ſceleratiſſimum fuerit, exceperit. Pearcius haec ita transponit: *Capitalis Euripides, vel potius Eteocles:* Erneſtus vulgatum tuetur; male; noſtra quidem ſententia. Quomodo enim Euripides reprehendi queat, quod Eteoclem loquentem inducens, ejus perſonae ſervierit? certe minime omnium

tium a Cicerone, qui his ipſis libris hoc in poëtis adeo non reprehenderit, ut etiam in laude poſuerit: v. c. I, 28, & III, 29. Nobis quidem verba, *vel potius Euripides*, a mala manu addita videntur.

Igitur vel ex his animadverſionibus, quas ex ſatis magno numero paucas propoſuimus, intelligi poteſt, quantum adhuc per univerſos libros philoſophicos labis & corruptelae reſideat. Libros quidem de Officiis, Senectute, Amicitia, Paradoxa & Somnium Scipionis ita expolivit Graevius, ut laudem illam, quam ſibi Orationibus & Epiſtolis edendis comparaverat, aequaret. Cumque ſpem, quam excitaverat, reliquorum edendorum de Philoſophia librorum, mors praevertiſſet; ſuscepit idem conſilium & perfecit etiam J. Daviſius, vir egregius, & cum orationem ex codicibus multis magna corruptelarum copia purgavit, tum doctrinam ex Graecis fontibus explicuit. Quod ſi ejus editionis voluminibus ſingulis adjecta eſſet a Bentlejo epiſtola, qualis adjecta eſt Tusculanis libris, haberemus aliquid, quod, ut in hoc genere, proxime ad perfectionem accederet. Poſtea ad Daviſianam formam edidit libros de Officiis Pearcius, elegantis quidem ingenii vir, ſed doctrina non par Daviſio. Jam Erneſtus, vir tantis ingenii doctrinaeque ſubſidiis inſtructus, quantis prima ſecundaque cenſura diximus, ex libris ſcriptis editisque, quorum magnam copiam habuit, & ſuo ipſe acu-

acumine, plurimos correxit locos: ſed idem feſtinatione, qua, in his quidem libris, magis etiam quam in Rhetoricis & Orationibus uſus eſt, menda reliquit multa; cum ejusmodi, quae, a nemine animadverſa, ipſe ingenio tollere poterat: tum ejusmodi, quae a prioribus jam editoribus correcta erant. Nos vero, quod in hoc genere humanitas & ipſa natura praecipit, magis eum propter praeſtitum beneficium laudamus, quam propter minus cumulate perfecteque praeſtitum reprehendimus.

II.

DIONYSII LONGINI *Quae ſuperſunt, Graece & Latine. Recenſuit, Notasque ſuas atque Animadverſiones adjecit Joannes Toupius. Accedunt Emendationes Davidis Ruhnkenii. Oxonii, e Typographeo Clarendoniano.* 1778. 4. *maj.*

Est ea libri hujus laus ac praeſtantia, ut omnis criticae artis exquiſitam quandam vim ac delibatum florem continere videatur. Nam & argumentum in verae ſublimitatis judicio verſatur; & auctor operis est is, qui ingenii doctrinaeque excellentia apud veteres Critici nomen invenit: & interpretes ſunt ii, quos noſtra aetas in principibus ejusdem artis rite celebrat. Ac de Longino quidem cum ſatis dictum ſit prima hujus Bibliothecae parte; nil cauſſae videtur esſe, quin continuo ad interpretum operam ſpectandam, ipſiusque editionis bona explicanda progrediamur.

Primum igitur Toupius V. Cl. in praefatione librorum veterum ſubſidia enumerat, quibus ad emendandum Longinum uſus est. Ex editionibus praecipuae fuerunt Robortelliana & Manutiana. De hac quidem ita ſtatuit, ut ejus diſcrepantes lectiones non ex Manutii conjectura profectas, ſed ex Besſarionis libro expres-

 ſas

ſas putet; quem ipſum librum alium eſſe ac Venetum, quo uſus eſt Tollius. Commentarium etiam Fr. Porti, quem Amſtelodamenſes Pearcii editioni A. 1733. adjecerunt, non ſolum Porto adjudicat; ſed utilem quoque ad lectionum originem inveſtigandam judicat. Librum ſcriptum Elienſem, quo jam uſus erat Pearcius, Cantabrigiae ipſe contulit Toupius. Pariſini denique codicis duas habuit collationes; alteram ab Iſ. Voſſio factam; alteram nuper a Larchero V. Cl. Atque de hujus libri Pariſini auctoritate miramur ab editore nil magnopere commemoratum eſſe. Nam cum Boivinus & Pearcius liquido demonſtrarint, hunc unum fontem eſſe, ex quo omnes, qui alibi ſuperſunt, codices fluxerint, quid aliud eſt illa apographa comparare, niſi turbidos rivulos conſectari? In quibus quaecunque ſcripturae differentia reperitur, aut erranti librario tribuenda eſt; aut ſciolo veterem lectionem refingere tentanti. Sed haec quamquam minime fuerunt contemnenda ſubſidia, haud tamen minora ipſe in ſuo ingenio poſita habuit Toupius: de quibus ſuo loco videbimus.

Proxima eſt Ruhnkenii Diſſertatio de vita & ſcriptis Longini, quam prima parte recenſuimus. Ea ſub alieno nomine repetita eſt: non quod Toupius neſciret, veterani literatoris opus a tironis ſcriptione ſecernere: ſed quod conſuetudinis receptae in Belgicis Germanicisque Academiis igna-

rus eſſet. Nam ſatis eſt honorificum tironi, contra aliorum reprehenſiones tueri publice poſſe talem librum: ſcribi quidem eum a nemine potuiſſe, quam a veterano, eoque primario, nemo adeo in literis eſt hoſpes, quin videat.

Tum ipſe exhibetur libellus *de Sublimitate*, cum *Fragmentis*; ſubjecta verſione Latina, inferiore paginae parte. Eſt vero Pearcii verſio, & quidem integra intactaque. Latinam verſionem adjectam eſſe, laudamus: ſed Pearcianam maxime adjectam eſſe, id vero miramur. Fuit enim hic vir elegantis quidem doctrinae, ſed Graecae linguae non ſatis peritus.

Sequuntur Animadverſiones interpretum, & primo quidem loco Ruhnkenianae p. 133--152. Hae potiſſimum in duplici verſantur genere. Nam, vel notatis diligenter veterum Scriptorum locis, quos Longinus imitando expreſſit, nova ei lux accenditur; vel vera lectio conjiciendo reſtituitur, atque vindicatur. Eſtque in iis, ut in univerſa Ruhnkeniana criſi, non ingenii tantum & doctrinae praeſtantia exquiſitae, ſed certa quoque via ac ratio, quae omnem arcet temeritatem, & ſuo quodque loco ponit; unde cum perſpicuitate ſuavitas exiſtit. Earum vero ſpecimina ex emendationibus praecipue ſumamus.

Sect. III. Docetur ex inedito Hermogenis Scholiaſta, Joanne Siceliota, Tragici locum deſumtum eſſe

eſſe ex Aeſchyli Orithyia. Qua obſervatione locus antea nemini intellectus, clarus fit ac perſpicuus.

Ibid. Vere accurateque explicatur mens Longini, reprehendentis dictum Gorgiae, *Vultures eſſe vivà ſepulchra.* : . . .

Ib. Elegantiſſima conjectura T. Fabri pro ἀναλήθεις corrigentis ἀναλθεῖς defenditur, ejusque vocis poteſtas, cum ex originis ratione, tum ex uſu Scriptorum egregie explicatur.

S. IX. De dicto Moyſis: *dixit, fiat lux! & facta est lux.* Hunc igitur locum cum haud pauci ab aliena manu invectum esſe putent, Ruhnkenius oſtendit, eam unam cauſſam, quod non veriſimile ſit, Longinum in ſacris literis verſatum fuiſſe, non ſatis momenti habere, quare hunc locum pro ſpurio habeamus; nam alios etiam hujus aetatis philoſophos legiſſe ſacros Chriſtianorum libros. Poſtea addit: *Est denique vir longe doctiſſimus* (C. L. Valckenarius) *qui totum hoc abruptius exiſtimat, quam ut a Longino profectum eſſe videatur.* Atque hac maxime de cauſſa nos quoque hunc locum ſemper ſpurium judicavimus. Ceterum adfert Ruhnkenius locum Anthol. Lat. II, 13. p. 194.

Quale fuit regnum mundo nova ponere jura!
Hoc terrae fiat: hac mare, dixit, eat.

Cujus alterum verſum egregie emendaverat ad Moy-

Moyſaicae ſublimitatis exemplum J. Fr. Gronovius :

Hoc terrae fiant, hoc mare, dixit: erant.

His obſervationem addit Toupius hancce: *At vero longe melior & ſimplicior emendatio noſtra:*

Hic terrae fiant, hac mare, dixit, eat.

Simplicior fortaſſe Toupii correctio: ſed Gronovii dignior poëta.

S. X. Λυμαίνεται γὰρ ταῦτα τὸ ὅλον, ὡσανεὶ ψήγματα ἢ ἀραιώματα ἐμποιοῦντα μέγεθη συνοικοδομούμενα. Difficilis locus, nec ab ullo interpretum explicatus, ad ſententiae ſanitatem revocatur conjectura, vel vera, vel veriſimillima: Λυμαίνεται γὰρ ταῦτα τὸ ὅλον, ὡσανεὶ ψήγματα, ἃ εἰς ἀραιώματα ἐμβύνται, τὰ μεγέθη συνοικοδομούμενα. *Haec enim omnino, veluti ramenta, quae rimis inculcantur, deformant magnificum & bene ſtructum dicendi genus.* Toupius tamen aliam ingreditur rationem, cum legit, τὰ ἐμποιοῦντα μέγεθος, & cum Pagano hoc modo vertit: *Haec enim, quaſi ramenta ac rimae, omnino labefactant ea, quae ſimul coagmentata & mutua convenientia communita, magnitudinem efficiunt.* Praeterea in contextu dedit συνοικονομούμενα. Nos Ruhnkenii emendationem praeferimus, qui ſingularum etiam mutationum rationem docte accurateque reddidit.

S. XVII.

S. XVII. ἡγεμόνας ἐν ὑπεροχαῖς, bene corrigitur, ἡ. ἐν ἐπαρχίαις, *praeſides provinciarum.*

S. XXXIV. De verborum Ἀττικὸς & Ἀττικισμὸς, cum Ἀστικὸς & Ἀστεϊσμὸς permutatione, & poteſtate, docte & eleganter exponitur, & Alciphron multis locis corrigitur.

Ib. Hyperidi tribuuntur σκώμματα οὐκ ἄμουσα, οὐδ' ἀνάγωγα κατὰ τοὺς Ἀττικοὺς ἐκείνους, ἀλλ' ἐπικείμενα. Acute ſimul & vere corrigitur, σκ. οὐκ ἄμ. οὐδ' ἀν. ἀλλὰ κατὰ τοὺς Ἀττικοὺς ἐκείνους, ἐπιεικῆ. De Atticis jocis diligenter monetur, & vocis ἐπιεικὴς poteſtas idoneis auctoritatibus confirmatur.

S. XXXV. Αἴτνης —— ἧς αἱ ἀναχοαὶ πέτρους τε ἐκ βυθοῦ καὶ ὅλους ὄχθους ἀναφέρουσι, καὶ ποταμοὺς ἐνίοτε τοῦ γένους ἐκείνου καὶ αὐτοῦ μόνου προχέουσι πυρός. Haec ita vertit Tollius: *Aetnae —— fauces ingentia ex imo fundo ſaxa, totosque adeo ſcopulos & ardentia nonnumquam ſulphuris ac liquidi ignis flumina eructant.* Sed in Graecis nec *ſulphur*, nec *liquidus* ignis eſt. Marklandi, pro γένους, veriſſima eſt correctio γηγενοῦς, quam etiam in contextum recepit Toupius, qui tamen illud αὐτοῦ μόνου, ut elegantiſſimum & neutiquam ſollicitandum, tuetur. Sed multo eſt magis probanda Ruhnkenii emendatio αὐτόχθονος, cum ſua veriſimilitudine, tum Plutarchi, a Longino ſaepius imi-

imitando expreſſi, auctoritate, qui T. II. p. 500. D. dixit ἐγγείους καὶ αὐτόχθονας πηγάς. Nobis aliquando in mentem venerat αὐτονόμους.

S. XLV. Est omnino egregius & paene divinus totus hic locus, quo depravatos ſuae aetatis mores & ingeniorum labes atque corruptelas exponit Longinus. Sed ſcopulum habet haec ejus pars: Ταῦτα γὰρ οὕτως ἀνάγκη γίνεσθαι, καὶ μηκέτι τοὺς ἀνθρώπους ἀναβλέπειν, μηδὲ πέρα φήμης εἶναί τινα λόγον. Quae Tollius reddidit, ut potuit. *Haec enim ſe invicem neceſſario conſequuntur: ſic, ut nemo jam hominum erigere & attollere auſit oculos, aut ulla queat ad duraturam ad poſteros famam aſſurgere oratio.* At quid est πέρα φήμης? Codex Pariſinus habet μηδ' ἕτερα φήμης, quod perperam mutarunt editores; ſed hujus lectionis, quamquam corruptiſſimae, veſtigiis ſagaciter veram lectionem odoratus est Ruhnkenius, μηδ' ὑστεροφημίας εἶναί τινα λόγον. Senſus est: *neque quemquam ulla poſteritatis atque famae cura tangit.*

Ib. fin. Κράτιστον δ' εἰκῆ ταῦτ' ἐᾶν. Haec est lectio vetuſtiſſimorum librorum. Faber tamen corrigebat εἴη pro εἰκῆ. Sed opportune vidit Ruhnkenius, ineſſe his verbis alluſionem ad ſenarium, quo bis uſus est Euripides, in Auge, & in Electra v. 379. Κράτιστον εἰκῆ ταῦτ' ἐᾶν ἀφειμένα. Commode Pariſinus codex omittit particulam δ', quae

quae metro officit. Toupius tamen & hoc loco, & in Euripide etiam, εἴη corrigit.

Sequuntur notae Toupii a p. 152. uſque ad 254; quae partim in eodem ſunt genere quo Ruhnkenianae, partim peculiariter in Graecae dictionis vi ac poteſtate explicanda conſumuntur, quam partem iis tantum locis tetigit Ruhnkenius, ubi correctionis ratio esſet reddenda. Ceterum ſimilis est criſeos forma harum notarum atque Emendationum in Suidam; hoc tamen excepto, quod haecce propius ad ipſum Longinum pertinent, neque frequentes in iis ſunt digresſiones ad Epigrammata atque Comicorum fragmenta. Saepius in eandem ac Ruhnkenius emendationem incidit, ſaepe in eandem obſervationem, est etiam ubi ab eo disſentit, ſed amice ac modeſte, velut omnibus fere iis locis, quos modo memoravimus. Ceterum in Toupio cernere est illud, quod de magnis ingeniis dixit Longinus, ea rationis certam quidem ſed longiorem viam ſpernere; estque hac in parte disſimilis Marklando, divi ſuo, magno & ipſi Critico. Nam Marklandus, qui multos veterum Scriptorum locos ſanavit, fere vitium ejusque medicinam acumine inveſtigavit, & pedetentim quaſi rationes ſubducendo reperit. Contra Toupius quodam ingenii impetu ac fervore, qui nullo ſe cogitationis freno coerceri patiatur, ſponte parit atque effundit excellentium quidem cogitatorum

 copiam

copiam, in quibus tamen nonnulla etiam ſint, quae accuratior meditatio repudiasſet. Habet vero univerſa ejus criſis naturalem quandam facilitatem; in emendationibus denique tanta ſaepius est felicitas & veri ſignificatio, quae ad asſentiendum non alliciat ſolum, ſed cogat. Sed ex Longinianis correctionibus hae praecipue videntur commemorandae.

Sect. XLIII. In fragmento Theopompi, quo deſcribitur regis Perſarum, (qui perperam pro Cambyſe accipitur a Toupio) ad Aegyptiacam expeditionem apparatus, ponuntur inter *res ad vitam necesſarias, velut animalia ad epulas ſaginata, condimentorum modios ac panaria, ac ſaccos*, in his igitur ponuntur etiam χάρται βιβλίων. Toupius corrigit, χύτραι βολβῶν, *bulborum ollae*, ejusque dictionis exempla adfert ex Comicis. Est omnino veriſimilis emendatio, habetque ſignificationem ingenii Toupiani.

Ib. In Theopompi reprehenſione ait Longinus, παρέκειτο — καὶ περὶ τῆς ἄλλης παρασκευῆς οὕτως ἀλλάξας εἰπεῖν, καὶ καμήλους καὶ πλῆθος ὑποζυγίων. Vertunt: *Poterat vero etiam de reliquo apparatu mutata oratione dici: camelos & multitudinem jumentorum.* Sed hoc ſenſu debuisſet dici ἀλλάξαντα. Igitur mendoſa est lectio. Toupius eleganter & vere corrigit ἁμάξας, *plauſtra*, quod

in

in contextum adeo recepit. Senſus eſt: *Poterat vero etiam de reliquo apparatu dici: Plauſtra, camelos, jumenta, cet.*

Epilog. fin. Dicuntur homines ſeculi pravitate corrupti, οὐκ ἄλλως πονοῦντες ἢ ἀναλαμβάνοντες, εἰ μὴ ἐπαίνε καὶ ἡδονῆς ἕνεκα. Nulla ratione ἐπαίνε ferri poteſt: non enim eſt *gloriola*, ut vertunt, ſed *laus*. Vere Toupius πλούτε emendat. Senſus eſt: *nulla alia de cauſſa diſcentes ac laborantes, quam ut divitias & voluptatem conſequantur.*

Multa praeterea expromitur doctrina in confirmandis aliis levioribus emendationibus, vel ipſius Toupii, vel aliorum. Omnino magna pars ejus operae conſumitur in dictionis Longinianae vi ac ſignificatione explicanda. Quod quidem perutile & neceſſarium eſt in eo auctore, qui non tantum propter corruptelarum multitudinem, ſed propter argumenti difficultatem & exquiſitum dicendi genus vulgo parum intelligitur. Sunt quoque haud raro interſperſae in alios Scriptores emendationes. Sed ex tota illa obſervationum copia, age proponamus nonnullas, quae in primis memorandae notandaeque videantur.

P. 161. Veriſſima cet correctio Alciphronis, III, 11. οἶδα ἀκούσας ἄλλα τινὰ δαιμόνων ὀνόματα, ἃν διὰ τὸ πλῆθος ἀπολεῖσθαί μοι τῆς μνήμης τὰ πλεῖονα. Nos hujus loci difficultatem

interpretando, non emendando, tollendam arbitrabamur. Toupius pro ἀπολεῖσθαι legit ἀπώλισθε, *exciderunt*: quod ſimul vidimus, ſimul probavimus. Eſt non minus acuta veraque conjectura ea, qua p. 166. in Lyſiae fragmento ap. Dion. Hal. Iſaeo. p. 170. λαβὼν ἐπὶ τὰ ἑαυτοῦ mutatur in λαβὼν ἄπιθι τὰ ἑαυτοῦ. Heſychius quoque V. Καμβρίζοντα tentatur conjectura non abſurda; nam Toupius repoſuit, Οὐκ ἂν βρίζοντα, referri enim putat gloſſam ad Homerum. Il. δ. 223. Ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον. Quamquam vulgatum non temere damnandum est, quod antiquitus dictum eſſe videtur, pro καταβρίζειν; ut καμβαίνειν pro καταβαίνειν, & apud eundem Heſychium καμβολία pro καταβολία, & alia ejus generis haud pauca. Eadem nota venuſte obſervatur Luciani feſtivitas, qui Ver. Hiſt. II, 27, Herodotum imitando luſit: cui quidem obſervationi nil detraheretur venuſtatis, ſi abeſſent illa verba: *ſic ſolet iſte nebula.* P. 215. est verſuum Eupolidis, de Periclis eloquentia, emendatio: nec tamen nova illa, quippe facta jam a Wyttenbachio ad Plutarch. de Ser. Num. Vind. p. 7.

Liceat quoque haec animadvertere. P. 187. Platonis dictum, *de pinnato curru Jovis*, non est in Timaeo, ſed Phaedro. P. 193. Ariſtides T. I.

p.

p. 498. ἐξῆντας τὸν φόβον αὐτοῦ, καὶ ὅπη σαθρός ἐστιν, non ſumſit haec ex Demoſthene Or. Phil. I. p. 19. C. εὑρήσει τὰ σαθρὰ τῶν Φιλίππε πραγμάτων αὐτὸς ὁ πόλεμος; ſed ex Platone Euthyphron. p. 49. C. εὕροιμ' ἄν, ὡς οἶμαι, ὅπῃ σαθρός ἐστιν: atque hoc ipſum, ut alia multa, a Platone duxit Demoſthenes. P. 239. κινδυνεύει αμοιρότητος, pro κίνδυνος αμοιρότητος, corrigitur, & confirmatur loco Alexandrini Interpretis Jon. I. 4. Sed haec conſtructio in Judaeo Alexandrino quidem ferenda est, in Longino non ferenda; & praeſtat vulgatam tueri. P. 221. fin. cum tangitur locus Longini S. XXXIX. συνεξομοιοῦσθαι τῷ μέλει τὸν ἀκροατὴν, κἂν ἄμουσος ᾖ παντάπασιν; non erat negligendum; hanc esſe certisſimam correctionem Boivini, cum antea legeretur, καὶ ἄλλοις ὅσοι παντάπασιν. Est enim alluſio ad Euripideum, μουσικὴν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν. Sed non videtur illud agere voluisſe editor, ut lectionum originem varietatemque accurate referret. Fragm. I. Inter principes Graecae eloquentiae, Demoſthenem, Lyſiam, Iſocratem, ponitur *Timarchus*, cum vero, quod mireris, *Paulus Tarſenſis*, quippe *qui primus praefuerit opinioni argumentis non probatae*. Atqui pro *Timarcho* legendum esſe *Dinarchum*, & Apoſtoli mentionem ab aliena manu additam esſe, ma-

manifeſto oſtendit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 88. laudatus h. l. ab ipſo Toupio. Quare eo minus aſſequi poſſumus, quid ſibi velint haec ejus verba: *Ceterum quod fecit hic noſter, ut Timarchum & Divum Paulum inter Graecae eloquentiae principes commemoraret, fecit pro libitu & guſtu ſuo.*

Verborum denique ac dictionum, quae ex interiori Graecae linguae ſcientia explicantur, major est numerus, quam ut a nobis hoc loco recenſeri poſſit. Praecipuae exquiſitaeque ſunt multae, in iisque etiam haecce: p. 170. κατεξανάστασις: p. 176. τὰ ἐμφερόμενα τινὶ, *ea quae alicui rei inſunt*: p. 186. ἔκπληξις & ἔμπληξις: p. 206. ἐπιπροσθεῖν τινὶ: p. 212. εὐπάλαιστος & εὐπάλαιστρος: p. 214. ἔνθεν ἑλὼν & ἔνθεν λαβὼν: p. 217. παρανοίας ἁλῶναι: p. 223. διάστημα: p. 226. τὰ ἐπιπολάζοντα: ib. ὑποχορεύειν. p. 233. ἐπείγει, p. 234. ἐντρεχής.

Sed, ut diximus, tanta est bonarum obſervationum copia, ut eas omnes enumerare infinitum ſit. Illud etiam earum genus magnopere laudandum est, quo exempla aliorum auctorum, quae Longinus expreſſit, diligenter notantur. Et Longinus quidem non ſolos antiquos, velut Platonem, Demoſthenem, ſimilesque imitatus est, ſed, quod primum noſtri duumviri viderunt, quosdam etiam ex recen-

cen-

centioribus, veluti Dionyſium Halicarnaſſenſem, & in primis Plutarchum. Neque vero haec ejus imitatio eſt puerilis illa & jejuna, quae ex mentis anguſtia proficiſcitur, ſed, qualem ipſe commendavit, Subl. S. XIII, conformatio ad verae pulchritudinis exempla, quae oritur ex praeſtantis doctrinae copia. Nam cum, legendis continuo optimis auctoribus, ingenium aluiſſet atque ad magnitudinem extuliſſet, neceſſe erat, ut eorum dicta animum ſcribentis ſponte ſubirent, & ipſe ex ſe pareret ſententias ac formas, quarum ſemina veterum lectione concepiſſet. Atque propter ipſum, quod in eo erat, doctrinae ſtudium, dubitandum non eſt, quin ex recentioribus, ut quisque proxime ad antiquos acceſſerit, ita quemque ſtudioſiſſime legerit, quales ſunt Dionyſius Halicarnaſſenſis, Dio Chryſoſtomus, Ariſtides, & prae reliquis omnino Plutarchus, cum quo non tantum verbis, dictionibus, figuris, ſed toto orationis habitu, doctrina etiam, ingenio, voluntate, eam habet ſimilitudinem, quae ſine aſſidua lectione exiſtere non potuiſſe videatur. Neque tamen quaelibet duorum locorum convenientia continuo pro imitatione habenda, niſi ſi in rebus verbisque ſit exquiſitis & auctoribus ab eo, quem imitari putemus, lectitatis. Igitur v. c. neque aſſentiamur Toupio, Longinum S. VII. ex Diodoro Siculo profeciſſe, vel locum S. IX. de

Aja-

Ajacis ſilentio, ex libello de Educatione, qui Plutarchi putatur, adumbraſſe, vel denique S. XX, de motu animi ex Plutarcho Iſ. & Oſ. p. 375. tranſtuliſſe. Nam duobus prioribus locis, nec ſententia verbaque ſunt exquiſita, nec Longinus etiam dicendi auctores ſequatur aut Diodorum, aut libelli de Educatione opificem; qui quisquis demum fuit, certe Plutarchus non fuit, ſed homo *jejunus* & ineptus. Tertio denique loco, nulla est omnino convenientia Longini cum Plutarcho: quippe hic reſpicit ad etymologiam Platonicam vocis φρόνησις, quae est in Cratylo p. 268. G: ille ſimpliciter de motu ac perturbatione animi loquitur. Sed de imitationum judicio forte alibi dicemus. Nunc cum & nos inter legendum quaedam obſervaverimus, quae nec inutilia, nec injucunda fore putemus Longini ſtudioſis, non abs re fecerimus, ſi eorum nonnulla hoc loco propoſuerimus.

S. XIV. Prudentiſſimum est Longini conſilium, qui praecipit ſcribentibus, ut inter ſcribendum animo ſibi repraeſentent Homerum, Platonem, aliosque principes viros, fingantque ac perſuadeant ſibi, ſe in horum judicum conſeſſu cauſſam dicere; ita enim fore, ut ſibi quisque maxime caveat, ne quid temere, ne indecore & praeter rem ſcribat, μέγα τὸ ἀγώνισμα —— ὑπέχειν τῶν γραφομένων εὐθύνας, καὶ μὴ παῖξαι. Toupius ex libris revocat, καὶ μὴ πεπαῖχθαι: nobis Langbaeni correctio

vera

vera videtur, καὶ μὴ πταίσαι: quod verbum hoc ſenſu ab optimis Scriptoribus frequentatur, & cum παίζειν non raro confunditur. Sic apud Aelianum H. A. I, 30, καὶ ἔζη ἂν, εἰ καὶ πταίσας ἐγὼ ἰχθύων ὀψοφαγίστατος: legendum, ὃ καὶ παίσας ἐγὼ. ut in Fragm. V. Τρικορυσία: ἵνα τι καὶ παίσω. Similiter XII, 21. XIV, 4. ἵνα τι καὶ παίξω. & XV, 16.

S. XV. Ὄγκου, καὶ μεγαληγορίας, καὶ ἀγῶνος ἐπὶ αἱ φαντασίαι παρασκευαστικώταται. οὕτω γοῦν εἰδωλοποιίας αὐτὰς ἔνιοι λέγουσι. Verba οὕτω γοῦν, quae in omnibus veteribus libris exſtant, omiſit Tollius, quod eorum vim non caperet: alii quoque interpretes in iis haeſerunt. Senſus est: *Granditatem, ſublimitatem, ac perturbationem maxime efficiunt viſiones, quas nonnulli εἰδωλοποιίας vocant.* Hoc uſu οὕτως eleganter abundat, cum apud alios, tum apud Scriptores Longino tritos v. c. Plutarchum T. II. p. 490. E. ubi de *Muſis* dicitur, ἃς ὁμοῦ δι' εὔνοιαν ἀεὶ καὶ φιλαδελφίαν οὔσας, οὕτως ὠνόμαζον Μούσας, *quas homines, quod ob benevolentiam & amorem ſororium una ſemper degerent, hoc ipſum, Muſas, appellarunt.* Ariſtides T. I. p. 239. ὥσπερ ἣν καλοῦσιν οὕτως ἀγορὰν, *prout illa, quam fori nomine appellant.* Verbum εἰδωλοποιεῖν, quod infra occurrit, Platonicum est, Rep. L. IX. p. 515. B: utitur eo etiam Plutarchus T. II. p. 347. A.

S. XVI.

S. XVI. παιώνιόν τινα καὶ ἀλεξιφάρμακον εἰς τὰς ψυχὰς τῶν ἀκουόντων καθιεὶς λόγον. Veſtigia apparent imitationis Plutarcheae Conſol. Apollon. p. 118. E. τὸ ἀλγοῦν τῆς ψυχῆς ἀποθεραπεύειν παιωνίοις λόγȣ φαρμάκοις.

Ib. Κἂν βακχεύμασι νήφειν ἀναγκαῖον. Color ductus eſſe videtur ex Euripidis celebratiſſimo loco Bacch. v. 317. καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν Οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

S. XVII. καί πως παραληφθεῖσα ἡ τοῦ πανουργεῖν τέχνη, τοῖς κάλλεσι καὶ μεγέθεσι τὸ λοιπὸν ὑποδέδυκε. *Ars; cum in auxilium vocatur, latet ſub pulchre magnificeque dictis.* Sana est vulgata lectio. Ita S. XXXI. ἐναργέστατα παρείληπται, recte vertit Pearcius, *ſignificantisſime uſurpatur.* XXXVIII, οὐ γὰρ τὸ πρᾶγμα ἕνεκα τῆς ὑπερβολῆς παραλαμβάνεσθαι δοκεῖ;. *non enim res asſumi videtur augendi causſa.*

S. XVIII. Ἀπάγειν *auditorem*, i. e. *eum fallere & a te abducere*, Platonicum est, Phaedr. p. 351. C.

S. XXVI. Πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα, πρὸς αὐτὰ ἀπερειδόμενα τὰ πρόσωπα, ἐπ' αὐτῶν ἵστησι τὸν ἀκροατὴν τῶν ἐνεργȣμένων. *Talia enim omnia dicta, quae ad ipſas perſonas convertuntur atque diriguntur, audientes veluti praeſentibus rebus admovent; & facta ipſa oculis ſubjiciunt.* Hic est verus loci ſen-

ſenſus, a quo aberravit Pearcius, cum ignoraret vim verbi ἀπερείδεσθαι, quod ita est apud Platonem Rep. L. VI. p. 479.A, & Plutarchum T. II. p. 198.C. 457.A.

S. XXVI. Ἱκανὸς δὲ τοῦτο τεκμηριῶσαι καὶ Πλάτων. Fundus dictionis est Thucydid. I, 9. Ὅμηρος δεδήλωκεν, εἴ τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι. Unde ſumſit etiam Aelianus, H. A. IV, 21, εἰ δή τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι ὑπὲρ τῶν τοιούτων Κτησίας: & reſtituendum V. H. II, 41, εἴ τῳ καὶ Ἡρόδοτος ἱκανὸς τεκμηριῶσαι, pro vulgato ἐπεί τοι καὶ Ἡρ. Sic est eodem opere VII, 6. Ἀνδρωτίων λέγει — εἴ τῳ πιστὸς τεκμηριῶσαι. Dictione aliis multis locis utitur Aelianus, v. c. H. A. VII, 48, IX, 15, 33. X, 37. XII, 45. XIII, 21. XV, 29. Et diligens Thucydidis imitator Dionyſius Hal. in Dem. p. 199. & A. R. L. III. p. 189. ἱκανοὶ δὲ τεκμηριῶσαι τὸ κράτος αὐτῆς πολλαὶ πόλεις.

S. XXXII. Συνενθουσιᾷν τῷ λέγοντι, dictio est Plutarcho frequens, v. c. T. II. p. 26. A τοῖς μὲν ἐν λεγομένοις — συνενθουσιῶντος: ib. p. 476. E. 540. C. Julian. Or. I. p. 31. D. Eunap. in Maxim. p. 82.

Ib. *Caecilius vitia Platonis cupide reprehendens, ex iis ſolis continuo* (αὐτόθεν) *de eo judicavit, eumque Lyſiae longe poſtpoſuit.* Hæc est ſententia

Longini, quam bene conſtituit Toupius, & in qua ſingularis est vis adverbii αὐτόθεν, *continuo*, *temere*, *levi argumento*, eademque Plutarcho frequentata, v. c. T. II. p. 57.B. 131.F. 363.C. 377.C. 392.E. 407.C. 421.F. 450.E. 529.B. & alibi ſaepius.

Ib. τὸ δὲ ἦν ἄρα οὐχὶ τοιοῦτον. Elegans formula, qua utitur Ariſtides T. I. p. 314. τὸ δὲ οὐ τοιοῦτον ἄρα ἦν.

S. XXXIV. Ἐκ περιττοῦ, hoc ſenſu est apud Platonem, Leg. L. V. p. 607. E τοῖς ἄλλοις ὑπερέχειν ἐκ περιττοῦ: alio ſenſu Protag. p. 204. F.

S. XXXVIII. Ἔστι γὰρ — παντὸς τολμήματος λεκτικοῦ λύσις καὶ πανάκειά τις τὰ ἐγγὺς ἐκστάσεως ἔργα καὶ πάθη. *Est enim omnis audacter dicti excuſatio quaedam ac medicina, ſi facta & caſus, de quibus dicitur, in ſe habeant terrorem, & modum excedant.* Non est quod cum T. Fabro pro λύσις reponamus ἴασις; ita enim ſolent auctores Longino familiares, v. c. Demoſthenes Ep. III. p. 115. B. κἂν ἀτυχήσωσί τι, ῥᾳδίας εἶναι τὰς λύσεις. Plutarchus T. II. p. 404. A. περὶ τῆς ἁμαρτίας ἠρώτα τὸν θεὸν, εἴ τις εἴη παράκλησις ἢ λύσις.

S. XLII. συγκοπὴ — κολούει τὸν νοῦν. Ita veriſſime correxisſe T. Fabrum, pro κωλύει, do-

docet etiam Plutarchi conſuetudo, cui nil frequentius eſt hoc verbo, & reſtituendum ſimiliter pro καλύω T. II. p. 69. E, & alibi.

XLIV. Ἐφελκύσαι, ſi a Longino eſt, accipi poteſt tamquam *de flumine, quod alias res attrahit & ſecum aufert*: ut loco non diſſimili Platonis Rep. L. VIII. p. 492. A. Sed memoranda erat omnino melior, veriorque lectio codicis Pariſini ἐπιπλῆσαι: cujus verbi vim egregie expoſuit Tib. Hemſterhuſius ad Lucian. T. I. p. 345.

Ib. τὸ — ὑπὸ συνηθείας ἀεὶ κεκονδυλισμένοι. Exquiſitum verbum, cujus mira eſt ad ſenſum efficacia, ex eodem fonte derivaſſe videtur Longinus ac Philo Judaeus de Temulent. p. 269. B: cujus locum transſcripſit totum Herennius, ineditus Ariſtotelis interpres; quod Ruhnkenius vidit, poſteaquam ſuas cum Toupio communicaſſet animadverſiones.

Ib. — ἐπὶ κρίσει μέν τις δεκασθεὶς, οὐκ ἂν ἔτι τῶν δικαίων καὶ καλῶν ἐλεύθερος καὶ ὑγιὴς ἂν κριτὴς γένοιτο. ἀνάγκη γὰρ τῷ δωροδόκῳ τὰ οἰκεῖα μὲν φαίνεσθαι καλὰ καὶ δίκαια. Recte Toupius οἰκεῖα ſervavit atque defendit. Sed μὲν aut delendum, aut mutandum in μόνα. Videtur autem hic locus adumbratus eſſe ex Plutarcho T. II. p. 48. E: οὐκ ἐστὶν αὐτοῦ κριτὴν δίκαιον οὐδὲ ἀδέκαστον εἶναι. τυφλοῦται γὰρ τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον. ἂν

μή τις μαθὼν ἐθισθῇ τὰ καλὰ τιμᾷν καὶ διώκειν μᾶλλον, ἢ τὰ συγγενῆ καὶ οἰκεῖα. Quae ipſa ducta ſunt a Platone Leg. L. V. p. 606. D.

Habet etiam laudem haud mediocrem hic liber a chartae typorumque elegantia. Ad legentium vero commodum haud inutile fuiſſet adjici indices in ipſum Longinum & in notas Ruhnkenii: nunc unum habet haec editio indicem, in notas *Toupianas*. Nam quod ſuperiorum interpretum animadverſiones non repetitae additaeque ſunt, fortaſſe ipſius editoris conſilio factum eſt, qui non vetera, ſed nova, & ſua, dare voluit.

III. AL-

III.

ALBII TIBULLI *Carmina. Libri tres cum libro quarto Sulpiciae & aliorum. Novis curis caſtigavit Chr. G. Heyne, M. Britan. Regi a Conſil. Aul. Eloq. ac Poëſ. P. P. O. & Bibliothecarius Georgiae Auguſtae. Editio altera emendatior & auctior.* 8. *Lipſiae apud Joannem Fredericum Junium* 1777.

Si quis bonarum literarum conditionem, quae nunc est in Germania, ſine partium ſtudio conſideret, fateatur neceſse est, hanc gentem cuivis alii elegantis doctrinae, ſive Graecae, ſive Latinae, laude, aut parem eſse, aut non ita multo inferiorem. Ne complures, quibus merito gloriatur, enumeremus, unum laudemus Erneſtum, Latine ſcribendi elegantia, artisque criticae facultate ſupra omnes excellentem; cui varia eruditione proximum eſse Heynium, quis est, qui neſciat, aut neget?

At Latinae poëſios in iisdem oris facies hodie non est aeque laeta. Cumque olim Germania Lotichios, Sabinos, Heſſos ederet, Veterum veſtigia prementes, nunc nullum magni oris poëtam Lati-

num aut profert, aut ad noſtram certe notitiam perducit. Quin & veram poëtas antiquos tractandi rationem fruſtra apud illos quaerimus, ſi, quam male habitum non ita pridem ad nos tranſmiſerint Manilium, quam jejune Propertium, reputemus.

At bene habet, quod idem Heynius communem ruinam fulciat, & hanc quoque laudem patriae ſervet integram: quem virum cum primis poëtarum ſoſpitatoribus comparare non veremur. Illuſtre ejus operae ſpecimen ante hos viginti annos vidimus in Tibullo, quem juvenis edidit. Illuſtrius nuper in poëtarum principe, Virgilio. Tibullus cum novis curis auctior & caſtigatior hoc ipſo tempore repetitus ſit, age, praecipuas libri dotes poëtarum ſtudioſis enarremus.

Tibulli igitur poëtae omnium, qui unquam ſcripſerunt, ad naturam proxime accedentis indolem & mores, iisque conveniens ſcribendi genus oſtendit Heynius pagina IX. A pag. X. usque ad XXII exponit, tanquam in ſtemmate, proſapiam ac ſtirpem lectionis Tibullianae, per praecipuas, quae prodiere, editiones deductam; eademque opera enumerat Codices, quorum auctoritate poëtae ſtat lectio. Codices Tibulli, qui exſtant, ſeculo XV aut XIV non fere antiquiores ſunt; & ex uno omnes Codice, qui hodie periiſſe cenſetur, manarunt. Cui rei argumento eſt, quod in locis mutilis conſpirant omnes libri in corruptelam. Editio

princeps Anni 1472 ab Heynio creditur eſſe fundus editionum Venetae 1475, Regienſis 1481, Vicentinae 1482, Lipſienſis f. a. Hanc editionum claſſem cum novi Editores fere negligerent, principatum obtinuit altera, etſi deterior, lectio per Venetas & Aldinas propagata, & quae ex editione Romana A. 1475 profluxit. Haec igitur Romana pro altera principe haberi poteſt. Ex hac expreſſae Brixienſis 1486, Venetae 1487, aliorumque annorum. His ſucceſſere Aldinae A. 1502 & 1515, quarum haec, magno eruditionis apparatu correcta, praeclarum emendatiori Tibulli lectioni fundamentum jecit. Priorem Aldinam expreſſere Colinaeanae & Baſileënſes; alteram Veneta per Scotum 1531 & Gryphianae. Sed nihil innovatum ante Muretum, cui non parum Tibullus debet, & plus debere putaretur, niſi Scaliger eum debita laude fraudaſſet. Tibullum edidit Muretus A. 1551: Ach. Statius A. 1567, multis codicibus collatis; & Aldinam ſecundam ſecutus.

In hac autem lectionis Tibullianae propagatione monſtranda ſe felicius nunc in nova Editione verſatum eſſe, quam antea, jure affirmat Heynius: nactus interea optimarum Editionum copiam, Vicentinae, Aldinarum, & Corvinianae; & uſu rei criticae, quem in prima Editione juvenis jam inſignem in ſe eſſe oſtenderat, viginti annorum lapſu haud parum aucto & firmato.

Lectionum varietates, quas Douza pater a Lipſio acceperat, ex Codd. Romanis excerptas, ex parte ſaltem ab ingenio doctorum Italorum profectas esſe, Heynius exiſtimat. (p. XIV.)

Tandem Joſ. Scaliger, vir acerrima judicandi vi praeditus, exiſtimans antiquisſimum Tibulli Codicem aliquot pagellis transpoſitis turbatum fuisſe, temere elegiarum & verſuum ordinem pro *arbitrio* mutavit & trajecit: quam Scaligeri rationem non vanis argumentis damnat Heynius, &, post Vulpium, in edendo Tibulli textu deſeruit, revocato antiquisſimarum editionum & fide dignisſimarum ordine. (p. XIV.) Hic illic etiam Heynius in Obſervationibus locis ſuis oſtendit, Scaligeri transpoſitiones fuisſe temerarias, aliquando manifeſte falſas.

Idem etiam vir ſummus, Joſ. Scaliger, nimio in Muretum odio ſe abripi pasſus, Aldinam priorem, quam ſecundam, maluit ſequi. Cumque Scaliger ad Tibullum doctrinae exquiſitae potius maximas copias, quam ſenſum Tibulliance ſimplicitatis afferret, factum est, ut a Mureto diſcedens plurima refinxerit, docte quidem ſemper & ingenioſe, ſed more modoque a Tibulli genio ſaepe abhorrenti. Broukhuſio tamen Scaligerum religioſe ſequente, Scaligerana recenſio perperam pro praeſtantisſima haberi coepit.

Post Pasſeratii, Jani Douzae filii, & Gebhardi com-

commemorationem venit Heynius ad Broukhuſium; quem elegantis ingenii virum & multarum literarum haud dubie eſſe, ait, & qui Tibullus plurimum debeat; aequo ſane judicio, cui pollem paullo duriora & iniquiora addidiſſet Heynius. Contra Vulpio, qui nulla re par fuit Broukhuſio, ſe nescio quomodo aequiorem praebet. Unde ſaepe factum est, ut paſſim Broukhuſianas interpretationes levi vel nulla de cauſſa reprehenderet, Vulpianos errores praeteriret, aut benignius exciperet.

Recenſitis Broukhuſii copiis, inter quas eminent, quas a Nicolao Heinſio acceperat, monet Heynius, Vulpium Scaligeri transpoſitiones ejeciſſe, & Broukhuſianam lectionem multis locis deſeruiſſe; ſeque adeo Vulpianam editionem ſuae olim fundum feciſſe; nunc vero majore editorum librorum apparatu instructum, longius à Scaligero & Broukhuſio receſſiſſe, paſſim lectione ſuperiore reducta, inprimis ex veterum editionum claſſe altera, quae a Veneta principe manavit. Porro contulit Heynius rariſſimam illam ex Codice Corvini Regis expreſſam editionem, nemini fere in his terris viſam; quamquam ea ſuppeditavit pauca, quae non in aliis quoque ſcriptis libris occurrerent. A p. XXIII usque ad XXXIII enumerat Heynius Codices ſcriptos & virorum doctorum in Tibullum emendationes, quae hic illic in bibliothecis latent, futuro Editori ex maxima parte adhibendae. Ex his autem omni-

 bus

bus quin nova lux & medela Tibullo adferri poſſit, non eſt, quod dubitemus. Quis enim, harum deliciarum amantior, non Tan. Fabri & Salmaſii conjecturas magno emtas velit? Adde, quod non omnino omnia Heynius ex Codicibus aut Editionibus iis, quibus uſus eſt, excerpſerit; imo multas virorum doctorum Emendationes praetermiſerit, in commentariis ad alios auctores obvias. *A pag.* XXXII ad pag. uſque XLVIII Heynius accurate admodum omnes Tibulli editiones enumerat, & quo quaeque cenſu ſit aeſtimanda definit. Harum multas Editores tantum abeſt, ut excuſſerint, ut nonnullas etiam ignoraverint.

Omiſit in hoc Editionum catalogo, quod aliter fieri vix potuit, unam alteramque Heynius. Occurrit mox Editio Mediolanenſis A. 1480 in *Broukhuſii* catalogo: Gryphiana A. 1548 in 12°, quam memorat rei librariae vir peritiſſimus, P. A. Crevenna in catalogo inſtructiſſimae, quam poſſidet, bibliothecae: & editio Antverpiana apud Chriſtophorum Plantinum A. 1560 charactere Romano, quam vitio numeri natam putat Heynius, nos vero plus ſemel oculis uſurpavimus, & nunc in Francii, Broukhuſii & Crevennae catalogo invenimus. Dein *Graeferi* editio Lugdunenſis A. 1607 in 12. hoc titulo: *Catulli, Tibulli, Propertii opera, quae exſtant omnia; ad vetuſtiſſ. Cod. Bibliothecae Jac. Graiſeri fideliter edita; quibus acceſſerunt Cornelii Galli fragmenta.*

In

In dedicatione ad Anton. Rueſſerum, Juriſconſultum, ſcripta, Graſſerus ait: „Quamvis Il-
„luſtris noſter Scaliger, deſideratiſſime Antoni,
„Triumviros hos Amorum tanta reſtituerit ſo-
„lertia, ut addi vix quippiam poſſit, plurimis
„tamen vetuſta exemplaria, neglecto Criticorum
„curioſo arbitrio, magis probantur. Quocirca
„cum hoc meo vetere Codice in celebrioribus
„Galliae & Angliae bibliothecis meliorem de-
„prehendere non potuerim, illius copiam rogan-
„ti typographo feci, humanioribus ingeniis gra-
„tificatus".

Potuiſſet etiam nominare Heynius editionem A. 1608 in f°. impreſſam Lutetiae in officina Typographica Claudii Morelli, via Jacobaea ad inſigne fontis, non ſine Regis privilegio: qui titulus eſt libri, quem ipſi poſſidemus, a nemine forte memoratum: apparent in illa editione, textui ſubjectae notae Cyllenii, Statii, Mureti, Douzae filii, Scaligeri. Hanc autem meram repetitionem eſſe exiſtimaverim Editionis 1604 (niſi eadem ſit, titulo tantum fraude bibliopolae mutato) quam memorat Heynius, & ſuſe P. A. Crevenna Vol. III. biblioth. p. 184. cujus in editionis titulo (iterumque p. 241.) Heynius quidem typographum dat *Cl. Morellum*. Sed & Crevennae & aliorum, quae vidi exemplaria, *Marcum Orry, via Jacobaea, ad inſigne Leonis ſalientis*; & ipſe Fabricius eam non impreſſam ait apud Cl.

Mo-

Morellum, ſed curatam a Fed. Morello; quod verum puto, cum & Fed. Morelli notas, & verſiones Graecas Catulli & Tibulli elegiae contineat. Memoratur & editio Amſtelodamenſis A. 1651 in catalogo Broukhuſii.

A pag. XLIX ad LVIII. vitam Tibulli dedit Heynius, a Vulpio olim confectam, ibi ſynopſi chronologica ab Ayrmanno; ſed his falcem immittendo, & verum ab hariolationibus vindicando, non parum recti judicii oſtendit novus Editor.

In ipſo Tibulli textu tractando duplex inſtitutum ſecutus eſt Heynius: quorum alterum cernitur in omnibus, quae ad poëtae intelligentiam facere poſſint, declarandis & luce neceſſaria donandis: alterum, in vera lectione conſtituenda.

Itaque verbis poëtae ſubjecit explicationes, plurimas quidem ex Broukhuſianis & ſuperiorum Interpretum commentariis, ſed & multas ex ſuis ipſe eruditionis & ingenii copiis, non mediocri cum verae pulcritudinis ſenſu depromptas: qua in parte nescias judicium viri magis mirere in eligendis optimis, &, quae ſupervacua videri poſſent, relinquendis, an ſagacitatem in exquiſitis & nondum obſervatis deprehendendis. Nec raro ſuis locis explicat uberioris doctrinae theſauros. Quarum interpretationum ope, fatendum eſt, omnes, qui vel levem linguae peritiam ad Tibullum legendum attulerint, ceteris commentariis

va-

valere jusſis, posſe poëtam intelligere, & magna cum voluptate facilitateque in ejus lectione verſari. Quod ſi haec Veteres auctores tractandi ratio tam idoneis ſemper manibus committeretur, nos nihil haberemus, quod in ea reprehenderemus; imo vero illam perutilem tironibus & aliis, in hoc literarum genere non longe provectis, exiſtimaremus; optandumque esſet, ut difficilioribus etiam Tibullo poëtis adhiberetur. Sed, dum alii, tali impares negotio, ut nuper Janus in Horatio facere inſtituit, haec imitari ſtudent, multum veremur, ne ad Delphinicas interpretationes, aut ineptas Variorum conſarcinationes recidamus; ne dicam, hanc ipſam Heynii rationem ſuis incommodis laborare.

Cum vero Heyniani operis pars praecipua ſit illa, qua agitur de Tibulliana lectione conſtituenda; hanc paullo accuratius inſpiciamus. Atque hic ita verſatus est vir eruditisſimus, ut in critica arte felicisſimis ingeniis aequandus ſit; pari enim ſagacitate & corruptelae originem indagavit, & novas poëtaeque elegantia dignas reperit lectiones.

Juvat hic aliquot loca ponere, in quibus Tibulli manum asſecutus esſe videatur.

L. I. El. IV. v. 24. (Broukh. 20).

Gratia magna Jovi; vetuit pater ipſe valere,
Jurasſet cupide quidquid INEPTUS *amor.*

Hic

Hic probabili conjectura reponit Heynius: *inultus.* Nempe quia iſta perjuria non vindicantur.

L. I. El. IV. v. 80.

Tempus erit, cum me Veneris praecepta FERENTEM
Deducat juvenum ſedula turba ſenem.

Blanditur Heynii conjectura: *ſerentem.* Ceterum in minori verſu *ſenem* eſſe veram lectionem, quam etiam oppoſitum *juvenum* commendat, dubitare non ſinit locus Callimachi, unde hoc expreſſum eſſe, post Statium & Erneſtum ad Callimachi fragm. XI. p. 420, monuit Heynius in notis. Tamen ſilentio praetereundum non erat, Gebhardum pro *ſenem* edidiſſe *domum*: quae lectio & in Scaligeri *notis* reperitur, & cui loca plurima, a Broukhuſio & Vulpio, & ab Oudendorpio ad Cic. II. de Invent. c. 1. licet non eo conſilio ad partes vocata, veri ſpeciem conciliare poſſint. Ceterum ex ſuae artis ratione Juriſconſultus eruditiſſimus, Briſſonius, hunc Tibulli locum egregie illuſtrat, L. III. de Formul. c. 85. p. 310.

Ibid. v. 81.

Heu heu! quam lento Marathus me TORQUET *amore.*

Ingenioſe Heynius malit: *torret.*

Ho-

Horat. III. Od. XIX. v. 28.

Me lentus Glycerae torret amor meae.

Ovid. III. Art. v. 573. de amatore ſene.

Ignibus hic lentis uretur, ut humida taeda.

probat hanc conjecturam etiam Cl. Burmannus Secundus in commentario Propertiano, III, 4, 39, opere nunc ab omnibus avide exſpectato, quod nobis per amicitiam viri humaniſſimi videre contigit, Propertius ait:

Me quoque conſimili impoſitum torquerier igni.

Et illic *torrerier* Palmerio & Francio placuiſſe, notatum est.

L. I. El. V. v. 64. (Broukh. El. VI. v. 28.)

Pauper in anguſto fidus comes agmine turbae
SUBIICIETQUE *manus, efficietque viam.*

Aptius utique Heynii *objiciet*, quam vulgatum *ſubjiciet*, ex Horat. II. Sermon: V, 49.

—— *extrahe turba,*
Oppoſitis humeris.

L. I. El. VI. v. 7. (Broukh. El. VII. v. 7.)

Illa quidem TAM MULTA *negat: ſed credere durum eſt,*
Sic etiam de me pernegat usque viro.

Hey-

Heynius ſuſpicatur legendum eſſe:

Illa quidem IURATA *negat* cet.

Ex Ovidio, II Triſt. v. 474.

Credere juranti durum putat eſſe Tibullus;
Sic etiam de ſe quod neget illa viro.

Sed vide ipſum Heynium pluribus egregiam conjecturam adſtruentem.

L. I. El. VII. v. 49. (Broukh. El. VIII. v. 49.)

Huc ades, & CENTUM ludis, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

ludis est e conjectura Statii, cum omnes ad unum Codices & editiones antiquae, & Raphelengia etiam, habeant *ludos*; unde verſum ſic refinxit Heynius:

Huc ades & GENIUM ludo, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

Qua palmaria conjectura nihil praeclarius aut verius reperiri poſſe, credimus. Nec hujus inventi laudi quidquam detrahitur, quod idem eodem fere tempore in mentem venit eximio Critico, Jer. Marklando, Animadverſionibus Anglice ſcriptis in Ciceronem p. 68.

L. I. El. X. v. 11. (Broukh. El. X. v. 11.)

Tunc mihi vita foret VULGI, *nec triſtia noſſem*
Arma, nec audisſem corde micante tubam.

vulgi est in omnibus Codicibus; unde Heynius format *Valgi*; ut alloquatur poëta amicum Valgium; de quo videri potest Broukh. ad Lib. IV. 1, 180. Sane ſit veriſimile, librarios pro nomine ſibi incognito ſcripſisſe una litera mutata *vulgi*.

L. II. El. III. v. 75. (Broukh. I, 9. 68.)

Ah! pereant artes, & mollia jura colendi,
Horrida villoſa corpora veſte tegant.

Hexameter non in omnibus legitur Codicibus. Emendatio Heynii, pro *mollia jura* legentis *mollis cura*, juncta Scaligerano *tegam*, vel, quod Cl. Burmanno paullo elegantius videbatur, *tegar*, facit, ut locus Tibullo non indignus ſit.

Has maxime inſignes, ex duobus tantum prioribus libris excerptas, ſub uno conſpectu ponere viſum est, ut, quid Heynius praeſtitisſet, clarius eluceret, nec intermixtis aliis confunderetur.

Nunc, libri praecipua dote commemorata, nonnulla loca, quae vel longiore disceptatione indigere, vel nondum extra omnem dubitationis aleam poſita esſe nobis viſa ſunt, ſubjiciemus.

L. I. El. I. v. 3. (Broukh. v. 45.)

Quem LABOR *aſſiduus vicino terreat hoſte:*

Si *labor* ſumas pro periculo, vel quovis incommodo bellico, bene *terrere* dici poſſe videtur, nec opus eſſe lectione:

Quem clamor ſubitus vicino terreat hoſte,

quae a proſa nihil differt, niſi quod metro, eoque plumbeo, decurrat. In loco Silii L. XV. v. 52.

— aberunt ſitis aspera, & hauſtus
Sub galea pulvis, partique TIMORE LABORIS:

quem & Heynius in vitio cubare ſenſit, commode cum Burmanno legi poteſt:

—— partique labore timores.

quam patrui emendationem proponit Cl. Burmannus Secundus ad Propertium III. IX. 6.

Labor aſſiduus dicitur etiam de quocunque labore quo quis in vita exercetur, Valerio Flacco VI, 713.

Nec labor aſſiduus, nec ſpes ſua fallit alentem.

L. I. El. II. v. 1.

Adde merum, vinoque NOVOS *compeſce dolores.*

in

in aliis Codicibus pro *novos est*, *graves*: hoc ſolum in Codicibus repertum mallit Heynius; non ego. Alterum Tibullo egregie vindicat Lucceji fragmentum, quod totum ex poëta noſtro adumbratum est, Anth. Lat. Tom. II. p. 8.

Verſaretque novus viscera tota dolor.

Ib. v. 7.

Janua, difficilis domini, te verberet imber;
Te Jovis imperio fulmina miſſa petant.

Domini Heynius cum Scaligero, Broukhuſio & Vulpio edidit, cum in nonnullis Codicibus ita inventum esſet. Edidere tamen Statius & Veneta A. 1493, Muretus, Gryphius, Paſſeratius, Pariſienſis A. 1608. Livinejus & Raphelengius, *dominae*, quod rejicit Heynius: ego rectisſimum puto, modo ne ſecundo caſu accipias, quod quidam fecerunt, & diſtinguas:

Janua, difficilis dominae, te verberet imber.

Nempe, quia clauſis foribus amatorem non poterat admittere Delia, illud est, quod dixerat, *cuſtodiam ſaevam puellae poſitam*, & poſtea moneat, ut *fixo dente poſtes*, *ſeu fores*, *reſeret*, furtim lecto descendens: lege locum usque ad v. 32. Miror, hoc non obſervatum esſe a Bentlejo, qui hunc Tibulli locum tractavit in notis ad Horatium L. I. Od. XXV. v. 5.

amatque Janua limen, Quae prius multum facilis movebat Cardines.

Ib. v. 40.

Nam fuerit quicunque loquax, is ſanguine natam,
Is Venerem e RAPIDO *ſentiet esſe mari.*

Rapido recte defendisſe Broukhuſium, ait Heynius. Broukhuſius quidem nullo argumento ſententiam adſtruxit. Itaque cum Fruterio, Livinejo & Bentlejo ad Lucanum III. 235 malim, quod & in Codicibus comparet, *rabido*; maris enim ſaevitiae hoc magis convenit, & *rapido* recurrit verſu abhinc quinto proprie de flumine uſurpatum.

Ib. v. 67. (Broukh. El. I. v. 69.)

Ille licet Cilicum VICTAS *agat ante catervas,*
Ponat & in capto Martia caſtra ſolo.

Qui Ayrmanni veſtigiis inſiſtens, recte *victas* repoſuit Heynius, haeſitat in Obſs. utrum de victore ex acie in caſtra redeunte accipiat, an de ipſa hoſtium fuga. Poſterior ſententia unice vera est. Virgil. III. Georg. v. 552.

Pallida Tiſiphone morbos agit ante metumque.

Phylarg. ibi. *agit ante*, id est, *ante ſe*. Seneca. Epiſt. 94. *multi ſunt qui* AGANT ANTE SE AGMINA ET TERGIS HOSTIUM GRAVES INSTENT, *& ad mare magnum*

num perfuſi caede gentium veniant; ſed hi quoque ut vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt. Nemo illis venientibus reſiſtit, ſed nec ipſi ambitioni, crudelitatique reſtiterant: tunc cum AGERE *viſi ſunt alios*, AGEBANTUR.

Conſtructionem forte invertit Tibullus in Eleg. V. v. 56. (Broukh. I. VI, 20.)

Currat & inguinibus nudis, ululetque per urbes;
POST AGAT *e triviis aspera turba canum.*

ſi ſuppleas: *agat lenam.* Ad quem locum potuerat monere Heynius, pro *currat* in Codice Palatino legi *Quaerat*, ſenſu non malo, ſi locum, cum verſu, qui illic praecedit, conferas.

Ib. v. 89. (Broukh. I. V. v. 47.)

Vidi ego, qui juvenum miſeros luſisſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.

juvenum miſeros luſisſet amores Heynius explicat, *ludibrio habuisſet amores, quibus juvenes in puellas feruntur.* Non ſatis recte, me judice: ludit amores juvenum, qui juvenes eludit, fallitque ſe amantes. Sic Tibullus El. VIII. v. 71. ſeqq. (Broukh. IX. v. 75.)

Hic Marathus quondam miſeros ludebat amantes,
Neſcius ultorem poſt caput eſſe Deum.

Saepe etiam lacrymas fertur riſiſſe dolentis,
Et cupidum ficta detinuiſſe mora.
Nunc omnes odit faſtus.

At hunc verborum ſenſum ab hoc loco quam maxime alienum esſe, quivis, qui vicina comparaverit, judicabit. Nempe credo tres Noſtri verſus eſſe confuſos: hunc 89.

Vidi ego, qui juvenum miſeros luſiſſet amores.

alterum El. VIII. v. 71.

Hic Marathus quondam miſeros ludebat amantes.

tertium El. IX. v. 1. (Broukh. X. 1.)

Quid mihi, ſi fueras miſeros laeſurus amores.

Locum autem, de quo dicere incepimus, ſic legendum eſſe arbitror:

At tu, qui laetus rides mala noſtra, caveto
Mox tibi; non unus ſaeviet usque Deus.
Vidi ego, qui IUVENIS MISEROS RISISSET *amantes,*
Post Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.

Huc ducit *ſenis* & *juvenis* oppoſitio: confer ſeqq. Silentiarius Anthol. lib. VII. Ep. 40.

Γυιοβόροις βελέεσσιν ἀκέμβατος ὁ πρὶν Ἐρώτων,
Αὐχένα σοι κλίνω Κύπρι μεσαιπόλιος.

Vo-

Vocum *amores* & *amantes* ſolemnis est confuſio. vid. Heyn. Obſs. ad. L. I. El. VIII. v. 1. & v. 71. & ad El. IX. v. 1.

L. I. El. III. v. 63.

At juvenum ſeries teneris immixta puellis
Ludit, & aſſidue praelia miſcet Amor.

Pro *immixta* dubitat Heynius, an elegantius dixiſſet *innexa:* concederem, ſi brachiorum fieret mentio aut chorearum, ne quis in mentem revocet Ovidiana:

Haeret adulterio cum cane nexa canis.

Tibullum expreſſit Bonefonius, poëta tenerrimus, quamvis Latinitatis non ſatis caſtigatae, Baſio VI.

Errabant mixti nudis per rura puellis,
Et ſuus haerebat cuique perennis amans.

L. I. El. IV. v. 54. (Broukh. v. 48.)

Tunc tibi mitis erit, rapias tunc cara licebit
Oſcula; pugnabit, ſed TAMEN APTA *dabit.*
Rapta dabit primo, max adferet ipſe roganti;
Post etiam collo ſe implicuiſſe volet.

Oſcula apte explicat Heynius, *quae ore apte applicata dentur*, & adhibet verba Sapphus apud Ovid. XV.

 Her-

Her. v. 132.

Oſcula cognoſco, quae tu committere linguae,
Aptaque conſueras accipere, apta dare.

Mihi a Tibullo nihil tam alienum videtur, quam laudatus Ovidii locus. Oſcula Sapphus non erant detrectantis, qualia hic propter praecedentem & ſequentem verſum requiruntur, ſed laſcivientis in amore. Locum in mendo cubare exiſtimo, cui ita mederi tento, a ductu literarum forte non longe aberrans:

Tunc tibi mitis erit, rapias tunc cara licebit
Oſcula, pugnabit, ſed MALE RAPTA *dabit.*
Rapta dabit primo cet.

male est vix & cum aliqua difficultate erepta. Ovid. I. Art. 667.

Quis ſapiens blandis non miſceat oſcula verbis?]
Illa licet non det, non data ſume tamen.
Pugnabit primo fortasſis, &c., Improbe, dicet.
Pugnando vinci ſed tamen illa volet.
Tantum ne noceant teneris male rapta labellis.

Porro ejus generis repetitio in deliciis est Tibullo, L. I, El. III. v. 3.

Abſtineas avidas mors, precor, atra manus.
Abſtineas mors atra precor.

quo

quo etiam in loco, ni caviſſent venuſti homines, per librarios iteratio fuiſſet obliterata. Et L. III. El. II. v. 3.

Qui primus caram juveni, carumque puellae
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Ferreus ille fuit.

repetunt boni codices: nunc vero in hexametro editur, *Durus & ille fuit.* Ovidio eadem elegantia familiaris: XV. Her. v. 154.

Concinit Iſmarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn.

XIIII. Her. v. 140.

Imponet galeam, barbaraque arma dabit.
Arma dabit, dumque arma dabit, ſimul oscula ſumet.

in Arte L. I. v. 536.

Perfidus ille abiit, quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait.

Quae liberaliore manu dedi, non omnibus, ſed leporis poëtici ſenſu praeditis. v. 55. *offeret* pro *adferet* error est typographi.

L. I. El. IV. v. 26. (Broukh. v. 22.)

Perque ſuas impune ſinet Dictynna ſagittas
Adfirmes, CRINES perque Minerva ſuos.

 Apud

Apud veteres unumquodque numen propria formae dote cenſebatur: pedum pulchritudine Thetis, crurum Diana, comae flavae Aurora, promiſſae Venus & Apollo & Bacchus, digitorum Minerva: & harum rerum nomine Dii Deaeque fere a poëtis laudantur. Exiſtimavit Heynius reſpici ad pulchritudinem crinium Minervae in hoc Noſtri loco, a Tzetza ad Lycophr. 838, & his Servii ad VI. Aeneid. 289. *Meduſa, erecta favore Neptuni, auſa est crines ſuos Minervae capillis praeferre: qua re indignata Dea, crines, quibus amatori maxime placuerat, in ſerpentes vertit.* Apud Tzetzam nulla capillorum Minervae fit mentio: apud Servium video crines hujus Deae a Meduſa contemtos, nec tamen inde conficiam, revera fuiſſe pulcros. Meduſa quidem, comarum laude excellens, punita est comis in angues mutatis. Sed & alia acceſſit vindictae ratio, quod in Minervae templo Meduſa vim fuerat paſſa. Auctor est, Servio non deterior, Ovidius in fine Lib. IV. Metam. de Meduſa locutus:

—— clariſſima forma,
Multorumque fuit ſpes invidioſa procorum
Illa: nec in tota conſpectior ulla capillis
Pars fuit: inveni, qui ſe vidiſſe referret.
Hanc pelagi rector templo vitiaſſe Minervae
Dicitur. averſa est, & castos aegide vultus
Nata Jovis texit. neve hoc impune fuiſſet,

Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros.
Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hoſtes,
Pectore in adverſo, quos fecit, ſuſtinet angues.

Cum vero conſideres Deos Deasque, non ſecus ac nos homines, maxime indignari atque irasci, non illa re ſpreta, qua omnium judicio maxime excellunt: hanc enim dicteriis lacerare magis est ſtulti, quam faceti hominis: ſed bilem tum ipſis moveri, cum illud ludibrio habetur, quo parum valent, aut aliqua ex parte ſunt ridiculi; haec, inquam, cum conſideres, ex narrata Meduſae hiſtoria elicias potius, capillos Palladis non nimis fuiſſe a pulcritudine commendatos. Sic Propertius veretur, ne Cynthia ſua ideo morbo ſit implicita, quod Minervae oculos negasſet esſe pulcros. L. II. El. XXI. v. 14.

Palladis aut oculos auſa negare bonos?

Atqui Minervae oculos ab Antiquitate improbatos & ſaepe late irriſos, videbis apud illos, quos ibi laudat Cl. Burmannus, Heinſium praecipue ad Ovid. II. Art. 659. Iſta formae vitia diſſimulabat Pallas, galeam capiti induendo. Ne dubita, quin hoc ſpectans Ovidius V. Her. 35. illam *ſumtis Aegis decentiorem* vocat. At tota fabella de pulcritudine comae Minervalis Cyllenii cerebro debetur, cui ſeculi ratione habita ignoſcendum est; inde petita Broukhuſii, Vulpii, Heynii commentarios ob-

obſedit. Tanti eſt, Interpretibus, etiam optimis, non nimis fidere.

Quid enim? ſi vel maxime capillitio Jovis filia excelleret, id tamen ad hunc Tibulli locum nihil faceret. In jurando, ut majorem fidem faciamus, illud atteſtamur, quo, ſi fallimus, praeſentisſimas perjurii poenas ſumat Numen; Dianae non crura, Apollinis non crines, aut lyram, ſed utriusque arcum & ſagittas. De Diana ſententiam firmat Noſter:

Perque ſuas impune ſinet Dictynna ſagittas
Adſirnes.

De multis aliis Diis A. Statius claſſicum locum huc attulit Juvenalis Sat. XIII. v. 82.

— adſpice quanta
Voce neget, quae ſit ficti conſtantia vultus.
Per ſolis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cyrrhaei ſpicula vatis:
Perque tuum, pater Aegei Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, haſtamque Minervae,
Quidquid habent telorum armamentaria coeli.

Nempe alia Diis propitiis, alia iratis arma. Arcitenentem Phoebum pulcre exhibet Propertius & citharoedo opponit L. IV. El. VI. v. 31. ſeqq. Horatius L. II. carm. X. v. 18. ante Bentlejum vulgo male intellectus. Homer. Iliad. A. v. 44 & 45.

45. Ovid. II. Metam. 602. ſeqq. III. Amor. 3, 29. Dianam Ovidius XX. Her. v. 115. Sed quid nunc fiet ei, de quo agimus, Tibulli loco? quis nolit crines Minervae clypeo ejus vel etiam aegide mutare? haec enim ſunt turbatae Palladis arma, Gorgoneis hydris non minus verenda ſagittis Dictynnae. Equidem lego:

Perque ſuas impune ſinet Dictynna ſagittas
Affirmes, CLIPEOS *perque Minerva ſuos.*

Nec quem turbet pluralis numerus: mecum facit Naſo, III. Her. v. 119.

Quam manibus clypeos, & acutae cuspidis haſtam,
Et galeam preſſa ſuſtinuiſſe coma.

Obſervetur etiam, clypeum Palladis inſigne eſſe & ſymbolum, ut ſagittae ſunt Phoebes, eaque conjungi quoque a Claudiano II. de Raptu Proſerpinae v. 39.

— *potuitque videri*
Pallas, ſi clypeum, ſi ferret ſpicula, Phoebe.

L. I. El. IV. v. 72.

Blanditiis vult eſſe locum Venus ipſa: querelis
Supplicibus, miſeris fletibus illa favet.

Offendit ſane omiſſio copulae inter *querelas ſupplices*

&

& miſeros fletus. Huic incommodo ingenioſe Heynius medebatur hoc modo:

Blanditiis vult eſſe locum Venus: ILLA *querelis*
Supplicibus, miſeris fletibus illa favet.

Praeferenda tamen videri poſſit conjectura, quam aliquando mecum communicavit Cl. Burmannus Secundus:

Blanditiis vult eſſe locum Venus ipſa: querelis
SUPPLICIS ET *miſeris fletibus illa favet.*

L. I. El. V. v. 33.

Et, tantum venerata virum hunc, ſedula curet;
Huic paret atque epulas ipſa miniſtra gerat.

Facio cum Heynio, qui in hac demum editione cenſuit, hoc diſtichon a Tibulli manu non eſſe, Quamvis ne ipſe quidem Cl. Schraderus, qui tot verſus ſpurios obelo ſuo confixit, fraudem ſuſpicatus ſit. In conjectura autem Withoviana, quam Schraderus p. 137. *Emendationum* proponit, rationem ſermoni & nitorem conſtare non puto:

Huc veniet Meſſala meus, cui dulcia poma
Delia ſelectis detrahet arboribus;
Et tantum venerata virum, cui ſedula curet,
Cui paret, atque epulas ipſa miniſtra gerat.

huic ſedula curet, neglecta eliſione, probaſſe etiam vi-

videtur Hagenbuch. in Epiſt. Epigraph. P. 83. Pro *gerat* cum Cl. Burmanno Secundo aptius legi poteſt *ferat*, nempe in menſam.

L. I. El. VI. v. 64. (Broukh. El. VII. v. 69.)

Vive diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuiſſe velim.

Notandam esſe locutionem *tecum contribuiſſe*, non mutandam, cenſet Heynius. Facio potius cum eodem Burmanno, qui audaci, ſed egregia, conjectura reponit:

Vive diu: TIBI, *dulcis anus, proprios ego* VITAE,
Sit modo fas, annos contribuiſſe velim.

L. I. El. VIII. v. 36. (Broukh. El. IX.)

At Venus inveniet puero ſuccumbere furtim,
Dum tumet, & teneros conſerit usque ſinus.

Tumet, ὀργᾷ, ait Scaliger, ſenſu corporeo; quomodo & accipere posſis Horatianum:

—— *ſomnus tamen aufert*
Intentum Veneri.

Sed Scaliger illud recepit ex nullo Codice aut Editione. Et debebat Heynius ſaltem memorare, in Statii Codice illo Sfortiano legi *tenet:* quod ut non dixerim verum esſe, ita non nemini placere posſit.

So-

Solet Tibullus *tenere* ponere, pro *amplecti*:

> *Te teneam moriens deficiente manu.*
> *Te tenet, abſentes alios ſuſpirat amores.*
> *Saepe aliam tenui, ſed jam quum gaudia adirem,*
> *Admonuit dominae deſeruitque Venus.*
> *Quisve meam teneat, quot teneatve modis.*

Vicina etiam in hoc loco commode ad amplexum referri poſſunt.

Ib. v. 40. (Broukh. El. IX. v. 40.)

> *Non lapis hanc gemmaeque juvent, quae frigore ſola*
> *Dormiat; & nulli ſit cupienda viro.*

Haec fere est lectio & interpunctio Scaligeri, niſi quod praeterea *dormiet* legat. Conſtruit Scaliger: *Hanc non juvent gemmae, &* (ſc. haec) *ſit cupienda nulli:* quod durius eſſe, agnoscit Heynius, qui & ſententiarum nexum deſiderat. Addo incommodum interpoſitae alterius orationis. Ante Scaligerum ubique edebatur *juvant*, quod verum cenſeo, modo adſciscatur egregia lectio *capienda*, Codicis unius apud Gebhardum & libri Sfortiani, quem hic iterum neglexit Heynius:

> *Non lapis hanc gemmaeque juvant, quae frigore ſola*
> *Dormiat, & nulli ſit capienda viro.*

Interpretor: *gemmae* (*quibus ornatae feminae virum*

quae-

quaerunt) nulli uſui ſunt puellae; quae nocte hiberna velit ſola dormire, & ſe nulli viro capiendam, potiundam, praebeat.

Helena apud Ovidium XVII. Her. 92:

— his poterant pectora noſtra capi.

XX. Her. v. 43.

Sit dubium, poſſisne capi, captabere certe.
Exitus in Dis eſt: ſed capiere tamen.

L. I. El. IX, v. 25. (Broukh. El. X. v. 25.)

Ipſe Deus tacito permiſit LENA *miniſtro,*
Ederet ut multo libera verba mero.

Redeat *lena*, per me licet, ad lupanar, unde malum huc pedem intulit; nullam enim, quam Heynius ſubintelligit, Tibullus in vicinis verſibus memorat *dominae miniſtram.* In Codicibus & Editionibus nihil ſani conſpicitur. Audendum igitur:

Ipſe Deus tacito permiſit LORA *miniſtro,*
Ederet ut multo libera verba mero.

Lora enim vel habenas capere, mutare, inhibere, dare; permittere, metaphorice ad quosvis regiminis, coërcitionis, aut libertatis concedendae actus transferuntur: notum Petronii illud:

— mutet habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma.

Propertius III. VII. 57.

Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae,
Dexteraque immisſis da mihi ſigna rotis.

ubi vide Paſſeratium.

Ovid. I. Art. v. 41.

Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis.

Rem. Amor. 397.

— attrahe lora
Fortius, & gyro curre, poëta, tuo.

II. ex Ponto VIII, 24.

Juſtaque vindictae ſupprime lora tuae.

I. Metam. 280.

Fluminibus veſtris totas immittite habenas.

Ib. v. 44. (Broukh. El. X. v. 44.)

Saepe inſperanti venit tibi munere noſtro,
Et latuit CLAUSAS *post adoperta fores.*

Piget exſcribere, quae multis verbis ad hunc locum diſputant tres Interpretes recentiſſimi. Mihi res ad liquidum perduci non poſſe videtur, niſi pro *clauſas* reſtituamus *valvas*, nempe cubiculi Marathei:

Et latuit VALVAS *post adoperta foris:*

Certe

Certe ſe valvis occultasſe amantes, manifeſtum ex Ovidio I. Amor. VIII. 22.

> *Fors me ſermoni teſtem dedit, illa monebat*
> *Talia, me duplices occuluere fores.*

ubi v. 109. ſubjungit, paullo poſt umbra ſua ſe proditum esſe. Et valvis, credo, Cynthia ſe occultaverat, auditum Teiam & Phyllida cantantes & cum Propertio ſuo ludentes, L. IV. El. VIII. v. 51.

> *Quum ſubito rauci ſonuerunt cardine poſtes,*
> *Et levia ad primos murmura facta lares.*
> *Nec mora, cum totas reſupinat Cynthia valvas.*

Duplices autem *fores* Ovidii, δικλίδες, quin eaedem ſint ac valvae, nemo dubitabit, cui in mentem venerit initium L. II. Metam.

> *Argenti bifores radiabant lumine valvae.*

& XII. Her. v. 150.

> *Conſtitit ad geminae limina prima foris.*

ubi *limina prima* conveniunt cum *primis lateribus* Propertii.

L. I. El. X. v. 26.

> *Non ſeges eſt infra, non vinea culta, ſed audax*
> *Cerberus, & Stygiae navita TURPIS aquae.*

Pro

Pro *turpis* in plurimis codicibus est *puppis*; ex paucis MSS. Broukhuſius non male praetulit *turpis*. Longe praeſtat tamen cum Cl. Burmanno Secundo legere *triſtis*; propter illud Virgilii de eodem Charonte, VI. Aen. 315.

Navita ſed triſtis nunc hos, nunc accipit illos.

quod pluribus adſtructum videbis in commentariis Viri Eruditisſimi, quo nemo nunc feliciorem poëtis ſanandis manum adhibet, ad Propertium L. IV. El. VII. v. 55.

Lib. II. El. I. v. 83.

De Cupidine locutus Tibullus addit:

Vos CELEBREM *cantate Deum.*

Blanditur ejusdem Burmanni conjectura, *celerem* pro *celebrem*, alatum nempe Cupidinem. Sic *volitantem Amorem* vocat Noſter v. 39. *Deum volucrem* Ovid. II. Art.

Lib. II. El. V. v. 23.

Romulus aeternae nondum formaverat urbis
Moenia, conſorti non habitanda Remo.

Formaverat veram lectionem esſe contendit Heynius. Vellem exempla veterum attulisſet, ubi *formare* pro *condere*, *exſtruere*, dicatur. Interea praeferam lectionem Cyllenii, *firmaverat*: qui & commode

mode explicat, *Urbem ſeptam muro, ne quis trans-grederetur, per ſupplicium nondum firmaverat*, appoſito Propertii loco, III. VIII. 50.

Celſaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordiar, & caeſo moenia firma Remo.

Aurelius Victor c. 1. (*Romulus*) *ut Romam prius legibus, quam moenibus, muniret, edixit, ne quis vallum tranſiliret, quod Remus irridens tranſilivit, & a Celere centurione rutro fertur occiſus.* —— Oroſius L. II. c. IV. *Romulus interfecto primum avo Numitore, dehinc fratre, arripuit imperium, urbemque conſtituit: regnum avi, muros fratris, templum ſoceri ſanguine dedicavit.* —— quae loca debemus Drakenborchio ad Livium L. I. c. VII. Eadem lectionis varietas apud Claudianum I. de Rapt. Proſerp. 236.

Devenere locum, Cereris quo tecta virebant.
Cyclopum firmata manu.

ubi Heinſius & Burmannus de hac ipſa re inter ſe disſentiunt.

Ib. v. 117. (Broukh. v. 121.) videtur legendum:

Ipſe geret laurus, lauro devinctus agreſti,
Miles, io, magna voce, triumphe, canet.

Geret, nempe Meſſalinus manu, in curru triumphali. *Gerens* puto in textum eſſe intruſum a non

intelligente; ut conveniret cum participio *devinctus*. *Canet*, vulgatum, praefero conjecturae Scaligeranae, & intelligo quemvis militem; nec enim Tibullus tantum *io triumphe* clamando Meſſalinum celebraret, ſed juſto carmine, modo puella vati parceret.

Ib. v. 111.

Vixque cano Nemeſim, ſine qua verſus mihi nullus
Verba poteſt, juſtos aut reperire pedes.

Recte Heynius in Obſervationibus notat, priora verba tum per ſe languida eſſe, tum veritati repugnare, cum amanti poëtae nihil prius ſit amatae puellae laudibus; tum vero etiam cum ſequentibus verbis non ſatis convenire. τὸ *vixque* in codicibus non reperitur: in veteribus Editionibus legitur, *Usque cano Nemeſi*: quod bonum quidem ſenſum efficit, ſed ipſum quoque languet. Audacior quis forte tentaret:

Urit amor Nemeſis.

Ut ad hunc Tibulli verſum reſpexerit Martialis L. XIV. Epigr. 193.

Uſſit amatorem Nemeſis laſciva Tibullum.

alium enim in Tibullo locum, quo hoc referam, non invenio. Notari autem meretur, Cyllenium in commen-

mentario ad Tibull. I. V, 30. & in praefatione in hoc Martialis verſu, pro *Usſit*, laudare *Luſit*, quod cum *laſciva* non male facit: ſed tantum in Editione Veneta 1493. nam in Pariſina A. 1608. mutarunt in *Usſit*. De Tibulli igitur & Martialis loco ſtatuant aeutiores.

L. II. El. VI. v. 33. (Broukh. VII. 12.)

Parce, per immatura tuae precor oſſa ſororis:
Sic bene ſub TENERA *parva quieſcat humo.*

Tenera, quae levis ſit, res nota: ita Interpres. *Tenera* tamen in tali re me legere non memini. Scio Tibullum hac voce admodum delectatum eſſe, & Martialem *humum mitem* & *mollem* mortuis apprecatum. Magis proprie tamen *tenui* ſcripſiſſe exiſtimo, quia vulgo *levis*, *non gravis*, *non oneroſa*, *nullo pondere*, optatur. Juvenalis Sat. VII. v. 207.

Di majorum umbris tenuem & ſine pondere terram
Spiranteisque crocos, & in urna perpetuum ver.

Haec, quamvis duos tantum libros priores perluſtravimus, disputaſſe ſufficit; ut praeclara Heynii in Tibullum merita cognoscantur, utque ſimul exemplis aliquot oſtendatur, veterum poëtarum ſtudioſis, nondum omnem de Tibullo bene merendi materiam eſſe conſumtam. Ad quam ipſam rem

magnum praeſidium afferet Heynii Editio, qui primus lectionum propaginem ſatis accurate indagavit. In nova hac Editione addidit quoque non inutiliter Elegiarum argumenta. Nec diſſimulandum, egregio veri amore ductum Heynium a ſententia, quam in ſuperiore Editione defenderat, in hac ſaepe receſſiſſe. Exempla invenies in notis ad L. I El. V. v. 25. in Obſſ. ad v. 36. ibid. ad *L. I.* El. X. v. 11. & ad L. II. v. 49. Quin & ingenio hilariori indulgens nonnumquam a re propoſita digreſſus est: veluti not. ad L. II. El. V. v. 18. Obſſ. ibid. ad v. 37. & ad v. 78. ubi ea leges, quae apud noſtri ordinis homines, Grammaticos dico, non temere quaeſiveris.

L. S.

RE-

RELATIONES BREVIORES.

I. Πλουτάρχου περὶ τῆς τῶν ἐλευθέρων παίδων ἀγωγῆς. *Accedunt bina ejuſdem Plutarchi, & Marcelli Sidetae Medici, Fragmenta. Graece. Recenſuit Joh. G. Schneider. Argentorati.* 8. 1775. Saepius & a multis hicce libellus editus eſt in ſcholarum uſus. Eſt enim haec pervulgata opinio, Graecae Latinaeque linguae diſcendae initium faciendum eſſe ab iis libris, ex quibus etiam rerum utilitas percipi poſſit. Sed fit plerumque, ut res vel non ſatis habeant ſuavitatis ad excitandum alendumque puerile ſtudium, vel tantum obſcuritatis, ut verba & oratio non percipi poſſint ab ea aetate. Quod quidem in hocce etiam libello contigit: qui cum ſit de puerorum educatione, creditum eſt, ipſos pueros haud facile ex alio libello melius Graecam linguam addiſcere poſſe. Et vero nec lenocinium habet ad puerorum ſenſum atque ingenium, nec rerum praeſtantiam, nec orationis magnopere elegantiam. Neque etiam ex Plutarchi profectus eſt excellenti ingenio: quod alibi demonſtrabimus. In contextu conſtituendo & rebus illuſtrandis Schneiderus maxime quidem uſus eſt copiis Heuſinge-

 rianae

rianae editionis; ſed haud raro tamen ſuo ipſe ingenio utiles addidit obſervationes. Lectiones codicis Augustani, quas adjecit, non ſunt magni momenti, & plerumque cum editis conſentientes. Neque etiam vulnus inveteratum & gravius ullum ſanatur. Laudabili conſilio adjecta ſunt duo Fragmenta Plutarchi ex libris de Anima, edita primum a Thirwitto V. Cl. Londini. vid. Bibl. Cr. P. II. p. 120. Ad haec optimam deprehendimus Schneideri obſervationem eam, qua p. 71. ex aliis Plutarchi libris eadem excitatur ſententia. Marcello Sidetae quid cum Plutarcho ſit negotii, neſcimus. Alterum fragmentum extat apud Aetium & Paulum Aeginetam; alterum apud Fabricium B. G. Sed videamus deinceps alios ejusdem Schneideri libros.

II. *Oppiani, Poetae Cilicis de Venatione Libri IV, & de Piſcatione Libri V, cum paraphraſi Graeca librorum de Aucupio. Graece & Latine. Curavit Joh. Gottlob. Schneider. Argentorati.* 8. *maj.* 1776. Primo loco exhibentur duo, quae quidem ſuperſunt, Oppiani carmina, alterum de Venatione, de Piſcatione alterum, & librorum perditorum de Aucupio vetus nec inelegans paraphraſis Eutecnii Sophiſtae. Sequuntur verſiones Latinae, ſoluta omnes oratione: Turnebiana carminis de Venatione: Schneideriana de Piſcatione: & Paraphraſeos verſio a Conrado Gesnero facta. Denique Schneideri Animadverſiones p. 345-438. Ha-

Habuit editor, praeter libros typis expreſſos, quatuor ſcriptos ex bibliotheca regia Pariſienſi, & exemplum Ritterhuſianum, cui Fr. Guietus ſua ipſe manu correctiones adſcripſerat: tum vero diligenter collegit atque commemoravit conjecturas recentiorum Criticorum per varia eorum ſcripta diſperſas. Atque cum ex his fontibus, tum ſuo ipſe ingenio contextum multis locis ſaniorem facilioremque praeſtitit: quamquam in recipiendis conjecturis, in primis Brunckii V. Cl. ſolutior fuit, quam critica religio ferret. Est quoque haec ejus operae pars laudanda, quae ducta est ex ipſius argumenti ſcientia; cum non negligens fuerit editor in adferendis obſervationibus auctorum veterum & juniorum, qui de animalium natura ſcripſerunt. Nec minus etiam ea editoris animadverſio probanda est, qua carmen de Venatione ei Oppiano, cujus est de Piscatione, abjudicat, & ad recentiorem quendam rejicit. Omnino in libris de Venatione multae ſunt & rerum ineptiae, & orationis vitia, & Latinismi veſtigia. Vellemus tamen, totam hanc animadverſionem ab editore uno loco peculiariter clare perſpicueque expoſitam, nec variis locis carptim & currendo tactam fuisſe. Diligentius quoque erant notandae imitationes poetarum, quos ſecutus est Oppianus: in quo genere haud pauca obſervaverat Conr. Rittershuſius in Commentariis, qui adeo non erant negligendi, ut, ſi noſtra res fuisſet,

eos

eos integros adjecisſemus. Nam quod Scholia vetera omiſſa ſunt, non reprehendimus; nil enim magnopere habent doctrinae. Ex codice tamen regio quaedam Scholia in animadverſionibus commemorata ſunt, quae vim aliquam habere viderentur ad inveſtigandam veram lectionem. Sed de univerſa Scholiorum ratione temere judicat editor. Nam praef. p. 20. exhibentur quatuor, *quibus continentur* auctoritates Theophraſti, Callimachi, Philoxeni, Choerobosci: quae quidem alibi quoque exſtant, & Theophraſtea, ut deprehendimus, in Eclogis Maximi & Antonii p. 939. Sed quid Schneiderus? Nimirum ait, *ſe haec commemoraſſe in eorum gratiam, qui omnia ſolleriter indagant & cupide produnt, quae quantumvis levia aut inepta in vetuſtis libris exſtant Scholia inedita.* Itane haec levia & inepta ſunt? An vero est ejus, qui ſe Criticum profiteatur, tales antiquae reliquias doctrinae cum ſupercilio contemnere, & nescire accuratam antiquitatis ſcientiam ex ſparſis ubique fragmentis conſtare. Ita quidem alios etiam viros doctos ſtatuere novimus, ſed eosdem ſaepius in joculares errores incidere vidimus. Sed credibile est, Schneiderum rectius de hoc genere exiſtimaturum, cum remiſſo hoc edendi ſcribendique ſtudio & impetu, ejus doctrina magis maturuerit.

III. *Carminum Pindaricorum Fragmenta. Curavit J. Gottlob Schneider. Argentorati.* 14 *plagg.* 4. 1776.

Hoc

Hoc libro Heyniana Pindari editio abſoluta eſt. Ipſe de ſua opera non magnifice ſentit Schneiderus: quam quidem modeſtiam laudamus. Neque vero etiam ab eo exſpectabatur in hoc genere opus, quale in Callimacho Bentlejus, vel in Euripide Valckenarius perfecit. Horum quippe perfectio duplici laude continetur: primum materiae copia ex ſingulis univerſisque auctoribus antiquis, & abditis etiam Scholiorum receſſibus, eruta collectaque eſt: tum ratio, judicium, ſenſusque longo uſu tritus acceſſit, ad cognoſcendum poetae ingenium, conſuetudinem & numerorum rationem. Atqui Pindarici carminis numeros ipſe ſe neſcire fatetur Schneiderus. Fragmentorum vero magnam partem eum latuiſſe, nos deprehendimus. Neque tamen propterea non valde utilis, laudandaque eſt ejus opera. Nam ea, quae hucusque ferebatur, Pindaricorum Fragmentorum collectio, a Schneidero multis partibus locupletata eſt, & Fragmenta quaeque ad ſua opera, quoad ejus fieri potuit, relata ſunt.

IV. *Analecta Critica in Scriptores Veteres Graecos & Latinos. Faſciculus Primus. Edidit Jo. Gottlob. Schneider.* 8. (pagg. 84.) *Trajecti ad Viadrum,* 1777. Tres, quos modo commemoravimus, libri magnam habent commendationem ab elegantia chalcographiae Argentinenſis: hic non item. Neque tamen propterea minus nobis jucundus accidit: cum quod

cog-

cognovimus, Schneiderum debito ejus doctrinae praemio potitum eſſe, delata ad eum literarum profeſſione in Academia, quae eſt Francofurti ad Viadrum: tum quod nobis intellexiſſe videmur, ejus animum atque ingenium ab illa acerbitate moroſitateque, cujus crebra ſunt veſtigia in aliis ejus ſcriptis, paulatim ad aequitatem humanitatemque remitti. Quatuor partibus conſtat hic faſciculus: quarum argumenta in fronte libelli expoſita ſunt. Prima verſatur in conquirenda explicandaque *notitia quorumdam poëtarum Epigrammatographorum*, quam provinciam a nuperrimo Anthologiae editore, Brunckio, V. Cl., neglectam monuimus. Secunda continetur *ſupplementum Commentarii Euſtathiani in Dionyſium Periegetam*, *ex Codice Regio Pariſienſi.* Tertia habet *Auctarium animadverſionum in Oppiani Cynegetica.* Quarta eſt *de dubia carminum Orphicorum vetuſtate & auctoritate*: quae ſane quam utilis eſt ad refutandos homines non ſatis peritos antiquitatis, qui ex iſtis carminibus, tamquam ab ipſo ſcriptis Orpheo, rerum antiquiſſimarum ſcientiam haurire ſibi videntur, eamque aliis etiam venditare conantur. Argonautica quidem antiquiora ſunt, quam Hymni & carmina de Lapidibus, in quibus quippe indicia ſunt multo recentioris barbariei & ſuperſtitionis. Geſnerum, noviſſimum horum carminum editorem, qui eo inclinabat, ut ea omnia vel ad ipſum Orpheum vel ad antiquiſſimam tamen aetatem

tem referret, hunc igitur credimus aliter judicaturum fuiſſe, niſi ejus mentem ſenectutis torpor & praejudicata opinio praepedivisſent.

V. M. T. *Ciceronis ad Quintum Fratrem Dialogi tres de Oratore. Animadverſiones Interpretum excerpſit, ſuasque adjecit Theophil. Chriſtoph. Harleſ.* 8. *Noribergae* 1776. Haud mediocrem init gratiam ab antiquae elegantiae ſtudioſis, qui tantae excellentiae libros, quantae ſunt Ciceroniani de Oratore, repeti & ad communem uſum divulgari curet; etiam ſi nullam addat commendationem a novarum animadverſionum emendationumque praeſtantia. Verum Harleſius, V. Cl. huic editioni aliquam doctrinae utilitatem adjecit. Primum commemoravit lectiones codicis Erlangenſis ab Erneſto neglectas: deinde locos difficiliores ex interpretum obſervationibus, quoad ejus fieri potuit, explicuit; ut omnino vim haec editio habere videatur, & tironibus ad proficiendum, & provectioribus ad reminiſcendum.

VI. *Notitia Codicum Manuſcriptorum Graecorum, Bibliothecarum Mosquenſium, Sanctisſimae Synodi, Eccleſiae Orthodoxae Graeco-Ruſſicae, cum variis Anecdotis, Tabulis aeneis, & Indicibus locupletisſimis. Edidit Chriſtianus Fridericus Matthaei, Gymnaſiorum Univerſitatis Mosquenſis Rector. Mosquae, typis Univerſitatis. fol.* 1776. *Pars I. Sectio I. pagg.* 62. Omnis quidem opera vehementer est laudanda,

da, quae ponitur in Veterum libris, qui in bibliothecis ſervantur, indagandis, eorumque indicibus conficiendis, & ad publicam utilitatem conferendis; ſed praecipuo quodam jure, ſi talis ſit ea opera, qualis eſt in hocce libro. Nam & bibliotheca nemini hucusque fuit acceſſa, qui in antiquae elegantiae monumenta diligenter inquireret: copiaeque ejus adeo ac divitiae *doctis hominibus* incognitae jacuerunt: & qui eam nunc primum deſcribit & communi notitiae patefacit, non eſt, ut vulgo ſunt, qui bibliothecarum catalogos faciunt, nulla librorum quos deſcribit ſcientia inſtructus: ſed eſt elegantis vir doctrinae, ex diſciplina Erneſtina, Graecae linguae ſcientia *haud* vulgari, & ſtudio bonarum literarum flagrantiſſimo. Et prima quidem hac Sectione quae *continentur*, fere omnia ſunt ex eccleſiaſtico genere; quorum ea tantum cum noſtro conſilio conjuncta ſunt volumina, quae opera Baſilii Magni, Gregorii Naz., Gregorii Nyſſeni, & Joannis Chryſoſtomi ſcripta, complectuntur; reliqua, ſive Homiliae ſint, ſive Synodica, ſive Aſcetica, ſive alia ejusmodi, a priſca venuſtate noſtroque inſtituto ſunt remotiora. Externae vero, ut vocant, ſeu elegantis doctrinae monumenta haecce ſunt: Cod. VI. Ariſtotelis Metaphyſica cum Scholiis Alexandri Aphrodiſienſis, & Syriani in ſecundum librum diſquiſitionibus. Cod. VII. Ariſtotelis Phyſicae Auſcultationis Libri V, cum

Scho-

Scholiis Simplicii in compendium redactis a Georgio Scholario. Quibus addi poteſt Cod. I. Alexandri Tralliani Therapeuticorum Libri XII, & Rhaſis libellus de Peſte. Nos vero cupide ſequentes Catalogi partes exſpectamus, quod audivimus, optimorum exempla Graecorum Scriptorum in illa bibliotheca exſtare. Sed videamus nonnullos a Matthaeo editos Moſquae libros Graecos, quorum qui quidem ad nos delati ſunt, item vel ex eccleſiaſtico genere vel ex recentiore aetate ſunt.

VII. *Joannis Xiphilini & Baſilii Magni aliquot Orationes. Ex variis Codicibus edidit, & animadverſiones adjecit Chriſtianus Fridericus Matthaei, Gymnaſiorum Univerſitatis Mosquenſis Rector. Typis Univerſitatis Caeſareo Mosquenſis.* 4. 1775. Xiphilini ſunt Homiliae quinque, Baſilii tres: omnes, quod ſciamus, ineditae. Hae quamquam magis a pietate, quam ab exquiſita doctrina commendantur, habent tamen orationis elegantiam. Atque hinc occaſio nata est editori, ut ſubinde in animadverſionibus exquiſitiores formas dictionesque exponeret.

VIII. *Gregorii Theſſalonicenſis Orationes decem, cum ſingulis Joannis Chryſoſtomi, & Amphilochii Iconienſis. Acceſſit quoque Fragmentum Jo. Damasceni. Ex quinque codicibus manuſcriptis, primum edidit C. F. Matthaei, Univerſitatis Caeſareae Mosquenſis Profeſſor.* 8. 1776. Libri hujus inſcriptionem retuliſſe ſufficiat.

IX. *Iſocratis, Demetrii Cydone, & Michaelis Glycae aliquot Epistolae. Nec non Dionis Chryſoſtomi Oratio περὶ λόγυ ἀσκήσεως. Partim ex codice Helmſtadienſi, partim ex codicibus Mosquenſibus edidit & animadverſiones adjecit C. F. Matthaei Univerſitatis Caeſareae Mosquenſis Profesſor.* 8. 1776. Iſocratis ſunt decem epistolae, quas cum codice Helmſtadienſi contulerat Reiskius ὁ μακαρίτης, & varietatem lectionis cum Matthaeo communicaverat. Nona epiſtola, quae est ad Dionyſium Tyrannum, nimium habet Sophisticae argutiae, quam *ut ab* Iſocrate ſcripta videatur; nec temere tribuatur Theophylacto Scholastico, inter cujus epistolas exſtat in codice Mosquenſi. Matthaei animadverſiones ſunt a p. 59 usque ad p. 132, *multumque* habent utilitatis, tum ad res intelligendas, tum ad dictionis vim percipiendam. Demetrii Cydone epiſtolae ſunt octo, ad Imperatorem Manuelem Palaeologum, ſupra ſeculi iſtius conſuetudinem elegantes. Sequuntur tres epiſtolae Michaelis Glycae, minime comparandae cum antecedentibus, vel doctrina, vel oratione. Dionis oratio item collata est cum codice Mosquenſi, & varietas lectionis commemorata.

X. Sed quantum lucri & jam fecerint & porro exſpectare debeant bonae literae, ex Matthaei V. Cl. diligentia in excutiendis hujus bibliothecae theſauris, vel ex hoc uno intelligi poteſt, cujus notitiam

titiam non poſſumus facere, quin antiquae venuſtatis amantibus impertiamus. Est igitur inter libros Mosquenſes unus etiam qui Hymnos Homeri contineat; in quibus adeo duo ſunt inediti, alter in Cererem quadringentorum circiter verſuum, alterius, qui est in Bacchum, fragmentum. Eos ejusdem esſe, ac reliqui editi hymni, antiquitatis; cum ratio colorque carminis prodit, tum Pauſanias est auctor, qui quosdam ex altero verſus laudavit. Utriusque exemplum cum Ruhnkenio communicavit Matthaei humanitas.

XI. Hoc vero loco, cum mentionem fecimus reperti germanae antiquitatis monumenti, in mentem nobis venit duarum, quae ſub Horatii nomine vulgatae nuper ſunt, Odarum, in menſtruo libello Anglico, (*Gentlemans Magazine Menſ. Januar.*) Harum igitur quin fraudem ac fallaciam verbo notemus, committere non posſumus. Quis ſit earum opifex nescimus; eum non esſe Horatium liquido affirmamus. Neque vero est, quod eas hoc loco repetitas exhibeamus, & fallaciae indicia ſingillatim demonſtremus. Neminem enim idoneum harum rerum judicem, in iis vel antiquitatis verum colorem, vel Horatianum ingenium, vel ſinceram latinitatem agniturum putamus.

XII. *Eine Rede des Libanius. Zum erſtenmale aus einer Handſchrift der Churfl. Bibliothek zu München abgedrukt.* Leipzig. 8. 1775. i. e. *Libanii*

Declamatio una, nunc primum edita ex codice Bibliothecae Electoralis, quae est Monaci. 8. *Lipſiae.* 1775. Serius quidem commemoramus hunc libellum, recenti tamen adhuc ejus gratia ac jucunditate. Est enim veluti nuncius majoris operis, quod avide exſpectamus, omnium nimirum Libanii operum. Nam Reiskius, vir egregius, ſingulari quadam felicitate nactus Libanii codices ſcriptos Monacenſes & Auguſtanos, qui non ſolum integriorem ſinerioremque exhiberent Graecum textum, ſed declamationes etiam ineditas continerent ſeptem, conſilium ceperat adornandae novae hujus Sophiſtae-editionis. Quod conſilium cum mors immatura praevertisſet, vidua ejus, praeſtantisſima foeminarum, ſuscepit, neque committere voluit, ut hujus incepti fructu literatus orbis defraudaretur. Nos quidem eo magis Reiskianam editionem literarum amantibus commendamus, quo rariora ſunt exempla Morelliana, quo corruptiora inquinatioraque vitiis eadem ſunt, quo majus denique ipſius Libanii est momentum ad ſcientiam cum rerum gestarum, tum Atticae eloquentiae veteris & recentioris. Sed juvat ipſius formam & conſilium Reiskianae editionis exponere, ex proſpectu, ſ. deſcriptionis ſchedula, quae proximo anno prodiit. Complectetur igitur illa editio praeſtantiorem rarioremque Libanii partem, Orationes & Declamationes, cum eas quas Morellus duobus volu-

luminibus formae maximae Pariſiis edidit, tum eas quas poſtea ſeparatim Godofredus Genevae, Fabricius in Bibliotheca Graeca, & Bongiovannus Venetiis ediderunt, tum ſeptem quas in ſuis codicibus reperit Reiskius. Accedet varietas lectionis cum notis Reiskii. Univerſum opus conſtabit quatuor voluminibus formae octavae majoris. Nam verſio Latina nulla adjicietur, quae quippe libri molem praeter rem augeret. Quodſi tamen ſint, qui eam deſiderent, ſeorſim eam excudendam curabit bibliopola. Epiſtolarum Libanii, poſt ultimam Wolffii editionem formae maximae, exempla ſunt ſane frequentia & pervulgata: tamen, ſi eas quoque iisdem typis & forma exprimi velle viros doctos, intelliget bibliopola, non deerit eorum deſideriis. Ne quem vero Germanicae chalcographiae cogitatio ab emendi conſilio deterreat, non abs re erit monere, hanc editionem expresſum iri operis Richteri Altenburgenſis, qui, prae ceteris ſuis civibus, & chartae nitore & typorum elegantia ſaepius artem nobis ſuam commendavit, & Libanio quoque eam ſe adhibiturum pollicetur. Ceterum Declamatio, cujus titulum propoſuimus, est germanae Libanianae venuſtatis & eloquentiae, neque etiam vitiis magnopere corrupta, exceptis aliquot locis; de quibus fortasſe alio tempore monebimus. Eam vero etiam accurate ad fidem codicis ſcripti redditam eſſe, aliunde novimus.

XIII. *Longi Paſtoralium de Daphnide & Chloë Libri IV. Curavit, varietatem ac notas R. Columbanii, G. Jungermanni, P. Molli, & ſuas, cum Laurentii Gambarae Expoſitis addidit Benj. Gottl. Laur. Boden, Prof. Poeſ. ap. Vittebergenſes.* 8. *Lipſiae.* 1777. Qui editoris doctrinam & criticam facultatem ex ejusdem Achille Tatio, cujus nuper cenſuram egimus, cognoverint, facile de hac Longi editione ſtatuent, ſi dicamus, minus etiam in ea quam in Achille Tatio praeſtitum esſe. Gambara carmine Heroico, eoque eleganti & venuſto, quod ab argumento *Expoſitos* vocavit, Longum non tam vertit, quam imitando ſecutus est. Molli autem notae, quas cuncti ex Scapula compilatas norunt, librum non ornant, ſed onerant. Itaque minime est verendum ne haec editio praecipiat auferatque gratiam Pariſienſis editionis, quam multis doctrinae copiis exornat Villoiſonus V. Cl, quamque propediem ad nos perventuram ſperamus.

XIV. *Chreſtomathia Poetica Graeco-Latina. Edidit Dav. Chriſtoph. Seybold. Prof. Jen. Lemgoviae.* 8. 1775. Est quidem haec utilitas atque hoc conſilium Chreſtomathiarum, ut collectis uno volumine locis veterum Auctorum vel facilioribus vel jucundioribus, tironum ſenſui aliquem antiquae elegantiae guſtum praebeant, eorumque ſtudium excitent ad univerſa etiam Auctorum opera cognoſcenda ac legenda. Sed calamitates ſaepius variae hunc

hunc conſilii fructum intercipiunt; inter quas duae in primis commemorandae ſunt. Nam vel legentes brevitate facilitateque iſtorum compendiorum deliniti, paulatim ita iis adhaereſcunt, ut ad ipſos Auctores numquam accedere audeant, & ad nomina adeo majorum operum exhorreſcant, ac, veluti guſtata loto, propoſitum ad doctrinae ſedes iter relinquant & ex animo abjiciant. Vel ipſorum, qui tales libellos compilant, ignorantia atque ſocordia fit, ut neque Auctorum illae partes, neque ea ratione exhibeantur, quae accommodatae ſint hujus utilitatis conſilio. Atque hanc quidem calamitatem praeſtare poteſt Chreſtomathiae conditor, illam non item. Itaque nos maxime illa dote hujus libelli commoti, eum commemoramus. Et primum illud non eſt negligendum, Chreſtomathiam hanc eſſe Graeco-Latinam, non ut Graecis locis additae ſint Latinae verſiones, ſed ut Graecorum poetarum locis ſubjecti ſint loci poetarum Latinorum, qui idem argumentum tractarunt. Quae res cum valeat ad ingeniorum cenſuram, haud parum commendat rationem atque judicium editoris. Sunt vero haecce libelli capita. I. Deſcenſus ad inferos, ſ. Νεκυομαντεῖαι, Ulisſis ex Homero, Aeneae ex Virgilio, Scipionis ex Silio Italico. II. Orationes adverſariae Ajacis & Ulisſis apud Quint. Calabr. & Ovidium, Drancis & Turni apud Virgilium, Hannonis & Geſtaris apud Silium Italicum. II. Ar-

gumenta Clypeorum ex Homero, Quinto Calabro & Virgilio. IV. Luctae certamina, apud Homerum, Theocritum, Apollonium Rhodium, Valerium Flaccum, Virgilium & Statium: V. Curſus certamina ex Homero, Virgilio, & Statio. VI. Eriſichthonis Fames, apud Callimachum & Ovidium. Notulae additae ſunt paucae quidem & breves, ſed utiles tamen & accommodatae ad eorum ingenia, quibus ſcriptae ſunt. In praefatione etiam varietas lectionis ex codice Merſeburgenſi exhibetur ad locos Statianos.

XV. *Mémoire ſur Vénus, auquel l'Academie Royale des Inſcriptions & Belles-Lettres a adjugé le Prix de la Saint Martin* 1775. *Par Mr. Larcher. A Paris* i. e. *Commentarius de Venere, ad quem, a. d. St. Martini* 1775, *Academia Regia Inſcriptionum victoriae praemium detulit. Auctore Larchero.* pagg. 312. 12. maj. Ex diſputationibus iis, quae, judice Academia Inſcriptionum, victoriae praemio unquam condecoratae ſunt, inſignem habet laudem haecce Larcheri V. Cl. diſputatio. Nam & argumentum ejus magni eſt momenti in Mythologia univerſaque adeo antiquitate, & tractatio ejus atque explicatio ducta eſt ex ipſis doctrinae fontibus, atque exacta ad certam accuratamque rationem. Primum congeſta eſt materia amplisſima copioſisſimaque ex ipſis veteribus monumentis: deinde hanc materiam bene intellectam perſpectamque habuit auctor, quod ad

ad veterum lectionem attulisſet. haud vulgarem ſcientiam Graecae linguae, cujus in hac disputatione ſunt ſpecimina, cum in interpretandis difficilioribus locis, tum emendandis nonnumquam corruptis, inveſtigandaque ſagaciter vera lectione. Denique ipſius rationis diligentia est laudanda, quae cernitur in ſeveritate auctoris, qui numquam a via deflexit, numquam aliunde lenocinium captavit; cernitur etiam in acumine & ordine, quibus materiam tam multiplicem ac variam & a multis temere turbatam ac confuſam, apte deſcripſit & in ſuos locos digesſit. Hoc argumentum ſi hiſtrio quidam literarius explicandum ſuſcepisſet; ut per indices trepidasſet? ut verſionibus deceptus, ridicula nobis commenta obtulisſet? ut denique nil ſani adtulisſet, ſed ex rebus nominibusque Veneris ſales feſtivitatesque petiisſet, quibus legentium animos delectaret, & ſuam ipſe ignorantiam tegeret. Atqui haec disputatio ſuavitatem habet, & magnam quidem, neque vero aliunde quaeſitam, ſed ſponte natam, cum ex ipſius argumenti jucunditate ac varietate, tum ex doctrinae ratione ac praeſtantia. Ceterum, quanta ſit materia, intelligitur, quod nomina, munera, honoresque Veneris omnes, qui ei tributi ſunt a Graecis & Romanis, &, qui ab iis cogniti ſunt, Aſiae Africaeque populis, complectitur. Igitur nomina quidem & cognomina Deae recenſentur ducenta quadraginta octo: tem-

pla atque altaria, centum octoginta quinque: ſtatuae centum & quatuor: tabulae ſeptem: artifices, vel tabularum, vel ſtatuarum, Veneris, viginti quatuor, in quibus aliquot ſunt quos Fr. Junius in Catalogo artificum omiſerat; quamquam in ceteris etiam ſunt haud pauca nondum ab aliis prodita. Deſcripta vero diligenter hac ſylva & materia, facile cogitari poteſt, magnam lucem accendi multis Scriptorum locis, aliisque monumentis. Non enim ſolum per Mythologiam latisſime patet hic locus, ſed per reliquam antiquitatem & ipſam adeo Philoſophiam. Conſtat enim opiniones de Deorum viribus atque naturis, cum ipſis Philoſophiae initiis ortas, poſtea poëtarum ingeniis verſatas transformatasque, tandem iterum a philoſophis *tamquam* poſtliminio ad naturae rationem revocatas esſe. Neque etiam hanc loci partem neglexit Larcherus. Quare optandum est omnino, ut reliquorum etiam Deorum Dearumve res eadem diligentia doctrinaque a viris doctis explicentur. Quod quidem aliquando perfectum iri, ſpem nobis facit ſtudium voluntasque Academiae: quae cum antea ejusdem argumenti quaeſtiones propoſuit, tum nuper promulgavit ſe a. d. S. Martini ſequentis anni, de *Plutonis numine* disceptaturam esſe; ita quidem, ut ab iis, qui in hoc loco explicando operam ponere velint ſuam, maxime quidem de Plutone, ſed de reliquis etiam Diis Deabusque Inferis, agi cupiat,

excepta

excepta una Proſerpina, de qua jam antea diſputatum eſt. Neque obſcure ſignificavit, potiſſimum ſibi probatum iri eam rationem, quam Larcherus ſecutus eſt: nimirum ut agatur, de horum Numinum vi, nominibus, cultu & honoribus, eorumque origine; tum de templis, altaribus, ſignis, atque artificibus, qui iis fabricandis inclaruerunt.

XVI. Incidit quoque in noſtras manus *Specimen Obſervationum in Aeſchyli Agamemnonem* 8. *Baſileae.* 20 pagg. 1778. Libelli hujus auctor, quem audivimus eſſe Profeſſorem Baſileenſem *le Grand* V. Cl., illud agere videtur, ut animadverſiones ſuas integras, vel peculiari volumine, vel cum ipſis Aeſchyli fabulis, aliquando edat, earumque nunc guſtum aliquem harum literarum ſtudioſis praebeat. Quamquam ex parvo numero Obſervationum, quae hocce libello continentur, non ſatis nobis de univerſa auctoris opera ſtatuere licet. Nam & nudae proponuntur, ſine doctrinae ornatu; ſuntque ex ſola profectae conjectura, non petitae ex libris antiquis ſcriptis vel editis: quos ſe habere non commemorat auctor. Produnt vero acumen, idque haud vulgare, & Graecae ſcientiam linguae cum ſenſu venuſtatis: quippe loci aliquot vel ab interpretibus male accepti rectius explicantur, vel corrupti corriguntur levi ingenioſaque mutatione. Atque ex eodem genere ſe in Euripide quoque multa obſervaſſe, ſcribit. Quare, noſtra quidem ſententia, minime ope-

operam perdet auctor, ſi pergat ſtudium ſuum in Tragicis ponere, eique ſtudio adjungat lectionem reliquorum Scriptorum ac Poetarum. Minime deerit huic operae ſua laus a legentium ſtudio & fructu. Quodſi enim majorem copiam ejusmodi animadverſionum pepererit & in lucem ediderit, dubitandum non est, quin liber ab antiquae doctrinae amantibus cupide expetatur. Ad Aeſchylum denuo *edendum* viri docti ſubinde quidam animum adjecerunt, & nuperrime J. Fr. Matthaeus V. Cl.: qui codices etiam Mosquenſes in auxilium adhibuit: cujus viri opera ſi ad ejusdem conſilii ſocietatem accedat, editio amplior ornatiorque fieri posſit.

XVII. Aeſchylo ſubjungamus *Euripidem*, cujus nuperrime ad nos delata est editio *Musgraviana*. Hujus quanta fuerit exſpectatio ab eo inde tempore, quo de Musgravii conſilio fama percrebuit, nemini Graecarum literarum ſtudioſo obſcurum esſe potest. Et nobis eo jucundius fuit intellexisſe, cumulate hanc expletam esſe exſpectationem, quo major ea diuturniorque fuerat, cum propter ipſius Musgravii ingenium atque doctrinam, tum propter exemplorum Euripideorum, in primis ex proxima editione Barneſiana, cum jejunitate paucitateque caritatem. Quae quidem exemplorum paucitas etiam effecit, ut Lipſienſes in animum inducerent recudere Euripidem Barneſianum: cujus adeo, ſi fides est habenda Catalogo novorum Librorum, nuperrime

rime prodiit primum volumen hac inſcriptione: *Euripidis Tragoediae, Fragmenta, Epiſtolae, ex editione Joſuae Barneſii, nunc recuſa & aucta appendice Obſervationum ex variis doctorum virorum libris collecta. T. I. 4. maj. Lipſiae. Sumtibus Svikerti.* Quis ſit vir doctus, cui bibliopola curam ejus editionis adornandae commiſerit, ignoramus: illud facile quivis intelligit, eam nulla parte cum Musgraviana editione comparari poſſe. Hujus vero haecce est inſcriptio: Εὐριπίδου τὰ Σωζόμενα. *Euripidis quae extant omnia. Tragoedias ſuperſtites ad fidem veterum editionum codicumque Mſſ. cum aliorum, tum praecipue Bibliothecae Pariſienſis recenſuit. Fragmenta Tragoediarum perditarum collegit, Varias lectiones inſigniores notasque perpetuas ſubjecit. Interpretationem Latinam ſecundum probatisſimas lectiones reformavit, Samuel Musgrave M. D. Accedunt Scholia Graeca in ſeptem priores Tragoedias ex optimis & locupletisſimis editionibus recuſa. Oxonii e Typographeo Clarendoniano.* Continetur quatuor voluminibus formae quartae majoris: quorum tribus prioribus ipſae ſunt Euripidis fabulae, ſubjectis ad cujuſlibet voluminis calcem animadverſionibus Musgravii: Fragmenta addita ſunt tertio volumini: quarto exſtat Latina verſio cum Scholiis. Nos de praeſtantisſimi operis laudibus ac bonis ſingillatim exponemus proxima hujus Bibliothecae parte.

XVIII. Dicamus etiam de *Sophocle*; ne ex Grae-

cae

cae triumviris Tragoediae; unus relictus videatur. Neque tamen ei gratulari poſſumus ejusdem praeſtantiae interpretem, atque Euripidi. Neque etiam dicemus de nova ejus editione jam abſoluta, ſed propediem abſolvenda. Nam Caperonnerius V. Cl. novam hujus Tragici editionem paraverat, atque ex codicibus ſcriptis bibliothecae regiae Pariſienſis magnam bonarum lectionum copiam *collegerat:* jamque libri aliquot plagae typis erant deſcriptae, cum editor ante hos tres annos diem obiret ſuum. Sed opus ab eo tempore intermiſſum, audivimus inſtauratum eſſe nuper, ejusque curam ſusceptam eſſe a Vauvillerio V. Cl., Graecarum literarum in Collegio regio Profeſſore.

XIX. *Sex. Aurel. Propertius, varietate lectionis & perpetua adnotatione illuſtratus a Frid. Gottl. Barthio. Accedunt indices rerum ac verborum locupletiſſimi.* 8. *Lipſiae* 1777. Si dicamus, hanc Propertii editionem factam eſſe ad exemplum Tibulli Heyniani, non illud etiam continuo dicimus, eam aequare ejus exempli praeſtantiam. Quod ne ipſe quidem ſperavit editor: idque ingenue fatetur cum praef. p. 10. conſilii ſui rationem exponit. „ Neque diſſimulabimus" inquit „ nos hujus ſummi viri (Heynii) exemplum, non quidem in Virgilii editione, qua ſe non minus Andinus ille vates jactare poteſt, quam Jupiter Phidiaco ſigno; id enim improbum paene eſſet: ſed ſaltem in Tibullo edito

pro-

propoſitum imitari voluisſe, niſi & hoc paucis modo datum esſet, quos aequus amavit. Illius igitur veſtigia ſecuti, quae Pasſeratius, Broukhuſius & Vulpius, (hi enim triumviri optime de Propertio huc usque meriti ſunt) frugifera & ad illuſtrandum noſtrum poëtam facientia haberent, excerpſimus; ita ut quaedam de noſtris interdum adjiceremus. Erat quidem rumor, quum in recenſendo poëtae noſtri contextu occupati esſemus, Burmannum Sed. V. S. novam editionem Propertii parare: & vehementer non ſemel optavimus, quin moras quoque fecimus ſaepe, ut editio illa prodiret interea, & a nobis in juvenum uſus converti posſet: ſed voti noſtri compotes facti non ſumus. Emittenda igitur fuit haec editio, inchoata magis, quam perfecta: quae tamen fortasſe in nova recenſione ad incudem revocata, quum & a viris doctis, variis in locis, meliora edoctus fuero, & ipſe, majore uſu in rebus criticis accedente, accuratiorem operi noſtro limam adhibere potuero, uberiores acquiret dotes, quibus juſtis harum literarum aeſtimatoribus probetur". Sed cum Heynianae rationis duplex ſit laus, quarum altera interpretatione ſententiae, altera conſtituenda vera lectione cernitur; hujus quidem aliquam partem asſecutum esſe Barthium affirmare non posſumus: ad illam propius, longo tamen intervallo, accesſit. Elegiae exhibentur, non ſecundum Scaligeri transpoſitiones, ſed ad veteres

edi-

editiones. Subjiciuntur inferiore paginae parte, notae criticae, i. e. tales, quibus varietas auctoritasque lectionis exponuntur: in his etiam ſunt conjecturae virorum doctorum, ex eorum libris *collectae*; quarum tamen haud paucae editoris *diligentiam* fugerunt: ſunt etiam lectiones codicis Dresdenſis, ejusdem in quo est Tibullus, *quemque* Heynius excusſerat: novas vero *emendationes ipſius* editoris natas ingenio non invenimus. Animadverſiones, quibus ſententia poëtae explicatur, infimo paginae loco exſtant. His illud *agitur*, ut, ad juvenum tironumque uſus, mens, dictio, artificiumque poëtae explicetur. Quamquam necesſe fuit plurimos remanere locos tironibus obſcuros atque inexplicabiles; cum multi ſint loci, *ex quibus* ipſi ſe veterani expedire non posſint; propter mendorum corruptelarumque labem, qua unus omnium Propertius maxime laborat. Quo magis optamus, ut propediem nanciscamur P. Burmanni Secundi, V. Cl. editionem; qua Propertio nova & lux & medela paratur, ex multis variisque ingenii ac doctrinae copiis. Sed cum Propertius totus a Graecorum imitatione pendeat, Barthius nullum neglexit locum a Propertio expresſum, quem quidem ſuperiores editores notasſent: aliquos etiam ipſe primus notavit atque protulit ex Epigrammatibus Graecis a Reiskio editis. Additus est etiam index codicum ſcriptorum, vel jam collatorum ab editoribus,

ribus, vel adhuc in bibliothecis ſervatorum: quot quidem ex bibliothecarum catalogis congerere potuit Barthius. Sequitur alius index; nimirum editionum, quibus uſi ſunt Cantabrigienſis editor, Broukhuſius & Vulpius. Deinceps extant teſtimonia virorum doctorum de Propertio. Tum est vita Propertii a Vulpio ſcripta, cum Barthii animadverſionibus. Deinde ejusdem poetae vita, ab ipſo Barthio concinnata, per annos, quantum licuit, probabiliter digeſta. Denique disputatiuncula ſuper Elegia, maxime Romanorum. Ceterum quamquam editor ipſi quidem Propertio, medelae nihil, novae lucis parum, attulerit, ſanum tamen ubique rectumque de his literis judicium prodidit, & ſpem nobis fecit, propius eum ad Heyniani exempli praeſtantiam accesſurum, ſi perrexerit ſuum ipſe ingenium continua veterum lectione ſubigere.

XX. *Apollonii Rhodii Argonauticorum libri quatuor. Edidit, nova fere interpretatione illuſtravit, priorum editorum notas praecipuas ſelegit, Sanctamandi numquam prius editis nonnullas ſuas adjecit, nec non indices tres addidit, Joannes Shaw, A. M. Coll. Beatae Mariae Magdalenae Socius. II. Vol. 4. maj. Oxonii, e typographeo Clarendoniano.* 1777. Quod ſi laudes editionum cenſeantur chartae typorumque elegantia, nulla facile potior praeſtantiorque hacce reperiatur: ſi vero propriis cenſeantur bonis atque ani-

madverſionibus, quae valeant ad interiorem Auctoris intelligentiam, bene ſecum actum exiſtimet, ſi vel in mediocribus locum inveniat. Nos, antequam librum vidisſemus, bene tamen de eo augurabamur ex Sanctamandi nomine. Hunc quippe noveramus, in Italicis bibliothecis multa excusſisſe exempla ſcripta veterum Auctorum, & ex illa opera Theocrito etiam Wartoniano magnam dotem accesſisſe. Talem igitur Apollonio quoque Rhodio ſperabamus adjectam esſe commendationem. At omnis illa ſpes, evoluto libro, evanuit. Nam Sanctamandi notae nullam omnino habent novam ex libris ſcriptis varietatem, & meris continentur conjecturis, quibus poetae verba vel corrigantur, vel explicentur, ſuntque & breves & paucae, neque ultra medium ſecundum librum pertinent: quamquam *habent plerumque* ſignificationem acuminis & doctrinae: quae quidem laus tribuenda quoque eſt Jo. Uptoni notulis, quae in libri titulo non commemoratae ſunt. Sed videamus ipſius editoris operam: cujus eam partem, quae in Graecis verbis occupatur conſtituendis, ad quod conſilium retulerit, ipſis ejus verbis exponemus. „Quod ad textum attinet," inquit „ſecutus ſum Hoeltzlinum, novisſimum Apollonii editorem; qui omnibus ſumma cum cura collatis exemplaribus, (opus ſane post Stephani editionem, qui in hoc praecipue verſatus est, ut textum

tum accuratiſſimum redderet, paene ſupervacaneum) nihil mihi ſine manuſcriptorum librorum auctoritate, quos nullos nanciſci poteram, mutandum reliquit; pauca admodum, quae optarem mutare. Invenies igitur nullas lectiones tamquam genuinas in textum temere & ex conjectura receptas, ſed ut veriſimiles tantum, & quas pro arbitrio vel admittas, vel rejicias, in notis duntaxat memoratas. Quae porro apud unumquemque editorem varie leguntur, horum omnium mentionem feci." Jam nil attinet monere de hac parte. Nam qui Hoeltzlinum omnia accuratiſſime exempla excuſſiſſe dicat, & ipſam hanc operam, post Stephani diligentiam, ſupervacaneam fuisſe judicet: hic igitur quomodo criticam provinciam adminiſtraturus ſit, facile est ad exiſtimandum. Diſtributionem operis hanc ſecutus est editor: ut primo volumine complecteretur ipſum Graecum carmen; deinde ſeorſim Latinam verſionem, quam ipſe confeciſſe videtur, ex duabus ſuperioribus verſionibus Hartungiana & Hoeltzliniana: quarum illa nimis religioſe Graecis verbis adhaerendo multum obſcuritatis habet, illa contra ſaepius a Graeci carminis ſententia in alia omnia temere diſcedit. Altero volumine ſunt interpretum animadverſiones & indices. Ceterum editoris animadverſiones maxime quidem commendantur brevitate: habent vero etiam ſubinde

Valerii Flacci imitationem, & aliquid lucis adjumentique adferunt leviter exercitatis. Atque ut laudandus est editor, quod ſuas ipſe notas breviſſime abſolvit, ita probandus est, quod ex *Hoeltzlinianis* notis multa circumſcripſit, easque in brevius ſpatium redegit; quarum quidem quo majorem copiam omiſisſet, eo minori ineptiarum copia librum onerasſet. Neque tamen in delectu *Hoeltzlinianarum* animadverſionum aliquid magnopere judicii eum ſecutum esſe deprehendimus. Indices adjecti ſunt tres: unus in notas interpretum, quo facile careremus: reliqui duo magis ſunt comparati ad legentium utilitatem: alter quippe continet auctores, qui memorantur a vetere Graeco interprete, diverſus a Fabriciano B. G. T. II., *ſed minus eo* perfectus atque abſolutus: alter est index magis accuratus, verborum omnium quae in Apollonii exſtant poemate. Dicit etiam nullos ſe nancisci potuisſe libros ſcriptos. Quod, quamquam facere non posſumus quin ipſi credamus affirmanti, tamen libri dotem minime auget. Neque etiam, noſtra quidem ſententia, prudenter faciunt, qui veteres Scriptores, qui raro eduntur, qualis est Apollonius, ita edunt, ut ex libris ſcriptis nil adferatur novae lucis, & pretium tamen libri chalcographico opere augeatur. Veruntamen librorum ſcriptorum defectus hanc vim debuisſet apud editorem habere,

ut eo plus diligentiae poneret in conquirendis animadverſionibus per varia doctorum hominum ſcripta diſperſis, quibus Apollonius vel explicatur vel emendatur. Quarum quanta ſit copia exiſtimari poteſt, quod ab Hoeltzlini editione ad hanc noviſſimam anni effluxerunt centum & triginta ſex: quo ſpatio temporis multi fuerunt, qui, vel obiter, vel data opera, de Apollonio bene mererentur, in primis noſtro ſeculo atque ex noſtratibus, Ruhnkenius, Pierſonus, Arnaldus, aliique non pauci. Quorum quidem, in hac Oxonienſi editione, animadverſiones ad unam omnes ſunt omisſae. Igitur & Apollonius ſuum adhuc exſpectat vindicem; a quo ad hominum doctorum intelligentiam ſenſumque expoliatur, cum ſcriptorum librorum auctoritate, tum ingenii doctrinaeque inſtrumentis. Quod conſilium ab Heynio dudum quidem captum novimus: propediem etiam perfectum iri ſperamus.

XXI. Inter regiones eas, quarum ſinu ſoloque obrutae lateant operis Romani reliquiae, haud poſtremam esſe Helvetiam, cum intelligitur ex Romanorum civium in illa terra olim frequentia, tum cognoſcitur ex muſeis, ſeu locis illis, quibus veteris reliquiae artis publice ſervantur. Sunt vero etiam ſubinde privati homines, qui egregio antiquitatis ſtudio multam ponant operam in veteribus,

 num-

nummis e terrae latebris eruendis, & coemendis iis, quos aliorum labor eruit. Atque privata muſea duo nobis innotuerunt nuperrime, quorum quippe copiae deſcriptae ſunt & propoſitae ad publicam notitiam; ut ſi qui harum deliciarum ſtudioſi ad eas coemendas animum forte adjiciant, de iis ex indice edito judicare posſint. Alterius hic est titulus: *Enumeratio Numismatum, ex omni metallo & forma, Graecorum Romanorumque, quae asſervat A. F. Ith, Supremo Ducentumvirûm Ordini adſcriptus, & Sedecemvir Reipubl. Bernenſis. Auctore Fr. Lud. Hallero* 4. *Bernae* 1777. Utiliter est compoſita haecce enumeratio ad legentium uſus, adjectis frequenter notulis, quae valeant ad nummorum judicium & hiſtoriam, auctoremque prodant in hoc genere non inexercitatum. Praefatio ipſa habet ingenii veſtigia elegantis, quae nos eo deducant, ut eam ab Jo. Ithio V. Cl., bibliothecae Bernenſis nuper praefecto, ſcriptam putemus. Ex ea locum expromamus eum, qui praecipue ad conſilium libelli declarandum pertinet. „ Et de publicis quidem collectionibus jam dictum. Sed privatae etiam hinc inde occurrunt. In his, quamquam anguſtioribus copiis, reperiuntur quandoque, quae in regiis necquicquam quaeſiveris. Inde plurimum ad proferendos latius ſtudii hujusce tam utilis, tamque jucundi & noſtris temporibus tam accepti,

fines,

ſines, pertinere cenſendum hoc est, ut minorum etiam privatarumque collectionum enumerationes animadverſionibus, ſicubi neceſsitas poſtulet, in eruditorum uſum vulgentur. Ita namque ſpes oritur operis aliquando in hoc genere abſoluti. Haec cum ita ſint, dubium nobis non est, quin cordatis viris peritisque rerum gratum ſimus facturi, ſi hanc quoque ignotam hactenus collectionem numorum priscorum Graecae & Romanae antiquitatis, edito in lucem indice, e privatis parietibus vindicaverimns. Est quidem totus iſte apparatus iis fere locis collectus, in quibus eruta numismata fuere, & in anguſto licet numero (ſc. fere 500.) verſetur, continet tamen quaedam rariſsima: Imperatorum Romanorum ſeriem tantum non plenam: genuina vero jam, expulſis quae ſecus videbantur, omnia, ſi pauca exceperis, quae ſuis locis notata continuandae ſeriei ſervavimus, ut ſunt T. Veſpaſianus gr. Domitia Domitiani, Antinous, Fauſtina minor, Pertinax & Gordianus Afr. ex argento, & Pescennius Niger ex aere, nec non Celſus & Aemilianus gr. Ex rarioribus occurrunt hic, ut ex multis aliqua ſaltem memoremus, Marius ex auro: Auguſtus cum capp. Caji & Lucii, Agrippina gr. in triplo, Domitilla Vesp. Domitia gr. & lat. Matidia gr. & lat. Marciana, Plotina, Julianus, Scantilla, Clara, Pescennius, Annia Fauſti-
 na,

na, Gordianus uterque Afr., Balbinus gr., Tranquillina, Supera gr., Victorina & Zenobia ex arg. Aerei vero ſequentes praeſtant. Triumviri gr. min. mod., Auguſtus, Livia & Agrippa cum fil. gr. Nero & Druſus cum capp. lat. Meſſalina in duplo, Nero & Octavia, Nero & Poppaea graece, Ottho gr. & lat. Vitellius gr. & lat. prim. & min. forma, Antinous, Titiana, Julianus, Scantilla, *Clara*, Peſcennius, Albinus gr. & lat. Macrinus & Diadumenus gr. Annia Fauſtina gr. Gordianus uterque Afr. gr. & lat. Balbinus, Pupienus gr. & lat. *Tranquillina* in duplo gr. Hoſtilianus gr. Aemilianus, Supera gr. Omnes fere 30 tyranni, Firmus, Domitius, Bonoſus, Proculus, Saturninus, Pacatianus, Julianus, Achilleus, Alexander, *Martinianus*, Nepotianus, Deſiderius, Vetranio, Procopius, & rariſſimus omnium Sylvanus cet".

XXII. Videamus alterum indicem numismatum. *Numophylacium Sulzerianum, numos antiquos Graecos & Romanos, aureos, argenteos, aereos, ſiſtens. Olim Jacobi Sulzeri, Vitodurani Helvetii, cura, ſtudio, ſumtu adornatum. Jam aeris vetuſti elegantibus ſpectatoribus venum expoſitum*, 8. *Gothae* 1777. Haec quidem ſupellex, licet in eodem atque antecedens ſit argumento rerum Romanarum, numorum complectitur numerum multo majorem, circiter quater mille & quingenos. Maxima longe pars ad Impera-

peratores refertur. Sunt tamen etiam numi conſulares aliique Romani, & pauci externorum populorum, civitatum, & Regum. Ex praefatione, quae ſcripta eſt a fratre Jo. Casp. Sulzero, Archiatro & a Conſil. Aul. Duci Goth. & Altenb., intelligitur, hanc copiam a ruſticis magnam partem, qui opus in Helvetia facerent, esſe effosſam, & ad Sulzerum delatam. Ceterum qui eam univerſam emere velit, agat vel cum ipſo Sultzero fratre, vel cum Schlaegero V. Cl., in eadem urbe, Ducis Gothani Antiquario & Aul. Conſiliario.

XXIII. *Salomonis Glasſii Philologia Sacra his temporibus accommodata a Jo. Aug. Dathio Prof. Linguae Hebr. Ord.–Tomus I. Grammatica & Rhetorica Sacra* 8. *Lipſiae* 1776. Tanta ſemper fuit operis Glasſiani laus atque exiſtimatio, ut ab eo tempore, quo primum prodiit, A. 1623, quatuordecim, forte etiam plures, ejus editiones cum in Germania, tum in Belgio ſubinde in lucem emisſae ſint. Nec enim vel tironem invenias in primis adhuc linguae Hebraeae elementis verſantem, qui *Glasſii Philologiam Sacram* haud noscat, laudet, & tanquam clasſicum librum mox ſibi prospiciat: etſi plerosque credimus frequentiores esſe in laudibus, quas ab aliis intellexerunt, repetendis, quam asſiduos & diligentes in ipſo libro legendo, eoque ad emolumentum doctrinae Theologicae recte adhibendo. Et merito quidem Glasſius inter principes ſuae aetatis viros numeratur,

tur, qui operam collocarunt in conſtituendis regulis ad interpretationem Sacri Codicis. Nam quamquam ei in hoc genere jam praeiverat *Matthias* Flacius, ex cujus *Clavi Scripturae* haud pauca deſumſit, ipſe tamen non ſolum variis in locis Flacium emendavit, ſed praeterea auxit inprimis *rem* Grammaticam tot novis ac praeclaris obſervationibus, ex quibus praecepta duceret ad *explicandas* formas loquendi Veteris ac Novi Testamenti, ut *is* fere haberi debeat, qui primus bene interpretandi viam patefecerit. Verum tamen cum major ſit noſtra aetate harum literarum lux, multumque commutata ratio interpretandi libros Sacros, fieri aliter non potest, quin plura ſuperſint vel accuratius & plenius pertractanda, vel ad *emendatiorem hujus* ſeculi modum refingenda. Quod ut a viro perito & in hoc ſtudiorum genere exercitato fieret, optandum erat magis quam ſperandum: ſi quidem Glaſſio parem eſſe oportebat, qui hunc laborem ſuſciperet: a Dathio autem V. Cl. factum eſſe laetabuntur omnes, qui inſignia hujus viri de literis Orientalibus merita cognoscunt. Nos quidem laetati ſumus vehementer, & omnino, etſi ſerius quam par est, tamen de nova hac editione referendum duximus, quae, ſola, ut credimus, librariorum ſocordia, noſtratibus nondum magis innotuit. Caſu autem perquam fortuito ſe ad hujus editionis curam delatum eſſe ſcribit Dathius.

Ni-

Nimirum Jo. Ern. Faber, vir excellentis ingenii atque doctrinae, conſtituerat Glasſium denuo typis divulgare, & novo quaſi habitu induere. Quod vero conſilium cum praematura hujus viri morte praepediretur, Dathius a librario rogatus, inprimis vero utilitate ac praeſtantia libri permotus, has partes ſuscepit, ipſumque adeo retinuit titulum, quem Faber ei fecerat. Nec tamen ex ſchedis Fabri, ſi quas habuit paratas, aliquid ad Editorem noſtrum pervenit, ſed ipſi ſoli debetur quidquid ad augendum ornandumque Glasſium accesſit. Dathius igitur hac fere ratione uſus est in opere perficiendo. „ Primo quidem in parte Grammatica imminuit copiam exemplorum nimiam, tot ſolummodo ſervatis, quot regulae illuſtrandae ſufficerent, vel quae maxime esſent inſignia. Porro omiſit cum longiores quasdam explicationes locorum, qui non erant adeo intellectu difficiles, tum obſervationes multas Polemicas, quas Glasſius, more ſuae aetatis, qua fervebant inprimis controverſiae Theologicae, contra Pontificios, Calvinianos, Socinianos pasſim adjecerat. Ne tamen omnem, quae hinc percipi posſet, utilitatem praecluderet, retinuit paucas, praecipue eas, quae Chriſti divinitatem, ejusque ſatisfactionem pro peccatis hominum, maxime vindicarent. Deinde mutavit plures regulas non ſatis accurate traditas; alias etiam plane delevit, novis ſubſtitutis. Supplementorum

vero

vero materiam deſumſit, ad Syntaxin Hebraeam ex libris Grammaticis & Philologicis Schultenſii, Schroederi, Michaëlis: ad obſervationes ſuper ſtilo Novi Testamenti ex Gatakero, Vorſtio, Krebſio, Bauero, aliiſque, qui de hoc argumento post Glasſium ſcripſerunt. Denique haud minorem operam poſuit in altera libri parte expolienda, quae Rhetoricam Sacram complectitur; *in qua*, ſervato tamen, quem laudat, Glasſii ordine, multa induxit, mutavit, emendavit, ſaepius quoque plane nova ſubſtituit." Jam vero in his omnibus *quae* Dathius praeſtitit magna profecto laus est cum ingenii accuratae que doctrinae, tum inprimis judicii in delectu faciendo eorum, quae maxime esſent utilia, vel aetati noſtrae magis *convenirent.* Nos quidem nihil invenimus, quod videri posſit vel male omisſum, vel temere ac praeter rationem ſervatum. Contra optimas quasque praeſtantisſimorum Philologorum, qui post Glasſium vixerunt, obſervationes ſic pasſim deprehendimus lectorum uſui accommodatas, ut facile credamus, nihil in hoc genere, pro ratione aetatis noſtrae, praeſtari posſe perfectius aut magis abſolutum. Caeterum formam operis Glasſiani ſic immutavit Dathius, ut nunc quidem, parte prima, Grammaticam & Rhetoricam Sacram praemitteret, quam ſequentur, parte altera, Critica & Hermeneutica V. T., de quibus Glasſius egit L. I. & II. „ Quae vero cum

noſtris

noſtris temporibus nullo modo ſatisfaciant, nec poſſint quidem iis accommodari, conſilium cepi hanc partem prioris editionis integram relinquere ſuo auctori, iisque qui illa editione uti malint, & ipſemet has partes pertractare pro ſui ingenii ſuaeque doctrinae ratione. Sed Veteris tantum Teſtamenti interpretationem ſpectabunt illa praecepta. Nam de Critica & Hermeneutica Novi Teſtamenti qui poſt Erneſtum praecepta dare ſuſtineat, is peritis harum rerum judicibus laborem ſuſcepiſſe videatur perquam ſupervacaneum." Hanc igitur partem ut Dathius eadem cura propediem abſolvat, & Philologiam Sacram tam eximie ornare pergat, vehementer optamus.

XXIV. *Lexicon & Commentarius Sermonis Hebraici & Chaldaici. Post Jo. Cocceium & Jo. Henr. Majum longe, quam antehac, correctius & emendatius edidit Jo. Chr. Frid. Schulz. II. Tomi.* 8. *Lipſ.* 1777. Quod in Glaſſii libro recenſendo magna cum laude praeſtitit Dathius, id nuper, ſed dispari ſucceſſu, in Cocceji Lexico refingendo conatus eſt Schulzius, Profeſſor Gieſſenſis; cujus conſilium jam ante quatuor ferme annos innotuit ex conditionibus, quae emtoribus hujus libri a librariis proponebantur; in quibus profecto nihil deerat, quod emtores alliceret, magnamque de editore opinionem excitaret. Etenim tale Schulzii erat de Cocceji Lexico judicium, quod facile videres ab homine harum li-

terarum imperito minime proficiſci; laudesque, quae magno viro merito tribuebantur, huc fere redibant, omnium lexicorum hoc fore longe abſolutisſimum, ſi majore diligentia conferrentur verſiones veteres, adderenturque quae, poſt Coccejum, ad incrementa harum literarum factae ſunt recentiorum obſervationes, velut Schultenſii, Schroederi, Venemae, Michaelis, Scheidii, aliorum. *Hoc* igitur ſuſcepturum ſe pollicebatur Schulzius, nec quidquam neglecturum, quod ſummam operi perfectionem adjungeret. Itaque nunc, „ pertinaci, ut ait Schulzius, plurium annorum labore in lucem denuo prodit deſideratisſimum lexicon Coccejanum in novam omnino formam redactum, ſive etymologicam, ſive exegeticam, ſeu denique criticam ejus partem ſpectes." Cujus novitatis rationem deinde exponit his fere verbis: „ Primo, inquit, reſecavimus omnia, quae ſuperflua nobis videbantur; quo pertinent ſignificationes verborum Theotiscae & Batavae, item explicationes multorum locorum V. T. myſticae ac typicae ad ſingulares paucisque probatas interpretandi regulas Coccejanas formatae. Secundo nullam admiſimus vocabuli ſignificationem, quae non reliquarum Orientis linguarum uſu esſet probata. Tertio multas radices in lexicis deſideratas linguae Hebraicae theſauro reſtituimus. Quarto originarias ac proprias thematum ſignificationes non quidem, cum Schultenſio aliisque, conjecturis asſe-

aſſequi allaboravimus; nec tamen, ubi ultro ſeſe offerebant, vel reliquarum dialectorum uſu firmabantur, protſus eas rejecimus. Quinto alias ſingulorum V. T. oraculorum interpretationes pro iis, quas Coccejus ſuppeditaverat, ſubſtituimus, quotiescunque nexus orationis, genius linguae, auctoritas veterum interpretum, uſus reliquarum dialectorum id poſtulare videbantur. Denique medelam criticam iis locis adhibuimus, de quorum recta interpretatione, hoc ſubſidio non in medium vocato, plane desperaremus; neque tamen conjecturis indulſimus, ſed eas tantum mutationes propoſuimus, quae vel verſionum, vel editionum vetustisſimarum, vel codicum ſcriptorum auctoritate maxime commendarentur." Quod ſi nova est haec editionis forma, non ideo ſtatim melior cenſenda est, aut aetati noſtrae accommodatior. Nos quidem, quamquam de ingenio Schulzii praeclare ſentimus, tamen veri ſtudio movemur, ut ne diffiteamur, plura eum & meliora profesſum esſe quam effecisſe: nec, ſi longiorem ſcribere vellemus libri cenſuram, difficile foret pluribus exemplis oſtendere, procul abesſe hanc editionem ab ea perfectione, ad quam noſtra aetate potuisſet adduci. Quod tamen magis levitate quadam Schulzii, quam ingenii judiciive inopia contigisſe credimus. Etenim cum bonae ſint regulae, quas ſibi in expoliendo opere praeſcripſerat, ratio, quam in obſervandis his regulis ſecu-

ſecutus est, vaga plerumque est, incerta ac levis. Et profecto aliud est praeſtantium librorum vitia vitiorumque remedia indagare, aliud his vitiis ea remedia ſcienter adhibere, atque illud *ipſum* praeſtare, quod praeſtari oportere judicaveris. Illud ab ingenio pendet judicandique ſollertia, hoc, praeter ingenium judiciumque, cum magnam vim requirit ac copiam doctrinae & *exercitationis*, tum diligentiam, non levem ac deſultoriam, ſed accuratam & aſsiduam; quam vero paſsim in hac editione deſideravimus. Non ſolum enim omiſsae ſunt radices nonnullae a recentioribus in linguam Hebraicam revocatae; ſed inprimis negligentior fuit Schulzius in referendis plurimis verborum ſignificationibus a Schultenſio, Schroedero, Michaele, Scheidio, noſtris temporibus feliciter *indagatis*, & idonea auctoritate ſtabilitis. Praeterea, cum magna laus Cocceji poſita ſit in interpretationibus multorum locorum, quae etſi omnibus haud aeque probentur, tamen ingenioſae ſunt ac doctae, novisque rebus inveniendis viam ſaepius aperiunt, hanc quidem laudis partem multum obſcuravit Schulzius, vel plures hujusmodi explicationes plane omittendo, alia haud ſubſtituta, vel tales ſubſtituendo, quae Coccejanis plerumque ſint inferiores: in quo genere hoc inprimis diſplicet, quod ſuas obſervationes ab obſervationibus Cocceji & Maji haud diſtinxerit, ut periculum ſit, ne errores

Schul-

Schulzii Coccejo, hujus bonas obſervationes Schulzio attribuas. Interdum quidem Coccejum refutat expreſſe, ſed ita, ut non tam veri ſtudium ſecutus videatur, quam ingenii quandam petulantiam: quippe cum profeſſus eſſet, ſe omnes Coccejanas obſervationes, quas non probaret, omiſſurum, interdum eas retinuit, quae reprehenſioni locum darent, ſuumque de iis judicium ſic expoſuit, ut de Coccejo fere triumphare videretur. Quamvis igitur Schulzii opus laudem habeat ab adjectis recentiorum Philologorum Criticorumque obſervatis, & commemorata ſatis diligenter veterum verſionum varietate, haec tamen laus haud parum imminuitur vitiis, quae modo ſignificavimus, ortis potiſſimum ex feſtinatione & imprudentia, qua facilius exiſtimavit Cocceji Lexicon *longe emendatius* in lucem proferre, quam exiſtimant viri his in literis cum aetate, tum exercitatione Schulzio ſubactiores, quorum ut quisque major eſt, eo periculoſius judicat ſe ita cum Coccejo conjungere, ut hoc ſocio non multum inferior videatur.

XXV. *Diſſertatio Philologica de notabili correctionum Maſorethicarum genere, quod ſpectat loca controverſa, ubi negativam in affirmativam, & affirmativam contra in negativam ſententiam converti, volunt. Auctore Joanne van Voorst, Theol. Stud.* 8. *Lugduni Batavorum*, 1778. Agitur hoc libello de variis lectionibus לא & לו, quas in 23 locis Maſorethae

annotarunt. Quod argumentum cum per ſe ſterile ſit & tractatu moleſtum, ob infinitas fere interpretum disſenſiones in his lectionibus judicandis exponendisque, auctor tamen ſic perſecutus eſt, *ut*, adjectis ſubinde aliis obſervationibus bene *multis*, legendi taedium jucunda quadam varietate *compenſaret*. Primo disputavit breviter & ſatis accurate de origine atque indole tum lectionum marginalium in univerſum, tum de peculiari hoc genere, quod verſatur in converſione ſententiarum affirmantium & negantium; de quibus lectionibus ſic ſtatuit: „ eas vario tempore & modo a variis fuiſſe conſtitutas, ita ut duplex potisſimum *genus* ſit; alterum, quod originem ducat ex varietate codicum; alterum ex imperitia linguae, *ſive errore* in ſenſu locorum conſtituendo." Tum ſequuntur regulae, quibus judicetur, utrum lectio marginalis receptae lectioni anteponenda ſit, an ſecus; quae regulae bene ſunt ac prudenter conſtitutae, & huc fere redeunt: „ In judicio de bonitate lectionis rationem habendam esſe cum verſionum veterum & codicum probatisſimorum, tum vero inprimis nexus atque indolis verborum, collata linguae analogia. Quod ſi utraque lectio & verſionum & codicum auctoritate firmetur, nec analogiae aut indoli linguae repugnet, praeferri oportere lectionem vulgatam, quippe, ut antiquiorem, ſic plerumque etiam ſinceriorem. Si autem lectioni

mar-

marginali nihil quidem ad bonitatem deſit, verum tamen vulgata, per orthographiae regulam non plane inuſitatam, poſſit in eundem ſenſum explicari, etiam tunc primas eſſe vulgatae deferendas. Denique & hanc, etſi rariorem, aut difficiliorem ac prima ſpecie minus rectam, tamen potiorem eſſe, ubi, conſentientibus verſionibus codicibusque, poteſt ad linguae veteris analogiam revocari, ita ut haud repugnet nexus orationis, praeſertim ſi haec ſublimior ſit & exquiſitior." Ad has igitur leges ſingillatim deinceps expenduntur ipſa loca controverſa, adjectis plerumque ad illuſtrationem verborum formarumque loquendi difficilium obſervationibus Grammaticis vel Criticis haud ſane contemnendis. Etſi autem, id quod ex regulis modo traditis facile ſuſpicabamur, plurimis in locis lectionem vulgatam praefert lectioni Maſorethicae, atque ad vulgatam tuendam negligit interdum rationem ſimplicitatis, tamen ei libenter in laude ponimus ingenium, quo uſus eſt in excogitandis argumentis, quibus ſententiae ſuae veri ſpeciem conciliaret. Ceterum auctor, qui recens ex diſciplina Jo. Jac. Schultenſii prodiit, nil aliud hac ſcriptione ſpectavit, quam ut progresſuum ſuorum ſpecimen daret. Quare ſi qui ſunt in hoc libello loci non ſatis elaborati, hi documento eſſe debent, eum, ſecus ac vulgo ſolet, ex ipſius, cujus nomine fertur, ingenio profectum eſſe.

XXVI. *Jo. Lud. Conradi Opuſcula e jure civili. Vol.* I. *Bremae* 1777. 8. p. 366. Qui juris ſtudium cum iis litteris, quae ad humanitatem pertinent, conjungant, eorum miram hodie paucitatem eſſe, inter omnes conſtat. Quum enim neminem praetereat, eos, qui Alciati, Auguſtini, Briſſonii, Cujacii, Duareni veſtigia perſequuntur, ſolos in ſcholis relinqui, nullaque fere iis praemia proponi; eos contra qui nil niſi uſum forenſem crepant, ineptiſſimos ſaepenumero homunciones, caput efferre, atque in omni rerum abundantia vivere, facile eſt ad intelligendum, juriſprudentiam Cujacianam abjectam atque proſtratam jacere, fruſtraque opem & auxilium juris ſtudioſorum implorare. Quae quum ita ſint, ſingulari nobis & *praecipua* quadam laude digni videntur, qui majori quodam impetu concitati ex miſera Pragmaticorum, id est eorum, qui contemtis atque posthabitis omnibus bonis litteris, ad Maevii, Menochii, Maſcardi, Brunnemanni, Carpzovii volumina tanquam ad ſaxum adhaereſcunt, turba ſe eripiunt, magnoque animo, quaecunque tandem ea ſit, fortunam ſubeunt. Quorum in numerum jure meritoque referendum eſſe Jo. Lud. Conradium, juris in Academia Marburgenſi Anteceſſorem, & litteris multorum & fama denique ipſa accepimus. Eſt autem in eo viro ingenium excellens, judicium acre, multa induſtria, ut nos quidem dignam his laudi-

bus

bus fortunam ei precemur. Primum, quod in hoc volumine nobis occurrit, eſt epiſtola, in qua librum ſuum Maecenatis cujuſdam nomini inſcribit, plena adulationis, quam ſine controverſia ingenii largitor venter dictavit. Cujus lectione finita iniquisſimo ſane animo tulimus eruditorum majori ſtipendio inhiantium impudentiam, eorumque adulandi lubidinem deteſtati ſumus. Sed ut eam omittamus, ad primum nos opuſculum convertimus, *de vita & ſcriptis Q. Cervidii Scaevolae JCti*, quod Conradius olim Lipſiae in vulgus edidit, & hoc in loco curis ſecundis perpolitum collocavit. De quo libello ut generatim noſtram dicamus ſententiam, multa in illo quidem diligentia, multa doctrina comparet, atque dicendi genus & purum est & caſtigatum. Sed & multa in eo communia atque protrita reperimus, neque congerendi illud ſtudium probamus, quo maxime pertinent ea, quae de nomine *Q. Cervidii Scaevolae* §. 1. duodecim paginis nimia ſane atque miſera diligentia corraſit. Quo itaque ea, quae de celebri JCto a Cl. Conradio late diſputata ſunt, in gratiam lectorum in pauca conferamus, veſtigia ejus ſequamur. Primum itaque nomen *Q. Cervidii Scaevolae* in tuto collocatur, qua in re nobis non diſplicet Cl. Conradii obſervatio p. 12. *Cervidii* nomen a *Cervio* ducentis, quoniam ſimilis ratio

 est

est in *Helvio* & *Helvidio*. Sed *Cervii* nomen non in lapidibus ſolum occurrit, verum etiam apud alios auctores reperitur. Sic apud *Horatium Lib.* II. *Sat.* I. *v.* 47. legimus:

Cervius iratus leges minitatur & urnam.

& *Lib.* II. *Sat.* VI. *v.* 77. *ſeq.*

Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas ——

Quod ad aetatem JCti noſtri adtinet, non male Cl. Conradius §. 2. ex L. 13. §. 1. D. *de aliment. legat.* conjicit, *Scaevolam* jam *Antonino Pio* imperante ad reſpondendum ſe dediſſe. Praeterea ſub Divorum Fratrum imperio eum floruiſſe ex eo demonſtrat, quod eorum conſtitutiones & ſaepius & ita laudet, ut ipſos adhuc vivere ſignificet. Ad *Septimii Severi* tempora vitam produxiſſe *Scaevolam*, non improbabile Cl. Conradio videtur. De eruditione §. 3. exponit. Non enim Graecis ſolum litteris eum fuiſſe imbutum p. 34. ſeq. oſtendit, ſed etiam in lingua Latina ſatis verſatum fuiſſe docet, quamvis p. 42. non neget, genus dicendi ejus praecipue in reſponſis breve atque conciſum, ideoque nonnumquam ſubobſcurum eſſe. Ad ineptias autem pertinet illud, quod p. 55. ſeq.

Con-

Conradius eum & poeticen attigiſſe credit, *quamvis*, inquit, *ſi ſpecimina quaeras, nulla fere in ejus libris reperiantur.* Eſt hoc in more poſitum iis, qui de vita magni alicujus hominis exponunt, ut ſummis ad coelum laudibus eum efferant, atque nulla in re atque ſcientia tironem & hoſpitem fuiſſe contendant. Sic in veteri quadam editione Terentii, quam Lipſiae duobus abhinc ſeculis Wagnerus quidam in lucem protulit, Terentius in omnium omnino ſcientiarum genere verſatus, atque artis etiam obſtetriciae peritus fuiſſe dicitur, quia in *Andria Act.* III. *Scen.* II. *v.* 3. *ſeq.* Lesbiam ita inducit loquentem:

——— ——— post deinde
Quod juſſi ei dare bibere, & quantum imperavi,
Date ———

Neque ideo, quod Cl. Conradius ipſe fortaſſe poeta eſt, Scaevola quoque in poetarum eſt numerum referendus, cum nulla in ſcriptis ejus ingenii poetici vola & veſtigium adpareat, quod ipſe Cl. Conradius fatetur. De Scaevolae ſtudio philoſophiae agitur §. 4. Et nobis quidem Cl. Conradius p. 65. ſeqq. optime demonſtraſſe videtur, Scaevolam non tam Stoicorum praeceptis unice addictum fuiſſe, ſed potius in nullius magiſtri verba juraſſe. Scaevolae juriſprudentia §. 5. exponitur, qua in

re non poſſumus non, quin ipſa Cl. Conradii verba, quae p. 73. ſeq. legimus, adſcribamus. *Hoc tamen*, inquit, *meo mibi jure ſumere videor, quicquid in jure civili reconditi ac ſubtile est, id ut a Scaevola haud alienum dicam. Abſtruſae juris rationes ornant ejus illum tractatuum apparatum: res cognitione dignisſimas in Digeſtis tractat adcurate: ſibi rurſus ſimillimus est in meditatione de legibus ſcriptis: ex rotundioribus ejusdem ſententiis exſtat veritas, ratio atque rerum evidentia: denique in limatisſimis reſponſis veram ſolidae juris diſciplinae effigiem non ſine admiratione intuemur. Novit noſter & civile jus, & praetoris edictum, & principum conſtitutiones: verum ea cognitione modeſte uſus est, contra morem illorum, qui famam eruditionis captantes rem ſemper ex alto repetunt, etiamſi argumentum, quod tractant, ſaepe tironum imbecillitati magis accommodatum ſit, quam virorum uſui & ſcientiae. Facti quidem ſpecies ex principiis atque ex univerſa legum ratione aeſtimat: in quaeſtionis vexatae reſolutione tantum dicit, quantum dicendum est, non quantum proferre potuisſet, ſiquidem inanem verborum ſtrepitum perſona ſua dignum ſatis judicasſet.* In toto hoc paragrapho maxime nobis enituisſe videtur auctoris ingenium atque eruditio: & dicendi genus ita nobis placuit, ut vitium illud, quod p. 71. incuria ejus fudit, *proprio Marte, ut dici-*

citur - cum *ſuo Marte* esſet ſcribendum, non inviti correxerimus. Scaevolam herciscundum fuisſe demonſtrat §. 6. De praeceptore ejus nihil habet dicere Cl. Conradius §. 7. De discipulis autem auctoritateque ejus duobus §. §. ſeqq. certiora in medium profert. Honores Scaevolae §. 10 tradit, eumque a Marco Antonino Philoſopho in conſilium amicorum adlectum, atque ab eo Imperatore dignum fuisſe judicatum, qui primum inter eos locum obtineret, recte ex Julio Capitolino in vita M. Antonini Philoſophi Cap. XII. probat. Bonum quoque virum & integrum vitae fuisſe JCtum noſtrum §. 11. oſtendit. Non tamen videmus Scaevolam in L. 43. D. *de Recept.* ſuadere ut ſumtibus parcant. Unicuique ſane qui illam legem intuetur, prima ſtatim ſpecie adparebit Cl. Conradium eam plane non inſpexisſe. Nos quidem, ſi oſtendere voluisſemus, Scaevolam partes a litibus incertis atque a ſumtibus faciendis deterrere ſolitum fuisſe, protulisſemus nulla mora interpoſita L. 51. D. *de Pecul.* in qua Scaevola, *Quod debetur*, inquit, *ſervo ab extraneis, agenti de peculio, non omnimodo dominus ad quantitatem debiti condemnandus eſt: cum & ſumptus in petendo, & eventus executionis posſit esſe incertus: & cogitanda ſit mora temporis, quod datur judicatis: aut venditionis bonorum, ſi id magis faciendum erit.* Quae ſane lex

ſi-

ſilentio praetereunda non erat, cum integritatem Scaevolae, ejusque ſtudium conſultorum rationibus conſulendi elegantisſime demonſtret. Cujus exemplum utinam hodie advocati & JCti ſequantur! Celebratum autem dictum Scaevolae non ita ſe habet, uti Conradius p. 147. illud profert in medium, ſed ita a JCto enunciatur: *Jus civile vigilantibus ſcriptum est*, & in L. 24. D. *Quae in fraud. credit. fact. ſunt.* continetur. Agmen tandem claudit §. 12. in quo de ſcriptis Scaevolae diſputatur. Hunc libellum perventurum ad gloriam ſcriptorum egregiorum, quae Jo. Gottl. Heineccius, Ever. Otto, aliique clari viri ad exponendas veterum JCtorum vitas in vulgus ediderunt, nullo modo dubitari poteſt. Quae ſcripta, ut ab erudito quodam viro colligantur, jurisprudentiae bono optamus. Caetera autem ſcripta minora, quae primo hoc volumine continentur, ad legum quarundam explicationem pertinent, in quibus criſin aliorum vel evertit, vel leges male explicatas rectius exponit. Quae omnia nobis mirifice placuerunt, eaque elegantioris jurisprudentiae ſtudioſis unice commendamus. Ad Horatii quoque verſum: *Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci* diſputatiunculam elegantem invenimus pag. 187-220. *Rationem enarrandae hiſtoriae juris Romani, & orationem exquiſitae elegantiae de juris & aequi-*

aequitatis inter ſe conſenſu, ultimo loco collocavit. Quod ad volumen ſecundum adtinet, a Conradio contendimus, ne quasvis ſcriptiunculas academicas, quales Profesſorum dextrae mercede conductae & de gloria parum ſollicitae exarant, exempli gratia, *de cautione Muciana*, *de condictione Juventiana*, nobis denuo propinet, ſed eas placida pace compoſitas cum ſimilibus collegarum ſuorum diſputationibus blattarum tinearumque epulas esſe patiatur. H. W.

* * *

Quum jam finem impoſuisſemus huic ſcriptioni, triſtis ſane atque luctuoſus nos perculit nuntius de obitu Petri Burmanni Secundi. De quo caſu ut ne taceamus, cum noſter nos cogit dolor, cujus est in ipſa ejus commemoratione aliquod ſolatium ac levamen: tum provincia noſtra poſtulare videtur, cujus pars est, de rebus tam adverſis quam proſperis ex literata civitate referre. Et vero eo gravius nos affecit hic nuntius, quo magis praeter ſpem atque exſpectationem nobis accidit. Nam vix annus erat ex quo ſe munere Burmannus profesſorio abdicaverat, atque, honeſtisſimo ſtipendio auctus ab Ampl. Athenaei curatoribus, ſe ex urbanarum rerum occupationumque moleſtiis in villam ſuam Santhorſtianam & literatum otium contulerat. Ibi demum veram ſibi vitam nactus videba-

tur,

tur, atque adeo revirescebat, degebat in literis, multaque doctrinae ſtudiique ſui opera dudum affecta perficere inſtituebat. Verum omnia ejus *conſilia*, omnémque amicorum ſpem praevertit repentina apoplexis, qua extinctus est a. d. 24 Junii, cum natus esſet annos ſexaginta & quatuor, menſes octo. Cujus obitus cum multis nominibus flebilis ſit atque acerbus, tum haud minime literarum causſa. Erat hucusque in Propertio occupatus; cujus editionem quotidie urgebat, & jam ad dimidium produxerant chalcographorum operae; hoc abſoluto aliud cogitabat, aliudque deinceps proſpiciebat. Habebat enim cum ipſe maximam doctrinae copiam, tum vero literatam ſupellectilem ex libris virorum doctorum *ineditis tantam*, quantam privatorum quidem hominum haud ſcio an nemo umquam habuerit. Ac de Propertio quidem credimus esſe ſalvam rem, neque dubitamus quin ejus editio, viri alicujus docti opera, brevi abſolvi queat. Reliqua ineditarum ſcriptionum ſchedarumque ſupellex ne in imperitas manus incidat, atque hac calamitate etiam augeatur damnum quod literae morte Burmanni fecerunt, id vero ne fiat vehementer optamus.

BIBLIOTHECA

CRITICA.

PARS QUARTA.

Ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐςὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

LONGINUS.

AMSTELODAMI,

Apud PETRUM DEN HENGST,

MDCCLXXIX.

BIBLIOTHECAE CRITICAE

PARS QUARTA.

I.

ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ. EURIPIDIS *quae extant omnia. Tragoedias ſuperſtites ad fidem veterum Editionum codicumque MSS, cum aliorum, tum praecipue Bibliothecae Regiae Pariſienſis recenſuit: Fragmenta Tragoediarum deperditarum collegit: Varias Lectiones Inſigniores Notasque perpetuas ſubjecit: Interpretationem Latinam ſecundum probatiſſimas lectiones reformavit SAMUEL MUSGRAVE M. D. Accedunt Scholia Graeca in ſeptem priores Tragoedias ex optimis & locupletisſimis Editionibus recuſa. Oxonii ex Typographeo Clarendoniano.* 1778. *Voll. IV.* 4 *Maj.*

Conſtat inter omnes, ingeniorum ac doctrinarum laude tantum praeſtitiſſe reliquis Graecis Athenienſes, quantum fere ipſi Graeci barbaris. Cujus qui-

dem rei cum alias reperiemus extitisſe causſas, tum eam in primis, quod mature admodum Athenis Tragoediae & Comoediae ſpectacula inducta publiceque exhibita ſunt. Nam antiquisſima aetate apud alios Graeciae populos literis atque doctrinae parum tribuebatur publicae laudis ac mercedis, & qui apud eos erant docti atque ingenioſi, hi ſuo fere ſtudio & naturae bonitate extiterant: contra decus omne ponebatur in ſolemnium ludorum victoria, quae corporis viribus & velocitate parabatur, eaque victoria immortalitatis inſtar habebatur. At vero Athenienſes in utraque laude operam ponebant: & quemadmodum ludis Olympicis, Pythicis, Iſthmicis, Nemeis, cum aliis Graecis de corporum roborisque palma certabant, ita Athenis ipſi inter ſe Tragicis, *Comicis*, *aliis*que certaminibus Muſicis, haud minori ſtudio de ingeniorum gloria contendebant. Atque aliarum quidem artium disciplinarumque, quamquam maxime cultae ſunt auctaeque Athenis, tamen aliquam laudem etiam habent reliqui Graeci; ars oratoria & ſcenica poeſis ſolis propriae ſunt Athenis; ubi natae, altae, perfectaeque ſunt. Et profecto magnam habebant vim illa ſpectacula apud ſpectatores ad acuendum pulchri honestique ſenſum: & honor publice habitus poetis homines ingenioſos mirifice incitabat ad ejusdem artis ſtudium. Igitur ut ſemel quaedam ratio ſcenae coepit inſtitui, incredibile est dictu quam brevi effloruerit, & ad ſummum pervenerit.

Sed

Sed in Tragoedia hoc maxime licet mirari, quod, ut ait Vellejus (1, 16.), una neque multorum annorum ſpatio diviſa aetas eam per divini ſpiritus viros Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem illuſtravit. Nam Comoedia quidem a multis excellentisſimisque tractata poetis, per Menandrum demum ad ſummum faſtigium pervenit; quorum cum pene innumerabiles extiterint fabulae, eas omnes, exceptis undecim Ariſtophaneis, periiſſe, cum literarum communi naufragio, tum caſui etiam tribuendum eſt, qui in his rebus dominatus eſt plurimum. Tragicorum omnium, praeter aliquot Aeſchyli, Sophoclis, & Euripidis, fabulas item abſumſit vetuſtas; verum in iſta jactura non tantum communis calamitas & caſus, ſed multum etiam Antiquorum valuit judicium, (de quo vid. Ruhnk. Hist. Crit. Or. Gr. p. 94, 95.), qui illos tres eximie & nominarunt & celebrarunt Tragicos: unde factum eſt, ut reliquorum fabulae paulatim ex hominum notitia abirent, & tandem penitus intercider ent.

Incidit vero trium illorum Tragoediae principum aetas in florentisſima Graeciae tempora, quibus in primis Athenae fuſis fugatisque Perſis, ſumma belli gloria cumulabantur & maris imperium tenebant. Nam postquam Piſiſtrati temporibus Thespis choros Satyricos, qui in Bacchi honorem agebantur, ad aliquam rationem redegiſſet, atque, adjecto histrione, qui fabulam caneret, prima Tragoediae fundamen-

ta jeciſſet, erat ea tamen agreſte inconditumque ſpectaculum atque indignum hominibus politis & liberalibus. Deinde, circa bellum Marathonium, extitit Aeſchylus, qui perſpiceret quanta eſſet in hoc Theſpidis ludicro materia & opportunitas, ſi quis illud a ſordibus purgare & ad rationem ſanitatemque revocare poſſet. Hic igitur primus Tragoediae, cujus veram mente conceperat vim, certam inſtituit formam, eamque modo ac ratione deſcripſit. Et primum omnium ipſam veluti vitam indidit Tragoediae, actionem atque diverbium, adjuncto altero histrione. Cumque antea plauſtris veheretur hoc ſpectaculum, atque histrio ſaltatoresque vultus inungerent faece, Aeſchylus ſcenam reperit, eamque certo loco conſtituit, actoribus dedit perſonas, veſtitum decorum, cothurnum, & orationis gravitatem magniloquentiamque iis adjecit. Gravis eſt in primis ejus rei teſtis Horatius (A. P. 275.):

Ignotum tragicae genus inveniſſe Camoenae
Dicitur & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Qui canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Poſt hunc perſonae pallaeque repertor honeſtae
Aeſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

Interea cum unus in ſcena regnaret Aeſchylus, exortus eſt praeſtanti juvenis ingenio Sophocles,

qui

qui animum ad Tragoediam adjiceret, ejusque formam atque materiam ita denuo digereret ac deſignaret, ut intelligentisſimorum hominum judicio, ſumma in eo tragicae poeſeos vis atque menſura conſtitisſe videretur.

Neque enim tantum, quod erat in ſcena & ornatu inanis pompae ac ſpeciei, circumcidit, ſed orationis Aeſchyleae grandiloquentiam ac ſonum temperavit; &, quod ejus rei caput erat, actionem auxit variamque reddidit; adjectis pluribus histrionibus, ipſius denique argumentum fabulae ad naturae veritatem ſimplicitatemque deſcripſit. Igitur adeo velociter ad ingenii laudem evolavit, ut ſex & viginti natus annos ipſum Aeſchylum vinceret. Nam cum olympiadis ſeptuageſimae ſeptimae anno quarto, propter inventa reportataque a Cimone Theſei osſa, ſolemne tragicum inſtituisſent certamen Athenienſes, ex omnibus poetis duo ſoli digni videbantur victoriae praemio, Aeſchylus & Sophocles, qui tum primum fabulam docebat, inter quos diſtracta erant ſpectatorum ſtudia, eamque ob cauſſam judices certaminis nullos ſortitus erat Praetor. Cimon igitur ipſe, cum in theatrum prodiisſet, & ſolemnes Deo libationes fecisſet, decem, quos ſecum duxerat, collegas ſacramento adegit, ne prius ex theatro abirent, quam de victoria Tragicorum ſtatuisſent. Nullum umquam fertur fuisſe certaminis judicium, quod tanta ambitione & animorum con-

tentione ageretur; aliis, ut credibile est, judicum ſpectatorumque Aeſchyli auctoritatem gloriamque honorantibus, aliis Sophoclis ingenio & laudi creſcenti faventibus. Judicatum est ſecundum Sophoclem. Fama est, Aeſchylum ex hoc civium judicio taedium concepiſſe patriae, eaque tandem relicta in Siciliam ſe contuliſſe, ubi diem ſuum obiit olympiade octogeſima prima. Verum Sophocles non modo Tragoediae principatum obtinuit, ſed ſummos etiam in republica honores asſecutus est; quippe anno quarto olympiadis octogeſimae quartae praeturam gesſit cum Pericle ad Samum.

Natus est Euripides olympiadis ſeptuageſimae quintae primo anno, quo Xerxes ad Salamina victus est a Themiſtocle, cum Sophocles *quintum ſupra* decimum ageret annum. Anno aetatis duodevigeſimo ad Tragoediam ſcribendam animum appulit; cui quidem quid post Sophoclis ingenium diligentiamque novae dotis adjungeret habere vix potuit, tamen propriis quibusdam & ſuis excelluit virtutibus. Et vero Euripidis pueritia incidit in illud tempus, quo nullum umquam aliud fuit efficacius ad proferendam excitandamque ingeniorum magnitudinem. Rempublicam adminiſtrabat Pericles, Graecorum ſine dubio princeps belli pacisque artibus, in quo fuerunt omnia quibus verus literarum ſtator cenſetur. Nam cum incredibili ſcientiae incenſus esſet amore, ea erat intelligentia, ut de ingeniis ipſe

ipſe judicare poſſet, eo denique erat animo, ut praemiis nullis parceret, quibus hominum doctorum ſtudia aleret atque provocaret. Ad hunc igitur quum omnes undique confluerent homines artium disciplinarumve periti, duo in primis & uſi ſunt familiariter ejus amicitia, & juvenum Athenienſium ſtudia tenuerunt, Anaxagoras & Prodicus, hic eloquentiae prudentiſſimus magiſter, ille philoſophiae graviſſimus auctor. Utrique ſe dedit Euripides, & ſummam utriusque disciplinae ſcientiam ac facultatem asſecutus, neutram reliquo vitae ſpatio profeſſus eſt ac factitavit. Athleticam artem jam antea repudiaverat, quamquam primis pueritiae annis eam tanto coluerat ſtudio, ut honeſtiſſimas ex ejus certaminibus victorias reportaret. A forenſi eloquentia, quam plerique juvenes a Prodico diſcebant, abhorrebat ejus animus, cum judicio, tum magis etiam ipſa natura, quae ita erat temperata ad manſuetudinem, moderationem, & veri amorem, ut non poſſet vulgi opinionibus ſervire, malis artibus uti, ambitionem & invidiam, obtrectationem ſequi. Igitur poſtea in fabulis, quas docebat, acerrime ſaepius reprehendit causſidicorum & athletarum genus; quod apud Graecos his fere artibus gloria atque honores quaerebantur; ſtudiis vero iis, quibus aluntur ingenia & fructus doctrinae conſtans certusque paritur, non tantum, quantum par erat, praemii tribuebatur. Unam videbat, ex reliquis disciplinis, Philoſophiam esſe

eſſe beatae vitae magiſtram, & laudandarum artium omnium procreatricem: huic ſe totum dedit, eamque profiteri etiam decreverat. Et feciſſet ſine dubio, niſi eum ab hocce conſilio avocaſſet inopinatus magiſtri caſus. Nam cum mali ac ſeditioſi cives inviderent Periclis potentiae, eamque omni modo labefactare ſtuderent, eum impietatis accuſarunt, quod patriam religionem contemneret, & hominibus familiariter uteretur, qui novos Deos inducerent. Hoc in Anaxagoram valebat, neque aliud poterat excogitari crimen, quod plus haberet odii atque invidiae apud imperitam ſuperſtitioſamque plebem. Ac Pericles quidem eluſit inimicorum inſidias, & cum ipſe ex iis ſe expedivit, tum Anaxagoram quoque eripuit; ſed ita, ut ejus conſuetudinis ſuavitate, qua per multos annos fructus erat, ſe ipſe privaret. Nam ut periculo ſubduceret eum & odio iratae plebis, clam eum Athenis deduxit.

Sed Euripides cum intelligeret quantum Philoſophia haberet invidiae ac periculi, ſi quis placita ſua libere in vulgus eloqui auderet, ſtudium ſuum ad Tragoediam ſcribendam convertit; ut Philoſophiae praecepta monitaque ſub aliorum perſona in hominum celebritatem produceret, & ipſe ſcenae praeſidio & commendatione tutus eſſet. Igitur ſpatium nactus, in quo ingenii vis excurreret, brevi eluxit, & in ejus principatus, quem Sophocli tribuebant, ſocietatem venit. Fabulas docuit ſeptuaginta, quibus

bus quindecim victorias conſecutus est. Tandem provecta aetate in Macedoniam abiit invitatus propter ſapientiae famam ab Archelao rege, ibique aliquot annis transactis, mortuus est anno tertio olympiadis nonageſimae & tertiae. Ceterum ejus poeſeos quanta fuerit jam apud ejus aequales vis atque laus, multa ſunt documenta: ex quibus duo ſola commemorabimus. Alterum, quod Socrates, duodecim annis minor Euripide, eum ſtudioſe coluit, & cum raro adiret ſpectacula, numquam fere abesſet, quum Euripides fabulas doceret. Alterum, quod ejus carmina miſeris etiam atque perditis civibus ſaluti fuerunt. Nam cum, expeditione Sicilienſi, Athenienſium vires ad Syracuſas concidisſent, fuſo caeſoque exercitu, haud pauci militum ſervitutis miſeriam leniebant, cantandis, quas ex ejus tragoediis meminerant, ſententiis, quae valerent ad erigendum in adverſa fortuna animum atque tolerandam calamitatem. Heri, quos mirifice horum verſuum ſuavitas & dulcedo ceperat, in pretio habuerunt captivos, qui Euripidis carmina ſcirent, & libertate etiam donarunt. Alii qui hoſtium potestatem effugisſent, oberrantes per Siciliam omniumque rerum inopia laborantes, hanc unam expediendae ſalutis viam invenerunt, ut cantandis Euripidis carminibus victum ſibi pararent. Qui reduces in patriam, Euripidem auctorem ſalutis agnoverunt, eique cum lacrymis gratum animum teſta-

ti ſunt. Et profecto uberrimum ſtudii ſui fructum cepiſſe videri ſibi poterat Euripides hac beneficii voluptate, qua nulla major voluptas accidere poteſt bono civi eidemque viro docto.

Sed ut Pericles ex diſciplina Anaxagorae praeclarus extitit orator, quod eo magiſtro mentem naturae cognitione replevisſet & ad altitudinem extulisſet, ita Euripides eadem ex ſchola *excellens* prodiit poeta, quod ingenium aluisſet rerum divinarum humanarumque ſcientia, quae una veram poeſeos vim ac ſublimitatem parit. Hinc boni maliquè cauſſas didicit, hinc hominum mores, ingenia, eorumque abditos receſſus: hinc novum Tragoediae protulit genus, quod doctrinae praeſtantia ſententiarumque gravitate eſſet plenum, & *exhiberet* virtutum vitiorumque exempla ex ipſa natura expreſſa, quodque animos cum ſuavitate delectaret, tum rationibus ad virtutis ſtudium converteret; unde factum eſt, ut a poſteritate ſcenicus philoſophus & diceretur & haberetur. Sit igitur Sophocles diligentior cum in deſcribendo ad veriſimilitudinem fabulae argumento, tum in accommodandis moribus ad perſonarum varietatem: habet quoque ſuas Euripides laudes, easque plane egregias. Habet *genus* orationis propius accedens ad vitae conſuetudinem & hominum captum: habet ſententiarum veritatem gravitatemque ex ſapientiae ſtudio & civili prudentia: habet ſuavitatem, dulcedinem, elegantiam prorſus

ſus mirificam: habet eloquentiae vim incredibilem, ut quamcunque perſonis tribuat orationem, ea probanda videatur: habet denique facultatem ad animi affectus, praeſertim terroris & commiſerationis, tam admirabilem, ut vel ab Ariſtotele, acerrimo vitiorum reprehenſore, τραγικώτατος appellatus ſit. Quid vero? Nullamne putemus Quintiliani eſſe auctoritatem, qui (Inſt. X, 1.) ita de duobus his Tragicis judicat. „ Sed, inquit, longe clarius (*Aeſchylo*) illuſtraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides: quorum in diſpari dicendi via uter ſit poeta melior, inter plurimos quaeritur. Idque ego ſane, quoniam ad rem praeſentem nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur neceſſe est, iis, qui ſe ad agendum comparant, utiliorem longe Euripidem fore. Namque is & in ſermone (quod ipſum reprehendunt, quibus gravitas & cothurnus & ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior) magis accedit oratorio generi: & ſententiis denſus, & iis, quae a ſapientibus tradita ſunt, paene ipſis par: & in dicendo & reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diſerti, comparandus. In affectibus vero cum omnibus mirus tum iis, qui miſeratione conſtant, facile praecipuus. Hunc & admiratus maxime est, ut ſaepe teſtatur, & ſecutus, quamquam in opere diverſo, Menander: qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta, quae praecipimus,

mus, efficienda ſufficiat: ita omnem vitae imaginem expreſſit: tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, perſonis, affectibus, accommodatus."

Ceterum ipſa, quae vitio vertuntur a plerisque Euripidi, veluti Prologi, nunciorum narrationes, & ſi quae ſunt alia, facilem habent excuſationem: quippe profecta ſunt non ex ignorantia, ſed ex ingenii potius abundantia, & certo judicio, quibus factum est, ut nonnumquam veriſimilitudini anteponeret perſpicuitatem. Igitur tantum abſuit, ut propterea minus eum posteritas coleret, ut legentium ſtudio copiaque etiam Sophoclem ſuperaverit. Quod cum inde intelligitur, quod Euripidis undeviginti fabulae, Sophoclis non niſi ſeptem, nec plures *Aeſchyli*, ad noſtram ſervatae ſunt aetatem: tum inde, quod unus ex poetis, excepto Homero, Euripides eam asſecutus est auctoritatem exiſtimationemque ſapientiae, ut ſinguli fere ejus verſus pro ſingulis haberentur teſtimoniis, & proverbiorum vim nanciſcerentur. Nil dicamus de aliis Scriptoribus, quorum ut quisque ſtudioſior fuit verae eloquentiae, ita majorem poſuit operam in Euripide legendo & pene ediſcendo. Philoſophi quidem praeceptorum rationes atque exempla ex Homero fere & Euripide petebant; quod cum ex Platone atque Ariſtotele apparet, tum in primis ex Stoicis. Nam princeps ejus familiae, Chryſippus, nullum facile alicujus momenti praeceptum poſuit, niſi

niſi auctore adhibito Euripide. Qui quidem aliquo libro tot ex Medea ſumſit verſus, ut is liber a festivis hominibus Chryſippi Medea vocaretur. Sed a Chryſippo omnes, qui eum ſecuti ſunt, pendent Stoici: & dici vix potest, quam frequens ſit apud eos Euripidis vel auctoritas, vel orationis color ex eo ductus; ut niſi quis ejus tragoedias multo uſu tritas habeat, eum neceſſe ſit in ſententiis eorum haud paucis aut errare aut caecutire. Jam omnium omnis aevi Scriptorum, doctrinae copia, varietate, praeſtantia, nemo est anteponendus Plutarcho. Hic vero quam fuit Euripidi deditus? quam est totus Euripideus? Nos quidem ſaepius mirari ſubiit, plerosque Plutarchi editores, ejus emendandi interpretandique praecipuum fontem, Euripidem, parum cognitum pertractatumque habuiſſe.

Itaque cum in Euripide tantum ſit momentum cum ad antiquitatis ſcientiam, tum ad aliarum rationem disciplinarum, tum ad omnem honeſtatem atque humanitatem, magna profecto habenda est gratia Musgravio V. C., quod talem tantumque auctorem faciliorem planioremque reddidit ad hominum intelligentiam. Quae quidem opera quam vim laudemque habeat, deinceps a nobis exponetur. Et primum univerſe de operis forma, deſcriptione, & ſubſidiis librorum veterum, quibus uſus est editor, videbimus: deinde, ſagacitatem atque doctrinam editoris, quae cernuntur in locorum corruptorum ſanatione

natione & obſcurorum interpretatione, ſpectabimus.

Tragoediae ipſae tribus continentur prioribus voluminibus, ad calcem cujusque voluminis animadverſionibus adjectis Musgravii, tertio quidem *additis* etiam fragmentis perditarum tragoediarum: *quarto* comprehenditur Latina verſio vulgaris, ab editore multis locis castigata, & Scholia antiqua antea ſaepe per editiones vulgata.

Animadverſiones breves ſunt, quippe quae ad primum pertinent volumen, quo ſex continentur fabulae, non ultra centum & duodeviginti paginas excurrunt, & in reliquis voluminibus ad eundem fere modum: conſtant maxime illuſtratione emendationeque locorum difficilium, & commemoratione variarum lectionum, non quidem *omnium*, ſed earum, quae aliquam vim ad criticam rationem *habere* viderentur. Praefatio brevis est. Eam ſequuntur Moſchopuli, Thomae Magiſtri, & A. Gellii, narratiunculae de vita Euripidis. Adjecta est Chronologia ſcenica, ab Euripidis nati tempore, ad ejus mortem, breviter & accurate a Musgravio deſignata. Textum Graecum, quem expresſerit Musgravius, non ſignificatur: nobis Commelinianum maxime ſecutus videtur. Libri ſcripti *maximam* partem ſunt Pariſini, ex bibliotheca regia: ſex ſunt numero, quorum alius plures, alius pauciores habet fabulas, nullus omnes, quae ſuperſunt. Duo praeterea ex eadem bibliotheca habuit exempla typis ex-

expreſſa, quorum alteri a manu ignota adſcriptae erant variae lectiones codicis cujusdam ſcripti, usque ad finem Iphigeniae Tauricae; alterum Stephanianum, in cujus margine notulae aliquot erant Tanaquilli Fabri. Libri Britannici, quibus uſus est Musgravius, hi ſunt: Exemplum Barneſianum, in cujus margine ſunt lectiones libri ſcripti Cottoniani: Askewiani duo, quorum in altero ſunt Hecuba & Orestes, in altero eaedem fabulae cum Phoeniſſis: Harlejanus ex Muſeo Britannico, qui Rheſum & Troades habet: Editus liber princeps Florentiae literis majusculis, cura, ut Mettairio viſum est, Iani Lascaris, quo libro continentur, Medea, Hippolytus, & Alcestis: Aldinus liber, editus A. 1503, qui ſuperſtites fabulas omnes habet, excepta Electra & fragmento Danaes: Victorianus liber, editus Florentiae A. 1545, in quo ſunt eaedem, quae in Aldino, fabulae, & praeter has etiam Electra: Lectiones codicum duorum Italicorum, excerptae editaeque ab H. Stephano A. 1568: Jortini exemplum, cui adſcriptae obſervationes multae, ex quibus eas tantum commemoravit Musgravius, in quibus Jortini acumen appareret. E Batavia noſtra habuit collationem libri Florentini ab Iſ. Voſſio factam, quam ex bibliotheca Academiae Lugdunenſis cum eo communicavit Ruhnkenius. His etiam ſubſidiis adjiciendae ſunt omnino lectiones animadverſionesque, quas priores editores Pierſonus, Thirwittus, Reiskius,

&

& in primis Valckenarius noster, protulerunt.

Satis de librorum ſubſidiis dictum est. *Propius* jam ipſum Euripidem inſpiciamus, & Musgravianae operae vim cognoscamus. Atque, ut eadem *opera* formam Euripideae Tragoediae uno in *exemplo* oſtendamus, Hecubae ſummam atque argumentum per partes deinceps enarrabimus, & locos ſimul eos exponemus, in quibus Musgravii criſis verſata est.

Troja capta, reditum in patriam Graeci parant. Priami uxor Hecuba cum filiabus & aliis Trojanis mulieribus captivae abducuntur: filii quidem ejus Graecorum ferro ceciderant, excepto Heleno, & minimo natu Polydoro, qui apud Polymestorem Thraciae regem alebatur. Hunc quoque Polydorum ipſe, cujus fidei & tutelae *commiſſus erat*, Polymestor interfecerat, neque dum ejus necis fama ad Hecubam pervenerat. Cum Graeci jam in eo esſent, ut proficiscerentur, existunt manes Achillis ex tumulo, quem ei Graeci ad Trojam ſtruxerant, ſibique Polyxenae, Hecubes filiae, ſacrificium deposcunt. Polyxena ex matris gremio abſtrahitur & ſacrificatur. Mox nuncius adfertur de Polydori caede, ejusque corpus maris fluctibus in littus ejectum ancilla ad Hecubam apportat. In his tantis malis hoc unum ſibi relictum esſe ſolatium Hecuba decernit, ut de Polymestore poenas exigat: huc omnes convertit curas & cogitationes. Igitur eum ſolum ad ſe in tentorium allicit, ubi eum ex inſidiis ado-

adoriuntur Trojanae mulieres atque acubus excaecant, ipſa duos ejus parvulos filios trucidat. Tres igitur ſunt fabulae caſus, quorum ſinguli ſua gravitate atrocitateque justae habent tragoediae materiam, quosque univerſos uno argumento ſatis veriſimiliter complexus est Euripides. Videamus nunc partium deſcriptionem.

Primum ſola prodit umbra Polydori & prologum facit. Fuit enim hujus rationis auctor Euripides, ut ab initio fabulae induceretur perſona, quae ſola loqueretur, & ejusmodi orationem haberet, ex qua ſpectatores argumentum agendae fabulae intelligerent. De quo ipſum invento gloriantem facit Ariſtophanes in Ranis 977. Sophocles quidem nullis utitur prologis, neque fabulae agendae ſummam ab initio ſignificat: quod Euripides contra necesſarium judicavit factu, ne ſpectatoribus tenebrae objicerentur, eorumque intelligentia diu fluctuaret ac fruſtraretur. Igitur Polydorus ita orditur:

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Λιπὼν, ἵν' Ἅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν,
Πολύδωρος, Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως
Πριάμου τε πατρός. κ. τ. λ.

„ Venio huc Polydorus, Priami & Hecubae filius, relictis inferis. Nam Priamus me puerum Poly-

meſtori, Thraciae hujus regi, educandum tradiderat, adjecto magno auri pondere; ut, ſi forte Trojam Graeci caperent, liberis, qui ſupereſſent, aliquod vitae paratum eſſet ſubſidium. Verum, capta Troja, Polymeſtor repudians & amicitiam Priami & jus hoſpitii, me interfecit & in mare abjecit, auro ipſe potitus eſt. Jamque hic eſt tertius dies, quod corpus meum undarum fluctibus agitatur. Ego vero, quo ſepulchri particeps fierem, ab inferorum Rege hanc veniam poſtulavi atque impetravi, ut breve tempus ad ſuperos redirem, & efficerem, ut corpus meum matri redderetur. Atqui miſera mater aliam, praeter hancce, eamque atrociſſimam ſubibit calamitatem. Achillis enim manes ad ejus tumulum apparuerunt, atque Polyxenae ſibi ſacrificium expopoſcerunt: neque hoc ei negabitur a Graecis: nam fatum Polyxenae mortem deproperat. Igitur hoc uno die mater duorum natorum & mortem cognoſcet & cadavera adſpiciet. Sed ecce prodit miſera mater ex Agamemnonis tentorio, exterrita meo ſimulachro! Abeam ex ejus conſpectu? Vah, miſerrima foeminarum, quae ejecta regio avitoque palatio, nunc in ſervitute ſquales! Adeone tibi Deus pro magna felicitate aequalem calamitatem rependit?"

Primos verſus duos parodia luſit, ut eſt mos Comicorum, Ariſtophanes in fabula perdita ap. Athen.

L. III.

L. III. p. 112. F., eosque imitatus est Tragicus Romanus apud Ciceronem Tuſc. I, 16.

Adſum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua,
Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maxumis, ubi rigida conſtat craſſa caligo inferum.

Virgilius etiam Aen. III, 49, ſequ. quamquam in Polydori nece nonnihil ab Euripide discrepat, tamen ejus imitationis manifestas habet notas. De his omnibus nil monuit Musgravius. Quod non ita dicimus, ac ſi arbitraremur, ejus doctrinam, quod minime credibile est, hoc fugisſe: ſed ut intelligatur ratio animadverſionum ejus, quibus hoc, vel unice, vel maxime, egit, ut corrupta emendaret & obſcura illustraret. Itaque explicatur v. c. v. 9. quid ſit εὐθύνων δόρι: v. 13. ὃ poſitum pro δι' ὅ: v. 16. ὁρίσματα γῆς ὀρθὰ esſe accipiendum pro *terminis*, ſeu columnis, quae in finibus regionum ponebantur: v. 53. ubi Polydorus ait, *Abeam ex conſpectu matris*, περᾷ γὰρ ἥδ' ὑπὸ σκηνῆς πόδα Ἀγαμέμνονος, corrigitur — ἥδε πρὸ σκηνῆς πόδα.

Progreditur ex Agamemnonis tentorio Hecuba, gravis annis, trepidans exterritaque ſomniis, quae ad chorum, qui est ex Trojanis mulieribus ſociis ejusdem captivitatis, eloquitur; petitque ab iis, ut ſe ducant ad filium Helenum aut filiam Casſandram, qui

haec ſomnia interpretentur. Viderat enim Achillis manes ſibi unam Trojanarum dono a Graecis poſcere: viderat etiam lupum, qui ex ejus gremio juvencam raperet: praeterea Polydori obſcurum quoddam viſum ad eam acciderat, quod quale fuerit, ipſa jam non ſatis meminiſſe videtur." Avertite, inquit, o Dii, haec omina a liberorum meorum capitibus. „ Una captivarum docet Hecubam, verum eſſe ejus ſomnium; Achillis enim manes apparuiſſe ac popoſciſſe, ut ſibi ſponſa dono ad inferos mitteretur a Graecis: Graecorum hac de re habitam concionem, varieque deliberatum eſſe: Agamemnone ſuadente, nullam tam inhumanae petitionis rationem habendam eſſe; Athenienſium ducibus Caſſandram ab Achille peti dicentibus, viciſſe *Uliſſis ſententiam*, Polyxenam Achilli ſacrificandam contendentis; addit denique captiva, ipſum Uliſſem tantum non adeſſe, ut Polyxenam ad ſacrificium abducat „ quare converte te ad Deos & Agamemnonem, in quibus *ſolis tibi* omnia ſunt." Hecuba tantum perturbata, quantum matrem de inſtanti filiae caede perturbari par eſt, non ſibi jam conſtat, hinc inde trepidans ad proximum ſe rapit conclave, in quo eſt Polyxena, eamque clamore & ejulatu excitat. Prodit Polyxena, neque continuo audit, quid mater adferat mali: quae, cum eloqui non poſſet nuncii atrocitatem, primum tempus lamentando conſumit, tandem cum gemitu haec profert verba, „ viſum eſt, o filia, Graecis te

ad

ad Achillis tumulum mactare!" Polyxena, praeter opinionem minime territa hoc nuncio, non ſuam, ſed matris, ſortem plorat. „Igitur, inquit, me quoque tibi aufert infelix tua ſors, o Mater, neque me amplius habebis ſervitutis ſociam: tui me miſeret, non mei: nam vitae adeo non ſum cupida, ut mortem in magna felicitate ponam." Per totum hunc locum matris filiaeque ingenia ad vivum exprimuntur, cum actione, tum oratione etiam, quam difficile eſt alia vertere lingua, nedum reddere univerſa ejusmodi deſignatione.

In verbis Hecubae v. 77. Εἶδον γὰρ φοβερὰν ὄψιν, corrigit Editor, ε. γ. φανερὰν ὄ. quod quamquam non est malum, tamen non videmus, quare vulgato verius judicetur. Ex tribus verſibus 90, 91, 92, duo conſtituuntur heroici. V. 118. Πολλῆς δ' ἔριδος συνέπεσε κλύδων, reponere tentat συνέπαισε, ut conjecerat jam Exerc. II, 1. V. 123, exquiſita est obſervatio de verbo ἀνέχειν, ſignificante *honorare*. V. 164. — ποῖ δ' ἤσω; ποῦ τις θεῶν Ἢ δαίμων ἐσ' ἐπαρωγός; elegans est & acuta conjectura, ποῖ δ' ἤσω πόδα; τίς θεὸς, Ἢ δαίμων, νῷν ἐτ' ἀρωγός; V. 189 – 191, conſtructio impedita ſollerter expeditur.

Venit Uliſſes ad Hecubam, exponit decretum concionis, petit ut Polyxenam ei tradat, ſuadetque matri, ut prudenter hunc caſum ferat, & neceſſitati cedat.

dat. Haec primum ſortem funeſtam miſeratur, Deos- que accuſat, quod eam ad tot tantaque mala ſervaverint, „ Verum, inquit, ſi licet captivis colloqui cum dominis, reſponde mihi, quaeſo, Ulisſes, ad ea quae te interrogavero. Ul. Faciam, o Hecuba, neque tibi temporis hujus uſuram invidebo. H. Meministine cum ſpeculator ingresſus esſes Trojam ſordido veſtitu. Ul. Memini vero, neque enim tam levis fuit is caſus, ut tam cito ex mente efflueret mea. H. Tunc Helena te agnovit & mihi ſoli factum tuum ſignificavit. Ul. Omnino memini, me tum in magno vitae diſcrimine verſari. H. Quid? Supplex etiam genua prehendiſti mea? Ul. Equidem ea tam obſtinate tenui, ut eorum amplexu manus mihi mea emori videretur. H. Ego vero ſervavi te, & ſalvum ex civium meorum poteſtate te dimiſi. Ul. Non nego: tuum eſt beneficium, quod lucem hanc adſpicio. H. Ecquid vero dixiſti, cum vita tua in manu esſet mea? Ul. Multos quaeſivi ſermonum colores, ut mortem effugerem. H. Quem igitur animum tibi esſe dicam, Ulisſes, qui pro tanto mihi beneficio talem rependis gratiam? ſed nimirum hocce eſt vobis oratoribus ingenium; nullam habetis vel benefactorum, vel amicitiarum rationem, dummodo populo placeatis. „ Hoc dicto Euripides Athenienſium demagogos oblique tetigit, a quorum moribus ſemper ejus ingenium abhorruit. Ceterum pergit Hecuba." Jam, Ulisſes, quae cauſſa esſe poteſt, quod humanam victimam expetat

Achil-

Achilles. At inimicos ulciſci vult? Helena igitur ei detur, quae cauſſa fuit ei, ut Trojam veniret ibique occumberet. At pulcherrimam expoſcit captivarum? haec eadem eſt Helena. Veruntamen malo gratia & beneficiis tecum contendere, quam jure. Quod ſi ergo aliquando te ſupplicem orantemque ſervavi, tute nunc viciſſim meis precibus vinci patiaris, ejusque mihi benefacti gratiam referas. Noli ex gremio meo avellere filiam: ſatis mihi natorum veſtrum abſtulit ferrum; haec jam unicum mihi relinquitur gaudium, haec malorum mihi eſt oblivio & ſolatium, haec patria, nutrix, ſenectutis fulcrum & viae dux. Nolite abuti victoria, aut fortunam vobis ſemper proſperam putare futuram. Et ego in magna fui felicitate, quam unus mihi abſtulit dies. Noli contemnere meas preces: noli miſericordiam ab animo tuo excludere. Doce Graecos, nefas eſſe, mulieres occidere, quibus ſemel pepercerint, cum caperentur & a Deorum aris abſtraherentur; capitis idem eſt jus & liberis & ſervis. Redi, quaeſo, in concionem, & ſuade hanc Graecis ſententiam; perſuadebis profecto, ſi minus eloquentia, certe auctoritate". Nihil poteſt efficacius excogitari hoc ſermone Hecubae, cum argumentis, tum commiſeratione; ut ſpectatores etiam ii, qui ſciunt, quantum a miſericordia abhorreat Uliſſis ingenium, tamen ſolliciti de eo ſint, neque reperiant, quem orationis colorem aut juris ſpeciem Hecubae objecturus ſit. Igi-

tur placide infit. „Audi, inquit, mulier, nec tantum apud te valeat ira, ut me, ſi recta tibi ſuadeam, inimicum exiſtimes. Equidem te, a qua tanto ſum beneficio affectus, ſervare paratus ſum; at ſententiam, cujus auctor fui concioni, revocare turpe est. Haec quippe certisſima est civitatibus exitii cauſſa, quod viri boni fortesque non plus ferunt pretii atque honoris hominibus malis & ignavis. *Ergo* colendus est a nobis Achilles, qui unus omnium fuit fortisſimus, & mortem pro patria oppetiit. An vero viventium amicorum habenda est ratio, mortuorum nulla. Quid? ſi alia nobis ſuscipienda ſit militia, nonne plerosque eam detrectaturos putes, ſi viderint benefacta ſua post mortem neglectum iri. Equidem aerumnoſam & inopem vitam libenter tolerem, dum post funus gloria & honore fruar. At fortunam tu tuam miſeram & iniquam vocas. Sunt, crede mihi, apud nos Grajae mulieres ſenio confectae, te non minus miſerae: ſunt puellae fortisſimis florentisſimisque orbatae conjugibus, quorum corpora vestro interemta ferro, Iliacus tegit pulvis. Quare age, perfer hunc caſum forti animo. Nos ſi perperam agimus, cum viro forti justa perſolvimus praemia, ſine nos hoc errore frui. Vos hunc morem teneatis, barbari, ut honorem nullum habeatis amicis & viris, qui patriae cauſſa vitam profuderunt; ita Graecia florebit; vos ſimilem vestris conſiliis fortunam habebitis." Ultima haecce verba ex eorum ſunt genere, quibus

alid

aliud quid ſpectare ſolent poetae, quam unum illud quod agitur, ac referuntur vel ad peculiare quoddam factum, vel ad favorem theatri occupandum. At Hecuba animadvertens, fruſtra ſibi conſumtam eſſe operam, Polyxenam hortatur, ut ipſa flectere Ulisſem conetur: „ Age, inquit, o filia, quandoquidem inanes pro te meae fuerunt preces, ipſa experire, an plus valeas perſuadendo: accide ad Ulisſis genua; habebit aliquid commendationis apud eum juventus tua, habet ipſe quoque liberos & animum paternum. Itaque Polyxena alloquitur Ulisſem, non quidem, ut mater jusſerat, ſupplex & abjecta ad preces, ſed generoſo fortique animo. „ Video, inquit, te faciem a me avertere, Ulisſes, dexteramque tuam, ne ſupplex eam prehendere posſim. Atqui non est quod hocce timeas: nullas tibi adhibebo preces, neque ſupplicum praeſidem tibi Jovem objiciam. Sequar te haud invita, cum necesſitati cedens, tum mortem ipſa appetens: quod niſi faciam, ignava profecto ſim puella, & vitae male cupida. Quid enim? patre nata rege, alta educataque praeclara ſpe, ſponſa petita regibus ſumma ambitione, una ab omnibus Trojanis mulieribus virginibusque culta ſuſpectaque tamquam domina, Deabus ipſis nulla re, niſi immortalitate, cedens: ego igitur tam felix tamque beata modo puella, nunc redacta ſum in ſervitutem, cujus tanta est vis, ut recentibus & inexpertis animis vel ſolo nomine cupidinem injiciat mortis. Haec quidem praeſens

eſt fortuna; cedo futuram! Superbos nanciſcar dominos, qui me pretio emtam ad quodvis abjiciant miniſterium; cibum parabo, domum verram, lanam tractabo; denique ſervus etiam matrimonio me ſibi junget, quae regibus & tyrannis deſtinata fueram; Haud equidem ego, ſi digna ſum Hectore ſoror! lucem potius hancce, quoad licet, libera intemerataque relinquam! Quare, Uliſſes, duc me ad mortem. Tu vero, mater, nec dicto, nec facto, meum impedi conſilium: quin potius in eo animum confirma meum; ut antea moriar, quam indigni quid patiar. Ignominiam, niſi qui ad eam nati ſunt, ferre non diſcunt. Praeſtat mori! Mala vita maximum eſt malum." Ceterum Hecuba non poteſt inducere animum, ut filiam a ſe dimittat: potius ipſa, vel filiae loco, vel cum ea, mortem obire vult. Uliſſes eam fruſtra ab hoc incepto dehortatur. Ergo ipſa Polyxena utrumque admonet „ Concede, Uliſſes, matri, quam in filiae caſu natura ad iram facit proniorem. Tu vero, mater, noli cum fortioribus pugnare: noli committere, ut manus tibi inferantur, & ut hujus etiam indignitatis dolorem ego percipiam. Porrige mihi manum, & genam junge genae; haec enim poſtrema eſt lux: ultimum te alloquor, vale o mater, o genitrix, abeo ad inferos. H. Ego vero ſerva lucem adſpiciam! P. Abeo inexperta tori, quo me potiri oportebat. H. Ah miſeram te, me aerumnoſam! P. Sine te, mater apud inferos ero! H. Heu quid agam,

agam, quove modo vitae inveniam finem? P. Ego vero patre nata ingenuo, ſervane moriar? H. Mihi quidem ſervae moriendum erit quinquaginta natis orbatae. P. Quid nomine tuo Hectori & ſeni marito dicam? H. Dic me miſerrimam eſſe mortalium. P. O pectora, o ubera, quae me lactastis! — Verum abduc me, Ulisſes, ne ante obitum deficiam; adeo matris commiſeratio animum liquefecit meum." Abducit Polyxenam Ulisſes. Sequitur Chori tenerrimum & flebile carmen, quo Trojanae mulieres, calamitatem plorantes praeſentem, de regionibus Graeciae quaerunt, ubi ipſis, relicta patria, reliquum vitae tempus ſerviendum ſit.

V. 237. *σοὶ μὲν εἰρῆσθαι χρεὼν, Ἡμᾶς δ' ἀκοῦσαι τοὺς ἐρωτῶντας τάδε*, corrigitur *τέως* pro *τοὺς*: quae acuta quidem est conjectura, ſed, nostra ſententia, non necesſaria. V. 241. Hecuba dicit de Ulisſe, cum Trojam intrasſet ſpeculator, *ὀμμάτων τ' ἄπο Φόνου σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γενὺν*, elegans est correctio, qua *Φόνου* mutatur in *Δόλου*, ut ſenſus ſit, *lachrymae fraudulentae genas tuas rigabant.* V. 258. *Ἀτὰρ τί δὴ σόφισμα τοῦθ' ἡγούμενοι, Εἰς τήνδε παῖδα ψῆφον ὥρισαν Φόνου.* breviter ita exponitur: *quid vero? num putantes hoc callidum inventum eſſe, puellae hujus mortem decreverunt?* V. 263. *Εἰς τήνδ' Ἀχιλλεὺς ἐνδίκως τείνει Φόνον;* Canteri probatur correctio, *τίνει* legentis pro *τείνει*: nobis

vul-

vulgata non videtur ſollicitanda. V 328 Docta atque elegans est obſervatio, de ſimili loco Demoſthenis, qui forte ex hoc Euripideo expresſus est. V. 349. Τί γάρ με δεῖ ζῆν, ᾗ πατὴρ μὲν ἦν ἄναξ Φρυγῶν ἁπάντων· τοῦτό μοι πρῶτον βίου: exquiſita est conjectura, τοῦτό μοι τρόπις βίου, quae confirmari etiam poterat comparatione Platonis Leg. VIII. p. 633. E. V. 358. Sententia Chori Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς, Ἐσθλῶν γενέσθαι, ſaepisſime laudatur ab antiquis: ſed haec nimirum notare, non erat conſilium editoris. V. 387. in verbis Hecubae: Ἡμᾶς δ' ἄγοντες πρὸς πυρὰν Ἀχιλλέως κεντεῖτε: nobis olim in mentem venerat Κτενεῖτε. V: 431. Sunt Hecubae verba: Τέθνηκ' ἔγωγε, πρὶν θανεῖν, κακῶν ὕπο, & v. 433. Polyxenae dictum: πρὶν σφαγῆναι γ' ἐκτέτηκα καρδίαν Θρήνοισι μητρὸς, τὴν δ' ἔτ' ἐκτήκω γόοις: hinc igitur colorem duxiſſe arbitramur Plutarchum Conſolat. ad Apollon. p. 107. A. εἰ γὰρ προήδειμεν, κἂν προεξετήκοντο τινὲς ταῖς λύπαις, καὶ πρὶν ἀποθανεῖν ἐτεθνήκεισαν.

Talthybius jusſu Agamemnonis Hecubam arcesſit ad ſepeliendam filiam. Hic eam in tentorio deprehendens humi ſtratam capite obvoluto, motus miſericordia ad ejus adſpectum exclamat, „ Quid dicam, o Jupiter, Deorumne conſilio res humanas gubernari, an potius falſam vanamque esſe hanc opinionem? cet". Hecuba cum intellexisſet adesſe Talthybium, nil

nil propius cogitat, quam quod optaverat; confeſtim humo ſe tollit, & „ o exſpectatisſime virorum, inquit, an me quoque Graeci occidere volunt, age properemus, acceleremus, duc me ſenex". Sed, cognito ejus adventus conſilio, a magna dejicitur ſpe, atque lamentatur, tandem ab eo petit, ut ei filiae mortem exponat. Hoc est argumentum hujus actus; nam Talthybius tam accurate narrat & ad vivum depingit Polyxenae obitum, ut eum fere oculis audientium ſubjicere videatur: „ Faciam, inquit, o Hecuba: quamquam novum mihi luctum creas, jubesque lachrymas, quas ad adſpectum ejus caſus fudi, narratione inſtaurare. Totus erat exercitus congregatus: Pyrrhus, Achillis filius, Polyxenam manu prehendit, & ſummo tumulo conſtituit: ego lectique juvenes prope eam ſtetimus, ut, ſi necesſe foret, ejus planctum motumque cohiberemus. Porro ſilentium feci exercitui: Pyrrhus aurea patera inferias fudit in Achillis tumulum, Huc, inquit, ades o pater, propitius accipe haec libamina, & purpureum recentemque virginis ſanguinem bibe, quem tibi damus; nobisque vicisſim ſecundum ventum in patriam largire. Ita dixit, & nutu ſignificat juvenibus, ut Polyxenam manibus prehenderent ac tenerent. Quod illa animadvertens, Nolite, inquit, Graeci, patriae perditores meae, manus injicere mihi; en! volenti lubentique animo quietum & intrepidum vobis praebeo jugulum: ſinite me, ingenue na-

tam,

tam, ingenue mori: regia cum fuerim in terris virgo, ſerva ad inferos venire nolim. Adfremit exercitus totus, & imperat juvenibus Agamemnon, *ut manus ab ea contineant.* Illa veſtem rumpit, &, *denudato ſinu*, pectoris pulchritudinem, veluti *ſtatuae*, aperit; flexisque ad terram genubus, ad Pyrrhum, En, inquit, juvenis, feri vel jugulum, vel pectus: ille commiſeratione puellae primum animo fluctuat, *tum* ſpiritus iter ferro ſecat. Fluit ſanguinis rivus: illa jam procumbens veſtes adducit, ut decore caderet. Tum Graeci ſinguli & univerſi filiam laudare tuam, alii frondibus conſternere jacentem, alii rogum ſtruere, alii otioſos increpare: age, quid ſtas, ignave, neque ornas fortisſimam puellarum: atque haec una erat & conſentiens totius exercitus vox, *te fortisſimae* prolis infelicisſimam esſe matrem. „ Haec laus vim aliquam habet ad Hecubae animum; neque enim lamentatio & ejulatus conſequuntur, ſed praeſentis ſtatus contemplatio." Quamvis, inquit, multis magnisque circumdata ſum malis, ut cogitatio ab alia ad aliam diſtrahatur calamitatem, tamen primum & potisſimum mentem tenet meam funeris tui, charisſima Polyxena, acerbitas: at minuitur eadem, cum cogito, te forti generoſoque animo occubuisſe. Quantam habet vim bona mentis indoles? haec numquam mutatur in pejus. Ager ſterilis cultura fit bonus, bonus contra neglectu fit ſterilis. Hominum diverſa eſt natura; nec boni pejores fiunt, nec mali me-

meliores. Quam cauſſam ejus rei eſſe dicam? utrum liberorum ingenia a parentum indole exiſtunt, an conformantur inſtitutione? Omnino haud exiguus est fructus bonae inſtitutionis; quippe quae ſcientiam rerum bonarum & malarum adfert. Sed haec nunc vana & ſine utilitate est contemplatio. Tu redi in caſtra Talthybi, & fac ne quis tangat filiam; eam ipſa compoſitura continuo adero. Tu vero, ancilla, abi ad mare & aquam adfer, qua ſupremum Polyxenae lavacrum impertiam: ego a Trojanis mulieribus, ſervitutis meae ſociis, ornatum congeram, ſi quid dominum quaeque ſuum latens ſervavit, ut ſi minus pro dignitate, at pro facultate, filiae inſtruam funus. O fastus generis & avita felicitas! Tu liberis opibusque florentisſime Priame, & ego uxor tua, ut pristina exuti ſuperbia ad nihil recidimus! Quid est quod intumescimus gloriola, alius divitiarum, alius honoris, rerum vanisſimarum? Hic, me judice, est beatisſimus, qui in diem ſine malo degit" Abit Hecuba. Chorus carmen cantat plenum affectus; cujus argumentum est de cauſſa hujus calamitatis, quae a Paride, ejusque de Deabus judicio, repetitur.

V. 457. Οἰκτρὰν βιοτὰν, corrigitur ἴκταν βιοτὰν, i. e. *hoſpitem*, *advenam*. V. 470. & ſequ. metro ſuccurritur. V. 482. pro θεραπαίναν, metri cauſſa, emendatur θέραπναν. V. 489. ubi Talthybius dubitat,

tat, num vana ſit opinio de Deorum providentia, Ἦ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην; modeſte proponitur correctio — δόξαν αὐτοὺς τήνδε. V. 528. ἔρρει χειρὶ παῖς Ἀχιλλέως Χοὰς θανόντι πατρὶ, docte vindicatur ſignificatio *fundendi* verbo ῥεῖν. V. 555. ὑστάτην ὄπα, malit ἀσπαστὴν: in quo nos ab eo diſſentimus. V. 592. Οὔκουν δεινὸν, εἰ γῆ μὲν κακὴ, τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν, εὖ σταχὺν φέρει: ex his verbis ſententiam in Hecuba ſua expreſſiſſe videtur Accius apud Ciceronem Tuſc. II, 5. *Probae etſi in ſegetem ſunt deteriorem datae Fruges, tamen ipſae ſuapte enitent.*

Ancilla, quae aquatum abierat, redit, ſecum portans Polydori corpus, quod in littore ejectum repererat; quaerit Hecubam. Haec putans Polyxenae corpus ab ancilla adportari, eam increpat, mox intelligens aliud quid eſſe quod adferatur, metum paulatim concipit de Caſſandra, hanc quoque interfectam eſſe ſuſpicans: tum evolutum ab ancilla ex involucris Polydorum conſpicata, terrore percellitur, „ Vah, inquit, Polydori video corpus! Adeone verum fuit ſomnium?" Dolor ejus proximus eſt inſaniae; cujus ſignificatio eſt etiam in verſuum modo, ad quem cum antiquitus accederet tibiarum cantus cum actione, tum demum vis ejus affectus apparebat. Supervenit Agamemnon ipſe deducturus cunctantem Hecubam ad filiae funus: interrogat, quod-

quodnam ſit, quod ante pedes jaceat, Trojani corpus. Hecuba non ei continuo reſpondet, ſed ipſa ſecum colloquitur, dubitans an conſilium ſuum Agamemnoni aperiat." Me miſeram, inquit, utrum ad genua ejus accidam, an tacita meas feram calamitates. Ag. Quid vero faciem avertis tuam, mulier, & doloris tui cauſſam me celas? H. At ſi repudiet meas preces, novus mihi erit dolor. Ag. Velim, eloquaris quod animo volvis. H. Verum ipſa forte fallor, cum eum infeſto erga me animo eſſe puto. Ag. Niſi me vis participem facere tuorum conſiliorum, abeam prius, quam eorum quid audiam. H. Sed nequeo ſine ejus auxilio filii necem ulciſci; audendum eſt, ſive profecturae, ſive inanes futurae ſint meae preces: Obſecro te, Agamemnon, per genua tua, perque os tuum, perque dextram tuam felicem! Ag. Quid eſt, quod me vis, Hecuba; ſi libertatem cupis, hanc tibi lubens dono. H. Potius ſerviam [illegible] mihi reliquum eſt vitae, dum de inimicis meis poenam exigam." Igitur Polydori necem & ſcelus Polymeſtoris narrat Agamemnoni, eumque ad miſericordiam adducit, atque orat, ut nefarium hominem juſta poena afficiat. Gravis & plena eſt affectus Hecubae oratio, neque abhorrens ab ejus perſona. Vincitur Agamemnon, & ea conditione operam ſuam pollicetur Hecubae, dum ne apud exercitum infamiam ſuſcipiat, & videatur Caſſandrae, quam ex captivis ſibi tori ſociam

adjunxerat, Polymeſtoris interitum gratificatus eſſe. Qua quidem eum cura liberat Hecuba, ſatis ſibi eſſe dicens, ſi diſſimulet quid agatur, & Graecos, ſi qui forte ſint, Polymeſtori opem ferentes, veluti aliud agens prohibeat & avertat: ipſa, inquit, auxilio captivarum Trojanarum reliquam rem conficiam." Carmen Chori, quod hunc ſequitur actum, unum est ex ſuaviſſimis & efficaciſſimis ad *ſenſum*; habet commemorationem negotiorum ſtudiorumque muliebrium, quibus quaeque intenta fuerat captivarum ſub noctem illam exitioſam, qua Graeci Trojam ceperunt.

Hoc actu V. 684. in oratione Hecubae, quae agnito Polydori corpore ad extremam rerum omnium deſperationem abripitur, verſuum modus, qui vulgo perperam pro ſenario habitus est, acute reſtituitur, & pro νόμων ſagaciter corrigitur γόων:

Ὦ τέκνον, ὦ τέκνον,
Αἶ, αἶ, κατάρχομαι γόων
Βακχείων, ἐξ ἀλάστορος
Ἀρτιμαθὴς κακῶν.

V. 794. In ejusdem de Polymeſtore querelis,

Κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοὶ,
Ξενίας τ' ἀριθμῷ πρῶτα τῶν ἐμῶν φίλων,
Τυχὼν δ' ὅσων δεῖ, καὶ λαβὼν προμηθίαν
Ἔκτεινε ſc. *Polydorum*.

Haud

Haud male corrigitur ὅσων δέοι, i. e. *quaecumque expeteret.* Nec tamen in alia mutatione aſſentimur editori, qua προμισθίαν ſubſtituitur pro προμηθίαν. Eadem obſecrans Agamemnonem, ut puniat Polymeſtorem, ait: V. 799.

Ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως,
Ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι, χ' ὡ κείνων κρατῶν
Νόμος. Νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα,
Καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαια ὡρισμένοι.

Non dubitamus, quin hic locus vitio laboret: primum nos offendit θεοὺς ἡγούμεθα, *Deos eſſe putamus*, quod non est pro elegantia Euripidis. Sed ſit hoc ſanum; quomodo ſibi conſtat ratio, *Dii valent & lex illa, cui ſubjecti ſunt ipſi: lege enim Deos eſſe novimus, & vitam ita inſtituimus, ut bona a malis diſcernamus.* Nobis aliquando in mentem venit:

——— νόμος γάρ τις θεῶν ἡγούμενος,
Καὶ ζῶσιν ἄδικα καὶ δίκαια ὡρισμένοι.

Videtur Tragicus colorem duxiſſe ex Pindari dicto: νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων — ἄγει βιαίως τὸ δίκαιον ὑπερτάτᾳ χειρί: de quo egerunt Cl. Viri ad Herodotum III, 38. V. 807.

Ταῦτ' οὖν ἐν αἰσχρῷ θέμενος, αἰδέσθητί με.

Οἴκτειρον ἡμᾶς, ὡς γραφεὺς τ' ἀποςαθεὶς,
Ἰδού με, κἀνάθρησον οἷ' ἔχω κακά.

Medius verſus, ſi alia medicina nulla reperiatur, ejiciendus videtur. Adeo, quotiescumque in eum incidimus, ſua nos ineptia abſurditateque movit. Quid enim? ad intelligenda Hecubae mala, oculis opus erat exercitatis pictorum, & *quidem intervallo* & distantia? Nemo unus ex multis, ne dum Euripides, ita ineptiat. Atque ne conſtructione quidem cum priore ſequenteque verſu ſatis cohaeret. Si ejiciatur, legendum erit Ἰδού τε κἀν. Si vero retineri debeat, non reperimus leniorem medicinam hacce:

Οἴκτειρε θ' ἡμᾶς, ὡς τροφεὺς ἐπιςαθεὶς.

Miſerearisque mei, ut conſtitutus a Diis mei nutritor. Sed forte praeſtet litura corrigere hunc verſum. V. 836.

Εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι,
Καὶ χερσὶ, καὶ κόμαισι, καὶ ποδῶν βάσει.

Recte Musgravius κόμαισι mutandum putat in κόραισι, *oculis*. Quamquam interpretes vulgatam, ut potuerunt, expresſerunt. Brumojus (*) etiam venuste quidem

(*) Théatre des Grecs T. IV. p. 115. Elle voudroit que tou

idem, ſed minus vere, *κόμαι* accipit pro *canitie*; nam ſi haec Euripidis fuisſet mens, dixisſet *πολιαὶ*. Neque nos quid movet Etymologi M. auctoritas, apud quem vulgata lectio exſtat, Voc. Αἶθε. V. 847. *Καὶ τὰς ἀνάγκας οἱ νόμοι διώρισαν, Φίλους τιθέντες τούς γε πολεμιωτάτους*: acuta &, ni fallimur, vera est emendatio, — *τὰς ἀνάγκας οἱ χρόνοι διώρισαν*.

Advenit arcesſitus Polymestor, cujus fictum dolorem operae pretium est cognoscere. „O Priame, inquit, & dilectisſima Hecuba, ut lachrimae oboriuntur mihi in hanc urbem intuenti & filiam tuam modo interemtam! Heu, ut nulla ſtabilis est fortuna! Ita nimirum Dii ſumma imis miscent, ut a mortalibus incertis ignarisque rerum futurarum colantur. Sed nil proſunt lachrimae; tu noli inique ferre, quod non maturius ad te venerim. Procul aberam in media Thracia; jamque, domum redux, in eo ipſo eram, ut ad te proficiſcerer, cum ecce ancilla tua mihi obviam venit." Hecuba benigne & placide eum audit, nil quidquam irae ſignificans; vultum tamen avertens, ne forte conſilium ſuum inſcia prodat: „Non audeo, inquit, te rectis oculis intueri, Polymestor; quippe quam beatam & felicem videras, nunc

tout dans elle prit la parole, ſes mains, ſa démarche, *ſes cheveux blancs*, & que par autant de voix éloquentes, tout exprimat la vivacité de ſa douleur.

nunc ſordidam & captivam conſpicis. Verum tamen neceſſitate coacta te arceſſivi, ut, remotis arbitris, rem tibi arcanam committerem." Ablegat ſatellites, & ſolus cum duobus filiolis apud Hecubam manet, &, dic, inquit, quid me velis, promtum paratumque me ad omnia habebis. H. Primum omnium hoc ſcire volo, an Polydorus meus vivat? P. Vivit: hac una in parte felix es. H. *Ut recte* & digne tuo ingenio loqueris! P. Sed impera, ſi quid tibi mea opera prodeſſe poſſit. H. Num meminit adhuc matris Polydorus? P. Quin clanculum huc ad te venire voluit. H. Salvumne quoque est aurum, quod cum Polydoro tibi tradidit Priamus? P. Servatur diligenter apud me. H. Quandoquidem igitur certum fidumque te *experta ſum* amicum, majora tecum communicabo: maritus enim meus auri magnam vim abſcondidit ad Minervae Iliacae templum; hoc nolo ignorare filios tuos, ut ipſi tollant aurum, ſi quid forte tibi acciderit: alias praeterea clanculum ſervatas pecunias in tentorio occultavi, quas ut tibi reddam, age, ingredere." Polymestor ingreditur in tentorium. Chorus cantat breve melos, quo ſignificatur, jam jamque poenas daturum Polymestorem. Auditur in ſcena Polymestoris gemitus & vox, Vae mihi, excaecor! Nam cum intentus eſſet inſpiciendis pecuniis, quas Hecuba oſtendebat, adoriuntur eum ex inſidiis Trojanae mulieres, oculosque ejus acubus compungunt.

Ad

Ad gemitum ejus quemque acclamatur a Semichoro in ſcena, hunc in modum: „ P. Vae mihi, oculorum lumen exſtinguitur! Sem. Audite, amicae, gemitum Thracis. P. Vae mihi iterum, filii mei necantur! Sem. Majus etiam intus malum exiſtit. P. At vos neutiquam me effugietis. Sem. Ecce, telum quatit Thrax, opem feramus Hecubae. Hec. Tu quidem turba quantum libet; numquam efficies, ut viſum & filiorum vitam recuperes. Sem. Jam igitur patratum est facinus, Hera? „ Prodit Hecuba, ſequitur Polymestor excaecatus, incesſu vago, modo ſuam querens cladem, modo filiorum necem plorans, modo dira quaeque ſe laturum aequo animo profitens, dum ab Hecuba vindictam repetat: manus quaquaverſum extendit, & caeco gradu oberrat, Trojanas arripere cupiens. Cum omnia fruſtra esſe intelligit, convertitur ad ſuae calamitatis commiſerationem, & rerum omnium deſperationem: altisſimaque voce & ejulatu Graecos ad auxilium vocat. Hujus loci vis, quae magna est, verſuum etiam modo a poëta exprimitur, quem, quoad ejus fieri potuit, ſecutus est Erasmus in hujus fabulae verſione. Venit Agamemnon, ſimulans ſe totius rei ignarum." Quid, inquit, vult ſibi ejulatus tuus, Polymestor, qui per tota perſonuit castra? P. Tuamne audio vocem, chariſſime Agamemnon? vide'n meam cladem! Ag. Heu, quis te viſu privavit? P. Hae ſunt ſcelestae, Hecuba, cum Trojanis mulieribus: hae mihi intu-

lerunt perniciem, imo pejus ipſa pernicie malum." Ag. Tune tantum facinus auſa es, Hecuba? P. Vah! quid ais? prope est ſcelesta? cedo mihi eam, ut manu correptam lacerem ac diſcerpam. Ag. Heus tu, quid agis? P. Sine me, Agamemnon, furentem ei injicere manum. A. Contine te, & ex mente tua hanc depone barbariem: expone cauſſam tuam: postea viciſſim dicet Hecuba: ego litem hanc ex aequo dirimam." Dicit primus Polymeſtor: excuſat Polydori caedem, eique adeo justitiae colorem addere ſtudet, Graecis & Agamemnoni gratificatum ſe dicens, ne ſupereſſet ex Priami filiis, qui paternum regnum inſtauraret: postea narrat, quomodo eum Hecuba circumvenerit, excaecaverit, & parvulos filios trucidaverit: denique acerbiſſima vituperatione invehitur in *muliebrem* ſexum; cujus quidem rei occaſionem raro negligit Euripides, ut ingenio ſuo indulgeat. Deinceps Hecuba loquitur, perfidiam avaritiamque Polymestoris exponens. Tum Agamemnon „ Molestum, inquit, est, de alienis judicare calamitatibus; ſed faciam tamen, quandoquidem hoc in me ſuſcepi arbitrium. Igitur, videris mihi, Polymestor, nec mei, nec reliquorum Graecorum cauſſa, interfeciſſe Polydorum, ſed avaritia ſtimulatus; quamquam istam a te ſuſpicionem amovere conaris. Apud barbaros forte non adeo malum habeatur, hospitem occidere: apud Graecos maximum reputatur ſcelus. Quare, cum

cum male feceris, non tibi eſt recuſandum, ut viciſſim ipſe malo afficiaris." Hei mihi, inquit Polymeſtor, adeone infelicem me fieri, ut etiam a muliere judicio vincar, eique ludibrium debeam! „ Sequuntur alterni verſus, quibus Polymeſtor & Hecuba ſuum alteri crimen exprobrant. Ille mala futura praedicit: Hecubam propter maledicentiam in canem mutatum iri, Agamemnoni & Casſandrae a Clytaemneſtra caedem esſe paratam. Fit hoc ex veterum opinione, qui hominibus vel morientibus, vel atroci calamitate oppresſis, vaticinandi vim tribuebant. Agamemnon, ut finem faceret Polymeſtoris execrationibus, eum in deſertam inſulam deportari jubet: Trojanis mulieribus praecipit, ut ad profectionem ſe accingant; ventum enim oriri ſecundum: & ipſe abit.

Habet omnino haec fabula multiplices dotes ad faciendum terrorem & commiſerationis affectum, quae quidem omnes univerſa hac argumenti deſcriptione reddi exhiberique non potuerunt. Qui uſum antiquitatis habent, nil in ea reperient, quod ab eorum, qui in ea ſunt, hominum moribus & ab ejus temporis ingenio abhorreat. Qui vero eam ita reprehendunt, ut unitatis legem non ſervatam esſe dicant, acutius quam verius agere videntur. Suprema lex eſt veriſimilitudinis. Ita tres caſus conjunxit continuavitque poeta, ut nil quidquam tragicae veriſimilitudinis neglectum videatur.

Sed in ultimo hujus fabulae actu, hae nobis com-

memorandae videntur Muſgravii animadverſiones. V. 902. πᾶσι γὰρ κοινὸν τόδε, malit π. γ. χρεῖσσον τ., quod omnino ſententia poſtulat. V. 927. in ſuaviſſimo Chori carmine, cum puella Trojana narrat, Graecos tum irrupiſſe in urbem, cum ipſa dormitum abitura comam religaret, ἐπιδέμνιος ὡς πέσοιμ' ἐς εὐνάν. Cl. editor legendum putat ἐπιδείπνιος ὡς π. *ornabam me, ut, coena peracta, in lecto decumberem:* quae, licet acuta, mutatio non neceſſaria nobis videtur. V. 933. docta eſt obſervatio de Trojana puella dicente, *ſe prae feſtinatione ſuperiorem tantum veſtem, Doricae virginis more, induiſſe.* V. 1000. Ἔσω φιληθεὶς, ὡς σὺ νῦν ἐμοὶ φιλῇ, ſunt verba Hecubae ad Polymeſtorem: Muſgravius hanc apponit notam: *Non intelligo; an legendum* τίς τῷ φιληθεὶς, *Quis cui dilectus, ut tu nunc a me diligeris?* modeſta utique criſis; verum mutatio quidem nobis non ſatisfacit, quamquam locum correctione indigere ipſi quoque arbitramur. V. 1025. pro λέχριος conjicitur ἀθρόως, quod, ut ſpeciem habet veri, ita dubitamus an verum ſit. V. 1042. Trojanae extra tentorium ad Polymeſtoris vociferationem territae hortantur ſe invicem ad opem ferendam Hecubae: Βούλεσθ' ἐπισπέσωμεν, ὡς ἀκμὴ καλεῖ Ἑκάβῃ παρεῖναι, leve mendum relictum eſt; nam legendum vel ἐπεισπέσωμεν, vel ἐπισπεύσωμεν. V. 1113. parva, ſed vera eleganſque, eſt mutatio παρέσχ' ἂν

prae-

praebuiſſet, pro παρέσχεν *praebuit.* V. 1153. Polymestor inſidias, quibus eum circumvenerat Hecuba, exponit Agamemnoni, Αἳ δ' ἔνθεν, ὡς δὴ παρὰ φίλῳ, Τρώων κόραι θάκουν, ἔχουσαι κερκίδ' Ἠδωνῆς χερὸς: in primis est ingenioſa neque abhorrens a veriſimilitudine conjectura: — θάκουν χέουσαι κερκίσ' Ἠδωναῖς κλέος, *ſedebant*, *fundentes radiis textoriis Thracum laudem.* V. 1185. σχεῖν μὲν εἴσ' ἐπίφθονοι, *invidendae ſunt haberi*, pro αἳ μ. ε.: hujus conjecturae rationem non capimus. V. 1270. Θανοῦσα δ', ἢ ζῶσ' ἐνθάδ' ἐκπλήσω βίον, ſagaciter odoratus est difficultatem, quae nobis tamen non videtur tolli mutato βίον in πότμον.

Correctiones recentiorum Criticorum, cum aliorum, tum Valckenarii etiam, vel in hac fabula, rariſſime commemorari deprehendimus: quod utrum caſu an conſilio factum ſit, non ſtatuimus. Hoc quidem intellexiſſe nobis videmur, Cl. editorem omni cura brevitati ſtuduiſſe. Animadverſiones enim nec multae, nec longae ſunt. Variae lectiones verbo ſignificantur: conjecturae non verborum ambagibus, ſed ſuo ipſae acumine commendantur: doctrina, ubi expromitur, quod raro fit, exquiſitam in paucis verbis habet praeſtantiam. Nobis haec brevitas praeter opinionem accidit, qui ex editoris antea editis Exercitationibus Euripideis quandam elegantis orationis copiam atque ubertatem exſpectabamus. Denique

in

in judicando nulla est vel arrogantia, vel affirmandi temeritas, vel reprehenſionis acerbitas: contra inſignis ubique & his literis digna modestia, prudentia, & humanitas. Ceterum, ut hujus editionis praeſtantia plenius intelligatur, proxima hujus Bibliothecae parte plura Musgravianae operae ſpecimina commemorabimus.

II.

C. VELLEJI PATERCULI, *quae ſuperſunt ex Hiſtoriae Romanae voluminibus duobus, cum integris animadverſionibus doctorum, curante Davide Ruhnkenio. Tomis II.* 8 *Maj. Lugduni Batavorum. Apud Sam. & Jo. Luchtmans, Academiae typographos.* 1779.

Ardua est ac difficilis res vere accurateque judicare de ſcriptis doctorum virorum, cum omnium, tum in primis eorum, quorum doctrina multis in publicum prodita documentis, egregie de literis merita est. Sive enim justa debitaque iis viris admiratio animum judicantis occupet rationemque praecurrat, est haec quidem negligentia ignoscenda in aliis hominibus, ſed negligentia tamen, neque ferenda in iis, qui ſe de libris ad eruditam civitatem relaturos profesſi ſint. Si vero etiam ex re & vero ſtatuat, anceps ei minimeque honesta apud plerosque ſubeunda est opinio. Nam cum nil niſi laudandum in libro repererit, in adulationis levitatisque ſuſpicionem incurrat: cum vero reprehendenda quaedam notaverit, invidiae obtrectationisque crimen ſuscipiat. Nos hunc ſcrupulum ipſi nobis antea exemimus, quam ad cenſuras ſcribendas accederemus, ſtatuentes nobis hanc legem,

legem, ut in omnibus judiciis ſententiisque noſtris unam veritatem coleremus, eamque ſanctam inviolatamque ſervaremus, & in neutram partem ab ea diſcederemus. Cui quidem legi & hucusque paruimus, & in poſterum parebimus, & nunc quoque eam, quocumque nos ducat, ſequemur.

Ac ſub ipſum hujus cenſurae ingresſum hoc nos veritatis lex pronunciare jubet, magnam *in primis* hujus editionis esſe laudem, & commendationem, quod Vellejus, qui post multorum, principum etiam virorum, curas, gravisſimis corruptelis & difficultatibus laborabat, Ruhnkenii demum opera ita expolitus prodiit, ut, paucisſimis exceptis locis, ubique lux & ſanitas appareat. Quod ut vere a nobis pronunciatum esſe intelligatur, age, libri *hujus* bona deinceps exponamus, facto initio ab ipſa *praefatione*. Et primum quidem de ea ejus parte dicamus, quae ad ipſum Vellejum pertinet: nam licet non integram ejus vitam denuo enarraverit Ruhnkenius, quod nec opus fuit, tamen de rebus quibusdam ejus utiliter prodidit, quas ſuperiores interpretes aut non animadvertisſent, aut levius tractasſent, aut in dubium vocasſent. Primum igitur post Rhenanum & Lipſium monetur, verum ejus praenomen esſe *Cajum*, eumque esſe eundem cum P. Vellejo, legato exercitus in Thracia, cujus meminit Tacitus Annal. III, 39: quem in locum oscitantia librariorum invexit P. pro C: eumque ſecutus Rhenanus perperam in editionis

ſuae

ſuae titulo Vellejo praenomen facit P, cum ſine dubio in ipſo codice fuerit C. Quod vero Ryckius, eumque ſecutus Ernestus, objiciunt, Vellejum hujus expeditionis Thracicae nullam in historia ſua feciſſe mentionem, facilis est reſponſio, ejus militiae narrationem Vellejum reſervaſſe juſto hiſtoriae operi, quod multis locis promittit. Hic igitur C. Vellejus Paterculus, in gratiam conſulatus M. Vinicii, qui conſulatus incidit in A. V. C. 783, Historiam Romanam duobus voluminibus conſcripſit, repetitis etiam ab initio Graecarum rerum coloniarumque primordiis; ita tamen, ut breviter univerſae hiſtoriae, quam ſcriberet, veluti argumenta perſtringeret, pleniorem enarrationem juſto, ut diximus, operi ſervans. Quod opus, quo minus perficeret, mors eum praevertiſſe videtur. Sed in eo, quod ſuperest, opusculo mirantur viri docti, quid causſae fuerit, quod, cum in priori ejus parte tot liberi ſpiritus documenta dediſſet, in poſteriore ſe ad humilem & ſervilem Tiberii adulationem demitteret. Alii alias quaerunt ejus rei causſas, Ruhnkenius veriſimillimam hancce cum Bentlejo & Perizonio, neceſſitate potius, quam voluntate, ad iſtam ſe adulationem abjeciſſe Vellejum. „ A qua neceſſitate, inquit Ruhnkenius, adulandi causſas Tacitus etiam repetit, Ann. I, 1, forte Vellejum reſpiciens: *Tiberii, Cajique, & Claudii, ac Neronis res, florentibus ipſis, ob metum falſae.* Dicat aliquis cum Lipſio Epiſt. Quaeſt. V, 11. *Vera* *ſcri-*

ſcribere ſi non licuit, falſa non debuit. Nemo ſilentii cauſſam reddit. At ſic Vellejo in otio inertisſimo conſenescendum fuisſet: qualis vita magnis & gloriae cupiditate incenſis ingeniis mors est; neque *hiſtoria* Romana attingenda. Et quis tam hospes in Caeſarum est hiſtoria, quin ſciat, ipſum ſilentium probis doctisque viris crimini fuisſe? Haec tam miſera Scriptorum ſub tyrannis conditio facit, ut ſi *minus* excuſandum, certe lenius accuſandum Vellejum arbitrer, praeſertim cum ejusdem culpae ſocios habeat, ne de poetis dicam, Valerium Maximum, Senecam, Curtium, utrumque Plinium, Quinctilianum, & alios". Sunt etiam, qui Velleji Latinitatem minus probent, eique genus dicendi caſtrenſe objiciant. A quibus quidem criminibus cum univerſe liberatur intelligentiſſimi judicis ſententia, M. A. Mureti, *qui* ait, hiſtoriam ab eo terſe in primis atque eleganter explicatam esſe: tum peculiariter vindicatur a Ruhnkenio, quaque locutione, de qua talis dubitatio nasci posſet, optimorum Scriptorum exemplis confirmanda. Est vero aliud vitium, quod quis jure vereque in Vellejo reprehendat, nimirum frequentia ſtudiumque argutarum ſententiarum. De quo vitio operae est pretium, ipſum disputantem audire Ruhnkenium: „ Ne tamen" inquit „ Vellejum ſimpliciter & ſine exceptione laudemus, ultro fatemur, perinde nobis, ac Burmanno, aliisque multis, nimis frequentatum videri iſtud acutarum feſtivarumque ſen-

tentia-

tentiarum aucupium, quod in proſam orationem primus invexit Trogus Pompejus, in ligatam Ovidius. Certe plus laudis ab intelligente posteritate tuliſset, ſi hac quoque parte imitatus esſet Sallustium ſuum. Hunc enim unum ſibi imitatione effingendum ſumſit, ab hoc illud artificium indolis humanae deſcribendae didicit, hujus imitatione efficax est & brevitate nervoſus, ab hoc denique totus ita pendet cum in verbis, tum in orationis ſtructura, ut magnopere mirandum ſit, rem tam manifestam viros eruditos fefelliſſe. Hac imitatione ſemel animadverſa, quo ſtudio nos ad Vellejum, eodem ad Sallustium cognoscendum dedimus. Ac profecto, ſi forte aliis felicius in Vellejo corrigendo verſati videmur: quamquam nobis non tantum ſumimus, ut Lipſii felicitatem nos asſecutos putemus: veruntamen ſi Vellejus cura nostra castigatior prodit, illud non tam qualicunque ingenio nostro tribuendum est, quam ſummae familiaritati cum Sallustio contractae, & perpetuae utriusque ſcriptoris comparationi. Hic aliquis quaerat, quid ſit, quare & Vellejus, & ceteri historiarum ſcriptores, deſerto eloquentisſimo Livio, ſeſe certatim ad Sallustium imitandum contulerint? Sallustianus fuit, teste Seneca Ep. 114. Arruntius, belli Punici ſcriptor, qui dudum periit: Sallustiani, qui ſuperſunt, Tacitus, Septimius, Sulpicius Severus, Pſeudo-Hegeſippus. Nempe ab his omni-

bus, ſicut a Martiali XIV. Ep. 191. habitus eſt

Primus Romana Criſpus in hiſtoria."

Ceterum ſub tempus renaſcentium literarum unicus ſuperſuit Velleji codex, initio & fine truncatus, ut hodieque ejus ſunt editiones, mendis etiam atque corruptelis mire foedatus. Hunc codicem, in coenobio Murbacenſi repertum, B. *Rhenanus*, acerrimus bonarum literarum vindex, edidit ex officina Frobeniana Baſileae A. 1520. Lectiones ejus codicis, a quibus Rhenanus discesſisſet, anxia minutaque cura, ex ipſo codice enotavit Jo. Alb. Burerius, earumque indicem Frobenianae editioni adjecit. Unde apparet vanam omnino esſe fraudis ſuſpicionem, quam in Burerium conjecit Gruterus, quamque temere ſecuti ſunt J. A. Fabricius & P. Burmannus. Sed Murbacenſis codex, a nemine postea Editorum inſpectus, penitus intercidit: & fruſtra fuit in eo per amicos Alſatos exquirendo Ruhnkenii diligentia. Igitur fons est unicus, ex quo omnes fluxerunt ſequentes editiones, Rhenaniana. Succesſit Juntina Florentiae 1525. 8, & Vaſcoſanea Pariſiis 1538. fol., tum Bonhommaei & Gryphii, quorum opera aliquid correctionis accesſit Vellejo: quamquam omnes ante Ruhnkenium editores Vaſcoſaneam & Juntinam neglexerunt. Anno 1546 adjectus est Vellejus editioni Scriptorum Hiſtoriae Auguſtae, qua Erasmi recenſio repetita est, ita mutatus transformatusque, ut loci cor-

corrupti temere corrigerentur, nulla veteris lectionis habita ratione. Doctus ſine dubio vir & acutus fuit hic Velleji corrector: qui, quisquis tandem fuerit, certe non fuit Erasmus, ut perperam crediderunt Voſſius & Burmannus: longe enim abest ista conjectandi libido ab Erasmi religione. Sed ista editio cum non quidem Velleji manum, at certe quod intelligi poſſet exhiberet; factum est, ut ſequentes Editores, etiam ii qui critici haberi vellent, eum certatim exprimerent, Rhenanianam vero negligerent. Ex his alii nullum operae fecerunt pretium, veluti Schegkius, Popma, Gruterus, Boeclerus, qui quidem postremus, relicto boni interpretis munere, quod interpretando emendandoque cernitur, multum ſibi ſapere viſus est Vellejo politicis animadverſionibus onerando. Alii praeclare meriti ſunt de Vellejo, veluti Acidalius, qui, licet ingenio nimium indulſerit, multa tamen eaque deſperata Velleji vulnera mira felicitate ſanavit: Puteanus, ex quo duxit, quidquid bonae frugis habet, Aldus nepos: Gerardus Voſſius, qui in Vellejo edendo dignum ſe tanto patre filium praeſtitit. Sed interpretum omnium longe longeque princeps ponendus est Lipſius, cujus tanta fuit ſagacitas in odorandis vitiis & ſollertia in tollendis, ut ejus in Vellejo navata opera merito commendanda ſit in praeclarum criticae artis exemplum. Burmannus quidem principatum ex Velleji Editoribus defert Nicolao Heinſio. Sed Nicolaus

Heinſius, ut fuit ſine dubio omnium, qui ſunt & fuerunt, felicisſimus in tractandis Latinis poetis, *ita* haec eum felicitas in proſae orationis Scriptoribus deſtituit, quibus quidem multas obtruſit formas *locutionesque* poeticas. Longius etiam a Lipſii *laudibus* abest ipſe Burmannus; quippe in Vellejo propter corruptelarum multitudinem res omnis ad criticum redibat acumen, quo eum minus Lipſio, *Heinſio*, aliisque valuisſe conſtat: neque, quamquam hoc jactat, principem Rhenanianam expresſit editionem: Baſileenſes interpolationes in textum recepit, ſatis habens lectionem Rhenanianam in notis ſignificasſe. Dicamus jam de praeſenti editione, cujus *priore* volumine continetur ipſe Velleji contextus, ſubjectis cuilibet paginae Rhenani, *Burerii*, & *Ruhnkenii* animadverſionibus, posteriore omnes aliorum *editorum* notae atque obſervationes comprehenduntur. Et primum quidem hoc egit Ruhnkenius, ut Velleji textum talem exhiberet, qualis in principe Rhenaniana editione prodiisſet, ne editorum correctiones pro Velleji manu venditarentur; quare *ipſius* Rhenani Bureriique notae contextui ſubjicere viſum est, quippe quae veteris lectionis indicium habent & testimonium. Neque vero ita ſe in *ſervitutem* addixit primae editioni, ut liquidis indubitatisque, vel ſuis, vel aliorum correctionibus locum in textu negaret: notata tamen diligenter in animadverſionibus antiqua lectione. Porro reliqua opera, quam

in Vellejo navavit Ruhnkenius, varia est & multiplex. Nam vel hiſtoriae difficiles impeditique nodi expediuntur, ſcientia rerum, cum Graecarum, tum Latinarum: vel ſententiis obſcuris atque argutis lux affunditur interpretando: vel ratio Latinae dictionis idoneis auctoritatibus explicatur atque confirmatur: vel denique corrupti deſperatique loci multi ſagaciſſimis certisſimisque ſanantur correctionibus. Quas quidem laudes ne quis arbitretur univerſe tantum & justo uberius a nobis praedicari, age ſpecimina earum proferamus, & ſuis quamque documentis vindicemus, facto initio a correctionibus.

Lib. I. 2, *Codrum cum morte aeterna gloria, Athenienſes ſecuta victoria est. Quis enim eum non miretur, qui his artibus mortem quaeſierit, quibus ab ignavis vita quaeri ſolet.* Acute vidit Ruhnkenius particulam *enim* excidisſe propter ſimilitudinem ſequentis vocis *eum.*

I, 3. *Aletes, ſextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quae antea fuerat Ephyre,* clauſtra Peloponneſi continentem, *in Isthmo condidit.* Commemoratur elegans correctio P. Fonteinii, viri in his literis excellenter verſati, verba, in quibus haeſerunt interpretes, ita conſtituentis, *clauſtra Peloponneſi a continente.*

I, 6. *Ea aetate clarisſimus Graji nominis Lycurgus Lacedaemonius, vir generis regii, fuit ſeverisſimarum justisſimarumque legum auctor & diſciplinae*

convenientisſimae vir. Friget illud *convenientisſimae*, nude poſitum: ultimum vero hocce, *vir*, tolerari nullo pacto poteſt. Ruhnkenius veriſimillima conjectura locum ita reſtituit: *Ea aetate clarisſimus Graji nominis, Lycurgus, vir generis regii, Lacedaemonis fuit ſeverisſimarum justisſimarumque legum auctor, & disciplinae convenientisſimae viribus.*

I, 16. *Quis enim abunde mirari poteſt, quod eminentisſima cujusque profesſionis ingenia in eamdem formam & in idem artati temporis congruens ſpatium; & quemadmodum clauſa capſo alioque ſepto diverſi generis animalia, nihilo minus ſeparata alienis, in unum quoque corpus congregantur, ita cujusque clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem & temporum & profectuum ſemet ipſa ab aliis ſeparaverunt? Una, neque multorum annorum ſpatio diviſa, aetas, per divini ſpiritus viros, Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem, inluſtravit tragoedias.* Hunc locum paene pro conclamato habitum, cum aliorum tum ſuis conjecturis ita reſtituit Ruhnkenius: — *in idem artati temporis congruere ſpatium; & quemadmodum clauſa capſo, alliove ſepto, diverſi generis animalia, nihilo minus ſeparata alienis, in unum quaeque corpus congregantur, ita cujusque clari operis capacia ingenia in ſimilitudine temporum & profectuum, ſemet ipſa ab aliis ſeparaverunt;* —.

I, 17. *Hujus ergo praecedentisque ſeculi ingeniorum ſimilitudines congregantis & in ſtudium par & in emu-*

lumentum, *cauſas cum ſemper requiro*, *numquam reperio.* Ita Rhenanus ediderat: ſed multo erant inquinatiora omnia in ipſo codice. Ruhnkenius veriſſimam ingenio reperit lectionem, eamque in contextum recipere non dubitavit: —— *ingeniorum ſimilitudinis congregationisque & in ſtudium par & in idem emolumentum* ——.

I, 18. *Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae, quam univerſa Graecia operibusque floruit.* Hunc locum jam antea feliciſſima correctione reſtituerat Ruhnkenius in Hist. Crit. Orator. Gr. p. 37. *Una urbs Attica pluribus ſanae eloquentiae, quam univerſa Graecia, floruit operibus.*

II, 4. *P. Scipio Africanus* —— *post duos conſulatus, duosque triumphos, & bis exciſos terrores reipublicae, mane in lectulo repertus est mortuus.* Pro *bis*, quod perquam friget; vere acuteque conjicitur *binos.* Imitatus est enim Vellejus Ciceronem Or. pro Murena, 28. *Bis conſul fuerat P. Africanus, & duos terrores hujus imperii, Carthaginem Numantiamque, deleverat.*

II, 6. *L. Opimius Coſ.* —— *Fulvium Flaccum* —— *quem C. Gracchus, in locum Tiberii fratris, III virum nominaverat, eum ſocium regalis adſumpſerat potentiae, morte adficit.* Emendatur veriſſime, *nominatum* pro *nominaverat eum.*

Ibid. —— *inimicitiarum quaeſita erat ultio.* Vox *ultio*, quia mox ſequitur, hic locum habere nequit. Itaque eleganter reponitur *relatio.*

 II, 10.

II, 10. *Adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur.* Inepta, & potius nulla, est haec gradatio; cum nihil differant vitia & prava. Locus turpi gloſſemate liberatur legendo: *Adeo mature a rectis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur.*

II, 11. *Hujus legatus fuit C. Marius, quem diximus, natus equestri loco.* Cum tota conſentiat antiquitas, Marium ſordidiſſima ſtirpe natum eſſe; viri docti graviſſimum mendum hic ſibi viſi ſunt deprehendiſſe. Nil verius est Ruhnkenii emendatione: *natus extremo loco.*

II, 23. *Transgreſſus deinde in Aſiam Sylla, parentem ante omnia ſupplicemque Mithridatem invenit.* Magnae fuerunt de hoc loco rixae Burmanni & Wopkenſii. Sed neuter vidit legendum eſſe *parentem ad omnia*; quae locutio cum hoc loco requiritur, tum confirmatur Salluſtii aliorumque auctoritate.

II, 24. *Post victoriam, qua deſcendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sylla, gratis Dianae, cujus numini regio illa ſacrata est, ſolvit.* Mirum est quantas huic loco tenebras obduxerit una litera omiſſa, qua revocata, lux etiam reſtituta est. Quippe pro *qua* legendum *quia.*

II, 27. *Pontius Teleſinus, dux Samnitium, vir animi bellique fortiſſimus, penitusque Romano nomini infestiſſimus.* Elegans & vera est emendatio: — *animi*

mi fortiſſimus, belli peritiſſimus, Romanoque nomini infeſtiſſimus.

II, 28. *Videbantur finita belli civilis mala, cum Sullae crudelitate aucta ſunt. Quippe dictator creatus cujus honoris uſurpatio per annos CXX intermiſſa: nam proximus post annum, quam Hannibal Italia exceſſerat: uti adpareat, populum Rho. uſum aut metu deſideras Tulio Cotimuiſſe, poteſtatem, imperio, prob res ad vindicandum maximi periculi, ſpolia muſterantes immodicae crudelitatis licentia uſus est.* Haec est codicis ſcriptura, quam Editorum alii aliter corrigere tentarunt. Veram lectionem tandem reſtituit Ruhnkenius, cum ſuo ipſe ingenio, tum adjutus aliquot aliorum emendationibus: — *dictator creatus (cujus honoris uſurpatio per annos CXX intermiſſa: nam proximus post annum, quam Hannibal Italia exceſſerat; uti adpareat, populum Romanum uſum dictatoris haud ita in metu deſideraſſe, ut in otio timuiſſe poteſtatem) imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam uſi erant, eo in immodicam crudelitatis licentiam uſus est.*

Ib. *Primus ille, & utinam ultimus, exemplum proſcriptionis invenit, ut, in qua civitate petulantis convicii judicium hiſtrioni ex alto redditur, in ea jugulati civis Reip. conſtitueretur auctoramentum.* Hactenus hunc locum purgaverant priores Editores: ſed illud *ex alto* expedire nemo poterat. Ruhnkenius veriſſime conjecit *exacto*, i. e. exploſo, exſibilato.

Pro *Reip.*, quod ex ſcripturae compendio eſt, malit *Romani.*

II, 30. *Hujus patrati gloria penes M. Craſſum fuit, mox* Reip. omnium *principem.* Reſtituitur emendatione jam ad Rutil. Lup. p. 53, propoſita; *mox Romani nominis principem.*

II, 31. *Converterat Cn. Pompeji perſona totum in ſe terrarum orbem;* & *per omnia majore vi habebatur.* Corrigitur; & *per omnia homine major exiſtimabatur.* Quae correctio & acuta & elegans eſt; vocem *homine* ſimilis vox antecedens *omnia* abſorpſerat; quod ſaepiſſime in Vellejo accidit. Atque in hoc genere emendationum felix in primis fuit Ruhnkenius. Sic I, 17. *integri* ante *integris* reponitur, ita, *quam integri integris univerſis civitatem dare maluerunt.* I, 25. *quibus* & *peſſima* & *immodica erat cupiditas*, reponitur, *quibus* & *res peſſima* e. i. e. c. II, 49. *quieta aut certe non praecipitata*, poſt ultimam vocem propter ſimilitudinem ſoni elapſa vox *civitate* revocatur. II, 79. *M. Agrippa virtutis nobiliſſimae*, corrigitur *M. A.*, *vir virtutis nobiliſſimae.* II, 118, *In hujus virtutum aeſtimatione*, emendatur, *In hujus viri virtutum aeſtimatione.* II, 79. *Inopinato claſſis adventu*, revocatur — *In. cl. adverſae adventu.* II, 109. *Corpus ſuum cuſtodia, tum imperium perpetuis exercitiis pene ad Romanae diſciplinae formam redactum brevi in eminens* & *noſtro quoque imperio timendum perduxit faſtigium.* Corruptiſſimus

lo-

locus ita ſanatur: *Corpus ſuum cuſtodia munivit, Imperium perpetuis exercitiis: exercitu pene ad Romanae disciplinae formam redacto*, cet. II, 120, *Se magnitudine ſua, non fiducia metiens*, reponitur, — *fiducia ducis metiens.* II, 126. *per omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu ſervat immunes*: reſtituitur, *per omnia omnes terrarum orbis angulos* a. l. m. ſ. i.

II, 50. *Caeſar — perſecutus Brundiſium, ita ut appareret, malle integris rebus & conditionibus finire bellum, quam opprimere fugientes.* Subeſt vitium; quippe deſideratur, quid Caeſar perſecutus ſit. Vellei manus reſtituitur ſcribendo, — *perſecutus Brundiſium iter, ut appareret cet.*

II, 60. *Non placebat Atiae matri (Octavii) Philippoque vitrico, adiri nomen invidioſae fortunae Caeſaris.* Locus vitioſus, qui viris etiam doctis fraudi fuit, ita corrigitur: *adiri nomen invidioſamque fortunam Caeſaris.*

Ib. *HS. ſepties millies, depoſitum a C. Caeſare ad aedem Opis occupatum ab Antonio, actorum ejusdem inſertis falſis, civitatibusque corruptis commentariis.* Varii varie hunc locum tentarunt; ſanavit tandem Ruhnkenius, ſcribendo: *actorum ejusdem inſertis falſis, vitiatique & corrupti commentarii.*

II, 74. *L. Antonius Coſ. — eos, qui juſte diviſione praediorum, nominatisque colonis agros amiſerant, ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat.*

rat. Vox *juſte*, quae huic loco minime convenit, leni correctione mutatur in *inſtituta.*

II, 78. *Redierat Pompejus in Siciliam, Antonius in transmarinas provincias; quas magnis* momentis *Labienus, ex Brutianis caſtris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonii, concuſſerat.* Non est dubium quin *momentis* hic locum habere nequeat; licet interpretes alii illud intactum reliquerint, alii explicando ad aliquam ſententiam revocare conati ſint. Leniſſima, &, ni fallimur, certa est emendatio Ruhnkenii, reponentis, *molimento.*

II, 82. *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere Libium in Sicilia bene fortuna in Caeſare & rep. militavit ad Orientem.* Corruptiſſima haec verba nemo hucusque interpretum ſanitati reſtituere poterat: ſed effectum est ſagaciſſima Ruhnkenii conjectura, ut Vellejii manus reduceretur, legendo: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere ſepelivit in Sicilia bellum, fortuna in Caeſare & rep. mutavit ad Orientem.*

Ib. *M. Antonius* —— *cum redimitus hederis,* coronaque *velatus aurea, & thyrſum tenens, cothurnisque ſuccinctus, curru, velut Liber Pater, vectus eſſet Alexandriae.* Multae ſunt rationes, ob quas *corona* ferri nequeat. Atqui in ejus locum certa correctione reponitur *crocota: ſuccinctus* quoque mutatur in *ſubnixus.*

II, 84. *Rex Amyntas meliora & utiliora ſecutus, nam*

nam de illius exemplis vitae naxuta Dolabella ad Caeſarem. Haec eſt principis editionis lectio, cujus partem ſanavit pro ſua felicitate Lipſius, ſcribendo: — *Nam Deillius exempli ſui tenax, ut a Dolabella ad Casſium.* Sed reſtabat aliud vitium ex omisſis aliquot verbis, quod Ruhnkenius ſagacisſime & vidit & ſuſtulit, totum locum ita refingendo: *Nam Dellius exempli ſui tenax, ut a Dolabella ad Casſium, a Casſio ad Antonium, ita ab Antonio tranſiit ad Caeſarem.*

II, 91. *Rufus Egnatius — conſulatum petere auſus, cum esſet omni flagitiorum ſcelerumque conſcientia merſus.* Elegans eſt correctio: — *ſcelerumque ſentina emerſus.*

II, 111. *Senatorum equitumque Romanorum exactae ad id bellum operae.* Pollicitati. *Omnia haec fruſtra praeparasſemus, niſi, qui illa regeret, fuisſet.* Vera atque elegans eſt correctio: — *exactae ad id bellum operae ex pollicitatione:* ita ſcribi & Latinitas & res ipſa poſtulat; & ultimas ſyllabas *one* hauſtas esſe a ſequenti *omnia* manifestum est.

Ib. — *furentes eorum vires univerſas evaſimus partibus.* Acute vereque emendatur: *florentes eorum vires univerſas exhauſimus partibus.*

II, 112. *Quanto cum temperamento ſimul utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus?* Egregiam hujus loci emendationem nobiscum communicavit E. H. Eldikius: *quanto cum temperamento ſimplicitatis res*

cet,

cet. i. e. bonitatis, lenitatis: quam vocis *ſimplicitatis* vim ipſe Ruhnkenius explicuit, II, 10. p. 103.

II, 116. *Nam & etiam vir antiquisſimi moris — non merito, ſed materia adipiscendi triumphalia defectus est.* Longum est enumerare conjecturas interpretum: egregia est Ruhnkenii emendatio: *Nam Aelius Lamia, vir antiquisſimi moris* cet.

II, 120. *Tiberius — arma interfecti, quae arguisſe pater & patria contenti erant.* Hanc primae editionis lectionem ita castigavit Lipſius, ut legeret: — *arma infert genti, quae arcuisſe p. e. p. c. e.* Ceterum feliciter, nec tamen ſatis ad conſtituendam ſententiam. Omnia ſanitati reſtituuntur Ruhnkenii correctione: *arma infert genti, quam arcuisſe pater & patria contenti erant.*

II, 125. *Ut pleraque ignave Germanicus, ita Drusus — obſidentes coercuit.* Minime credibile est, Vellejum ſibi tam male conſtare, ſive in laudando, ſive in adulando, ut Germanicum, quem aliis locis magnis effert laudibus, hoc loco tam acri vituperio notet. Sed apparent vestigia verae lectionis, quam revocavit Runhnkenii ſagacitas: *ut pleraque egit nave Germanicus.*

Ib. *Druſus — prisca antiquaque ſeveritate uſus, ancipitia ſibi tam re quam exemplo pernicioſa, & his ipſis militum gladiis, quibus obſesſus erat, obſidentes coercuit.* Elegans & veriſimillima haecce est correctio: —— *priſca antiquaque ſeveritate uſus*, am-

pli-

putavit *tam re quam exemplo pernicioſa.*

Sed ex his quidem emendationum ſpeciminibus ſa- tis intelligitur felicitatis laus. Quod ſi vero etiam rationes ipſas recenſere velimus, quibus emendationes illae confirmantur, vel enumerare animadverſiones ex interiore Latinitatis ſcientia depromtas, quibus Vellejanae dictiones aut explicantur aut vindicantur, neceſſe nobis ſit, fines noſtri operis egredi. Neque etiam reliquos exquiſita refertas doctrina obſervationes, propter ipſam earum multitudinem, exponere nobis licet. Quarum, ſi quis exempla quaerat, is legat, ut paucas ex multis memoremus, v. c. p. 2. de Templo Minervae Helleſiae: p. 11, 12. de Alete Corinthi conditore: p. 13. de Magneſia: p. 14. 15. de Cumarum ortu: ib. de Cerere Achaea: p. 17. de duplici Athenienſium in Aſiam colonia, altera duce Jone, altero Neleo Codri filio: p. 20. de Archilocho: p. 26. de Heſiodo: p. 45. de inimicitiis Metelli: p. 249. de utroque Balbo: p. 283. de Planco: p. 297. de Coelio: p. 322. de Livia, Auguſti ſacerdote & filia: p. 362. de Parmenſi Caſſio: p. 434. de Roemotalce, Thraciae rege. Minime vero reticendum eſt illud veritatis ſtudium, quod cum ubique apparet in Ruhnkeniana criſi, tum in locis deſperatis, quibus nulla potuit medicina reperiri. Alii multi ejusmodi locos ſilentio praetereunt: at Ruhnkenius candide ubique de iis monuit. Quae quidem ignorationis confeſſio, ut quisque major eſt

in-

genio & doctrina, ita in quoque majorem habet laudem. Ejus ſpecimina exſtant p. 149. 251. 370. 458. 495.

Reſtat ut aliorum Auctorum emendationes quasdam commemoremus interſperſas Ruhnkenianis animadverſionibus. Quarum quidem magnam eſſe copiam eo magis mirandum est, quo magis apparet, earum expromendarum occaſionem non ſtudio quaeſitam, ſed a re ipſa oblatam eſſe. Igitur paucas, ſpeciminis cauſſa, apponamus.

P. 6. Strabo V. p. 335. ὁ Ἄτυς — κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τὸν δὲ Τυῤῥηνὸν, τὸν πλείω συστείλας λαὸν, ἐξέστειλεν. Ex Euſtathio ad Dionyſ. Perieg. 347, qui Strabonis locum ob oculos habuit, corrigitur: —— τὸν πλείω συστήσας λαὸν, ἐξέστειλεν.

P. 45. Seneca, Controverſ. V. 30. p. 359. *M. Cicero, qua violentia in abſentiam Metelli ſtrepit.* Palmaria est correctio, qua Ciceronis nomen, quod alienum est ab hoc loco, ejicitur, & Senecae manus reſtituitur, legendo: *Macerio, qua violentia in abſentiam Metelli ſtrepit.* Correctionis veritas cum aliunde, tum ex Plinio, H. N. VII, 44. repetitur, cujus locus ipſe mendis aliquot purgatur.

P. 125. Petronius cap. 101. *Quae autem hic inſidiae ſunt? aut quis nobis Hannibal navigat?* Vere Burmanni ratio, qui elegantiae nomine *nobis* retinere voluit, reprehenditur, & corrigitur: *aut quis novus Hannibal navigat?*

P. 131.

P. 131. Diodorus Siculus Excerpt. p. 614. de Mario dicit, καὶ τέλος ἐξέπεσε τῆς Λιβύης εἰς τὴν Νομαδίαν, δοῦλος, ἄπορος, ἔρημος σφῶν. emendatur, ἄδουλος, ἄπορος, ἔρημος φίλων: ἄδουλος ex uſu Veterum auctoritateque Grammaticorum exponitur, *qui ſervum nullum habet.*

P. 146. Plutarchus in Sulla p. 453. F. ἱστορεῖται δέ τις ἀνὴρ τῶν μετὰ Ὀροβάζου καταβεβηκότων, Χαλκιδεὺς, εἰς τὸ Σύλλα πρόσωπον ἀπιδών. Pro Χαλκιδεὺς, quod ineptum est, vere reponitur Χαλδαῖος, quod eſt *magus:*

P. 188. Idem Plutarchus emendatur in Lucullo p. 518. D. τὰ δὲ ἐν ταῖς παραλίοις καὶ περὶ νέαν πόλιν ἔργα; — ὁ στωϊκὸς Τουβέρων θεασάμενος, Ξέρξην αὐτὸν ἐκ τηβέννου προσηγόρευσεν. Primum corrigitur ἐν τηβέννῳ. Sed alii dictum tribuunt Pompejo, interque eos Vellejus, II, 33. *Quem (Lucullum) ob injectas moles mari, & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare; haud infacete Magnus Pompejus Xerxen togatum vocare aſſueverat.* Igitur reprehendendus videtur Plutarchus, tribuens hoc dictum Tuberoni Stoico, qui per aetatem ne videre quidem potuit Lucullum. Verum ab hac eum reprehenſione liberat Ruhnkenius in addendis: „ ſed nullus" inquit „ Plutarchi, accuratiſſimi ſcriptoris, in tempore error est. Quippe pro ὁ στωϊκὸς Τουβέρων, nulla fere literarum mutatione legendum ὁ ἱστο-

ρικὸς Τουβέρων. Intelligitur L. Aelius Tubero, hiſtoriae Scriptor, Luculli aequalis, de quo vide Voſſium de Hist. Lat. I, 12."

P. 259. Juvenalis Sat. X. 284.

Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas: ſed multae urbes & publica vota
Vicerunt. Igitur Fortuna ipſius & Urbis
Servatum victo caput abſtulit ——.

Perquam friget illud *multae urbes*. Acuta veraque est Ruhnkenii emendatio *moestae urbes*.

Sed antequam finem faciamus hujus cenſurae, verbo commemoranda est dedicatio libri ad nobiliſſimos adolescentes Henricum & Jacobum Fagelios, Lugduni cum maxime bonis literis operam navantes & in Ruhnkenianam diſciplinam traditos. Habet enim non ſolum, ut reliquae ab eo viro ſcriptae dedicationes, ſingularem ſuavitatem elegantiae & humanitatis: ſed praecipuam quandam praeceptorum ſalubritatem ad rectam a juventute ineundam ſequendamque ſtudiorum Academicorum rationem. Ceterum de libro ipſo non recuſamus, quin alii a nobis disſentiant. Neque tamen dubitamus, quin periti harum literarum arbitri nobiscum ſentiant, ita omnibus boni interpretis muneribus functum esſe Ruhnkenium, ut Vellejana haec editio ſit in exemplum commendanda critices in Latinis Scriptoribus feliciter tractandae.

III.

III.

ΛΟΓΓΟΥ Ποιμενικῶν, τῶν κατὰ Δάφνιν καὶ Χλόην, βίβλοι τέτταρες.

LONGI *Paſtoralium de Daphnide & Chloe, Libri quatuor. Ex recenſione & cum animadverſionibus Johan-Baptiſtae Caſparis d'Anſſe de Villoiſon, Regiae Inſcriptionum Academiae Paris. Regiae Lond. nec non & Antiquariae, Regiae Berolinenſis, Gotting. Manhem. Upſal. Matrit. Masſil. Corton. Romae, & cet, Societatum Socii. Excudebant Franc. Ambr. Didot, Pariſiis, ſumptibus Guil. de Bure natu majoris, Bibliopolae.* 8 *maj.* 1778.

Spes ea, quam nuper de hoc libro fecimus, ita eſt expleta, ut dubii ſimus, utrum magis externum ejus cultum & chalcographicam venuſtatem, an internas dotes atque doctrinam laudemus. Eſt omnino librariis iis, qui chartae typorumque commendationem libris adjiciunt, magna habenda gratia, eoque major, quo magis hoc ſtudium in dies apud librariorum gentem refrigeſcere videmus. Sed hanc quidem libri laudem verbo commemoraſſe ſatis eſt: ad alteram protinus accedamus magis conjunctam cum

noſtro conſilio, eam quae ingenio doctrinaque cenſetur. Neque vero est, quod de ipſo Longo dicamus, cujus nulla apud alios Scriptores veteres, qui ad noſtram aetatem pervenerunt, exſtat mentio. Neque etiam fabulae argumentum enarrabimus, quippe quod a paucisſimis antiquarum literarum ſtudioſis ignorari, nobis intellexisſe videmur. Hoc unum moneamus: minime nos poenitere *noſtri judicii*, quod prodidimus parte ſecunda hujus Bibliothecae, in Achillis Tatii cenſura, cum Longum propter argumenti rationem & orationis bonitatem, a reliquorum Eroticorum reprehenſione eximeremus.

Editio haec duobus continetur voluminibus, quorum in priori est Graecus contextus cum Latina verſione, quam Villoiſonus ex *duabus prioribus*, Jungermanniana & Molliana conflavit, *multis locis* ad ſententiae veritatem & meliores lectiones caſtigatam. Graecis ad alteram paginam respondent Latina, ſed novo more; nam utraque ſub eandem quidem obtutum cadunt, neque tamen communi, ſed ſua quaeque peculiari, continuantur paginarum ſerie.

Priori volumine post epiſtolam ad Ser. Ducem Saxovinarienſem, cui liber hic a Villoiſono dicatus est, proxima ſequitur praefatio, cui prolegomenorum nomen inditum est, nonaginta fere paginarum. Hujus prima pars usque ad pag. 35. conſumitur disputatione de recentiorum Sophiſtarum, in quorum aetatem Longus incidit, ratione, ingenio,

nio, & eloquentia: inde usque ad p. 49. oſtenditur, Longum ſibi a Sophiſtarum ineptiis cavisſe, eumque perperam reprehendi ab Huetio & Baelio: denique indé usque ad finem exponitur de ſuperioribus editionibus & ſcriptis libris, ad quorum fidem exegit editionem ſuam Villoiſonus. Editionum prima est Florentina apud Juntas, A. 1508, 4. ſtudio Raph. Columbanii, expresſa ex codice ſcripto, cujus lectiones, cum lectionibus trium codicum Romanorum excerptis a Fulvio Urſino, iisque animadverſionibus ejus interjectis, ad calcem libri adjectae ſunt. Hanc expresſerunt typis Commelinianis Heidelbergae 1601, 8. Bonvitii, nil adjicientes praeter operarum vitia & metaphraſin heroicam Laur. Gambarrae. Paulo post, 1605, Hanoviae apud Wechelios Longum edidit Jungermannus forma octava, adjecta verſione Latina & ſubjectis ad calcem animadverſionibus, brevibus quidem illis & paucis, ſed acutis & ex interiore Graecarum literarum ſcientia profectis, ut dolendum ſit, eum nimium deproperasſe hanc editionem: quippe contextum Graecum ex Commeliniano repetiit exemplo, eoque jam deſcripto, nactus demum est editionem Florentinam. Notas quidem Jungermanni, quae non niſi binas tresve plagulas implent, vellemus ſuae editioni adjecisſet Villoiſonus. Voluit etiam Petrus Mollius bene mereri de literis Graecis, quas Franequerae profitebatur, edito ibi Longo forma quarta A. 1660. Hoc homine nemo unquam

editor notulis aut jejunioribus, aut impudentius compilatis oneravit veterem Scriptorem: quippe, quidquid in iis bonae est frugis, vel prioribus editoribus ſurripuit, vel ex Scapulae lexico ſublegit, & pro *ſuis* venditavit; ſuo ipſe ingenio, ſi quid habuit *ingenii*, nil niſi inania & inepta protulit: Graecum contextum Florentini exempli hac ratione exhibuit, ut vitia ejus & repeteret & novis etiam augeret, *duobus* interdum ac tribus verbis, & lineis adeo integris, omiſſis. Neque contentus verſione *Jungermanniana*, ipſe novam conſarcinavit errorum ineptiarumque plenam. Ejus tamen editionis contextum & verſionem repetere non dubitarunt Pariſienſes, qui Longi *Pastoralia* elegantiſſimis literarum formis & imaginibus aere inciſis expreſſerunt, forma quarta *A. 1754*, interjectis ſubinde contextui, incerto auctore, melioribus lectionibus, neque iis contemnendis. Eadem in urbe A. 1776. Longum edidit Ludovicus Dutens, vir doctiſſimus, apud Guil. de Bure bibliopolam, venuſtiſſimis typis Didotianis, forma duodecima, ſine verſione Latina, variis nonnullis lectionibus ad calcem libri rejectis. Hujus editionis ducenta tantum facta ſunt exempla: quorum centum inter amicos diſtribuit editor, centum divendenda apud bibliopolam reliquit. Denique mentionem facit Villoiſonus noviſſimae editionis, quae A. 1777 Lipſiae prodiit opera Laur. Bodeni, quam nos verbo commemoravimus, tertia hujus Bibliothecae parte p. 102: a cujus viri in-

induſtria & ingenio omnia praeclara exſpectat Villoiſonus: quae quidem exſpectatio ne vana ſit, nos ex animo optamus.

Sed Villoiſonus, V. Cl., ad expoliendum illuſtrandumque Longum non ſolum ſuperiorum editionum ſubſidiis, ex quibus ſine dubio praecipua fuerunt in Florentina & Jungermanniana, ſed multas etiam novas copias, easque plane egregias, adhibuit. Et primum quidem tres codices ſcriptos habuit ex bibliotheca regia Pariſienſi, qui, quamquam non vetuſtiores videntur ſeculo decimo ſexto, multas tamen bonas lectiones praebuerunt. Inſtar veteris codicis fuit etiam Amyoti verſio Gallica, ab omnibus hucusque Longi editoribus neglecta: quae, licet multis locis ab editorum librorum ſenſu discedit, tamen ita ducta est ex optimo codice, ut ejus lectionum vestigia ſervaret. Magnum etiam adjumentum poſitum fuit in virorum doctorum animadverſionibus: cum iis, quas dudum proditas & per multos multorum libros diſperſas magna diligentia conquiſivit Villoiſonus, tum iis, quae nunc primum, ab amicis ex Belgio cum eo communicatae, in lucem prodierunt. Huc cum ipſius Villoiſoni accederent copiae, magno undique ſtudio contractae & larga manu expromtae, non est mirandum, ſecundam libri partem, qua continentur animadverſiones, ad magnitudinem trecentarum paginarum excrevisſe. Atque ex ipſa ratione formaque animadverſionum intelligitur, Villoiſonum

hoc egiſſe, ut nullum boni interpretis officium negligeret. Primum enim lectionis, quae exhibetur, auctoritas oſtenditur, enumeratis aliorum librorum lectionibus & virorum doctorum conjecturis. Tum verba dictionesque Longi explicantur uſu Graecorum Scriptorum, cum omnium, tum in primis Atticorum & Amatoriorum, eorumque loci vel ſimiles, vel imitatione a Longo expreſſi, diligenter commemorantur: qua quidem in parte Villoiſonus utiliſſimam Longo navavit operam. Denique res ipſae illuſtrantur ex Antiquitatis & Historiae ſcientia, ita quidem, ut *lux* iis accendatur non ſolum ex Antiquorum ſcriptis, ſed ex recentiorum quoque itinerariis. Ceterum altera pagina Graeco contextui adjuncta est Latina verſio, ut ſub eundem oculorum obtutum utraque cadat, ſed ſua tamen quaeque & *paginarum ſerie continuetur* & peculiaribus impreſſa ſit foliis. Haec univerſe dicta de libri forma & animadverſionum ratione ſufficiant. Superest ut criſeos exhibeamus ſpecimina, ex quibus intelligatur, quantum novae lucis ac medelae Longo hac editione acceſſerit.

L. I. p. 1. Ἀλλ' ἡ γραφὴ τερπνοτέρα, καὶ τέχνην ἔχουσα περιττὴν, καὶ τύχην ἐρωτικήν. Ita primum reſtituit Villoiſonus, prout conjecerant prior Pariſienſis editor, J. Fr. Heuſingerus in Specim. Obſ. in Sophoclem p. 10, Larcherus & Wyttenbachius. Antea inepte legebatur, quod omnes li-

libros ſcriptos & editos occupaverat, τύχην ἔχουσα περιττὴν, καὶ τέχνην ἐρωτικήν.

Ib. p. 5. De Nympharum ſtatuis, quae in antro poſitae erant, dicitur ζῶμα περὶ τὴν ἰξὺν, μειδίαμα περὶ τὴν ὀφρύν. Cum Longus delectetur vocibus in eundem ſonum exeuntibus, non videtur rejicienda Villoiſoni conjectura, ζ. π. τ. ὀσφὺν, μ. π. τ. ὀ.

Ib. In deſcriptione ejusdem antri locus est corruptisſimus. Nam proxime ſequuntur ea verba —— ὀφρύν· τὸ πᾶν σχῆμα, χορεία ἦν ὀρχουμένων Ἡ ὤα τοῦ ἄντρου τῆς μεγάλης πέτρας ἦν τὸ μεσαίτατον. Ἐκ δὲ τῆς πηγῆς ὕδωρ ἀναβλύζον, ῥεῖθρον ἐποίει χεόμενον. Duae adferuntur conjecturae: altera D. Wyttenbachii corrigentis: — χορεία ἦν ὀρχουμένων κατὰ τοῦ ἄντρου. Τῆς μὲν πέτρας πηγὴ ἦν τὸ μεσαίτατον —: altera Herm. Tollii, pro Ἡ ὤα reponentis ςόμα.

Ib. p. 7. Ἡ μὲν δὴ Νάπη —— ἐφίλει τὸ παιδίον, ὥςε ὑπὸ τῆς ὄιος παρευδοκιμηθῆναι δεδοικυῖα. Villoiſonus non male conjecit, ὥσπερ pro ὥςε.

P. 7. — μιᾶς νυκτὸς ὁρῶσιν ὄναρ τοιόνδε τί· εἶναι τὰς Νύμφας ἐδόκουν ἐκείνας· Pro εἶναι, quod nullum ſenſum habet, Villoiſonus ſuam & Wyttenbachii conjecturam ſequitur, εἰδέναι; eamque docte confirmat.

Ib. p. 12. τοσοῦτον ἄρα ἡ δίκη μετῆλθε τοῦ

νικηθέντος τράγου. Duas proponit conjecturas Villoiſonus; vel, ut poſt ἄρα adjiciatur αὐτὸν, vel τὸν ἐχθρὸν poſt μετῆλθε. Forte lenius ſit ante ἄρα ſupplere αὐτὸν, quod antecedens τοσούτῳ facile abſumere potuit.

Ib. p. 18. Ἔχαιρον ἰδόντες, ἐλυποῦντο ἀπαλλαγέντες, ἤλγουν, ἔθελόν τι, ἠγνόουν ὅ, τι θέλουσι. Ita recte edidit Villoiſonus ex ſua & Hinlopenii, V. Ampl., Civitatis Hornanae ſenatoris, emendatione. Antea inepte legebatur, ἤλγουν ἐθελοντὶ, *dolebant ſua ſponte*.

Ib. p. 19. Ἡ δὲ Χλόη, μετὰ τὸ ἀμέλξαι τὰς οἷς καὶ τῶν αἰγῶν τὰς πολλὰς, ἐπὶ πολὺν μὲν χρόνον εἶχε πηγνῦσα τὸ γάλα. Probatur Wyttenbachii correctio: —— ἐπὶ πολὺ μὲν πόνον εἶχε, & dicendi forma uſu Scriptorum docte vindicatur.

Ib. p. 20. Ἐδίδασκεν αὐτὴν καὶ συρίττειν. καὶ ἀρξαμένης ἐμπνεῖν, ἁρπάζων τὴν σύριγγα, τοῖς χείλεσιν αὐτὸς τοὺς καλάμους ἐπέλειχεν. Ita repoſitum est ex Cod. Par. pro τοὺς καλάμους ἐπέτρεχεν. Nobis vulgata exquiſitior videtur, quam ut temere repudietur: et fortaſſe ἐπέλειχεν ejus ſit gloſſa.

Ib. p. 26. ὁ δὲ Δάφνις, ἀνυπόδητος, — ὡς ἔτι τῆς ὥρας οὔσης καυματώδους. Haec eſt correctio prioris editoris Pariſienſis, quam Villoiſonus in contextum recepit. Reliquae omnes editiones habent καύματος.

Lib. II. p. 29. ὁ δὲ ἀῤῥίχυς ἐπελύγιζεν: *alius cophinos texebat.* Sic expreſſum est ex conjectura Valckenarii & prioris editoris Pariſienſis. Vulgo legitur ἐπελέκιζεν.

Ib. p. 30. καὶ παῖς ἂν ἐφίκοιτο βότρυος: *& puerulus utique uvam apprehendere posſit.* Haec quoque correctio est Valckenarii & prioris éditoris Pariſienſis, eademque confirmata conſenſu trium codicum regiorum. Antea inepte edebatur ἀφίκοιτο.

Ib. p. 32. Senex Philetas de horto ſuo dicit, ὅσα ὧραι φέρουσι, πάντα ἔχων ἐν αὐτῷ. Memoratur conjectura Hinlopenii, pro ἔχων legentis ἔχω.

Ib. p. 33. Ἐμοὶ μὲν, ὦ Φιλητᾶ, φιλῆσαί σε πόνος οὐδεὶς. Probatur correctio Wyttenbachii, pro πόνος reponentis φθόνος: *Equidem, o Phileta, non recuſo quo minus te osculer.*

Ib. p. 34. Οὔτοι παῖς ἐγὼ, καὶ εἰ δοκῶ παῖς, ἀλλὰ τοῦ Κρόνου πρεσβύτερος, καὶ αὐτοῦ τοῦ παντὸς Χρόνου. Non videtur medicina opus habere hic locus. Docta tamen est & arguta conjectura Villoiſoni: — τοῦ πάντων πατρὸς Χρόνου.

Ib. p. 37. Ἀλγοῦσιν οἱ ἐρῶντες· καὶ ἡμεῖς· Ἀμελοῦσιν ἴσως· καὶ ἡμεῖς ἠμελήκαμεν. Prava haec est interpunctio in omnibus libris, & ſcriptis & editis. Vere animadvertit Villoiſonus, ita eſſe interpungendum; Ἀμελοῦσιν· ἴσως καὶ ἡμεῖς ἠμελήκαμεν.

Ib.

Ib. Εἰ τοῦτο μὲν ἐςιν ὁ ἔρως, ἐγὼ δὲ ὁ ἐρώμενος, τί οὖν ταῦτα ἀλγοῦμεν. Locum impeditum Villoiſonus ita expedit, ut pro μὲν legat μὴ, hoc ſenſu, quem in verſione reddidit: *Enim vero, niſi hoc esſet amor, & niſi ego esſem amaſius, cur tandem ſic doleremus.*

Ib. p. 39. Ἦσαν δὲ καὶ χειρῶν περιβολαὶ, θλίψιν τοῖς ςόμασι παρέχουσαι. Villoiſonus cum Wyttenbachio legendum conjecit σώμασι pro ςόμασι. Hujus adjicitur animadverſio, qua ſimile vitium eluitur ex Xenophonte, Sympoſ. 4, 26. ubi pro σώμασι legendum ςόμασι.

Ib. p. 44. Οἷα μὲν ἐσθὴς ἀπόλωλεν, οἷος δὲ κόσμος χυνῶν, ὅσον δὲ ἀργύριον. Haec est correctio prioris editoris Pariſienſis, quam receperunt V. Cl. Dutens & Villoiſonus. Igitur cum ex aliis conjecturis, tum ex hacce omnium verisſima, apparet, auctorem prioris editionis Pariſienſis, quisquis demum ille fuerit, hominem fuisſe haud contemnendi acuminis. In omnibus codicibus ſcriptis & libris aliis editis est, οἷα μὲν εὐθὺς ἀπόλωλεν.

Ib. p. 56. Καὶ τὴν μὲν ἀποπέμπει κομίσουσαν τοὺς ἀμφὶ τὸν Δρύαντα καὶ Λάμωνα: *Et hanc quidem ablegavit, ut Dryantem & Lamonem adduceret.* Haec est Hinlopenii correctio, quae confirmatur auctoritate codicis unius regii. Vulgo legitur κομίζουσαν.

Ib. p. 59. — μῦθον, ὃν αὐτῷ Σικελὸς αἰπόλος

ἦσεν ἐπὶ μισθῷ τράγῳ καὶ σύριγγι. Vox αἰπόλος revocata est ex tribus codicibus regiis: eamque Amyotus, ut ex verſione apparet, in codice ſuo repererat.

Ib. p. 60. καὶ ὁ Τίτυρος ἐφίσταται τὴν σύριγγα τῷ πατρὶ κομίζων, μέγα ὄργανον καὶ αὐλῶν μεγάλων. Pro αὐλῶν malit Villoiſonus καλάμων, quod in ſuo codice habuiſſe videtur Amyotus, cum ita verteret, —— *compoſée des plus groſſes cannes que l'on trouve.*

Ib. p. 64. τῇ μὲν τῶν χειρῶν, αἰγὸς, τῇ δὲ, τράγε λαβόμενος. Villoiſonus χειρῶν, ut gloſſema, abjiciendum putat. Nobis aliquando aliud quid, vel κεράτων, vel τριχῶν, latere viſum est.

Lib. III. p. 66. σπυδὴν δὲ εἶχον. Hanc lectionem, quam ipſe Villoiſonus conjectura asſecutus erat, habent tres codices regii. In reliquis exemplis eſt σπονδὴν δ. ἐ.

Ib. p. 68. Πρὸ τῆς αὐλῆς τοῦ Δρύαντος, ὑπ' αὐτῇ τῇ αὐλῇ, μυρρίναι μεγάλαι δύο καὶ κιττὸς ἐπεφύκει. Adfertur Wyttenbachii conjectura — ὑπ' αὐτῇ τῇ πύλῃ, μ: & notatur, Amyotum haec verba in verſione omiſiſſe. Forte ex gloſſa orta ſint.

Ib. p. 70. In dubitatione Daphnidis cupientis intrare Chloes domicilium, & haeſitantis quam cauſſam adventus ſui praetenderet, verba ſunt valde dif-

difficilia intellectu haecce: παίδων δὴ πανταχοῦ σιωπή. Unus ex codicibus regiis habet πταίων pro παίδων: qua lectione adjutus Villoiſonus, reliquis verbis paululum tranſpoſitis, locum probabiliter ita refingit: ἀλλ᾽ οὐδὲν τούτων ἀνύποπτον. πταίων δὴ πανταχοῦ σιωπήσω. Postea tamen fatetur, ſibi de toto hoc loco non liquere. Nec nobis liquet. Neque tamen diſſimulare poſſumus, videri verba haec ita conſtitui vertique poſſe: παίδων δὴ πανταχοῦ σιωπή. ἄμεινον ἄρα σιγᾶν. Ἀλλ᾽ οὐδὲν τούτων ἀνύποπτον. Χλόην δὲ ἦρος ὄψομαι. *Sed ingrediar tamen neque verbum dicam! ubique enim ſilentium juvenibus decorum est; ſed nil horum ſuſpicione vacat! Igitur vere proximo videbo Chloen.*

Ib. p. 83. — καὶ ἐλθὼν (Δάφνις) ἵνα ἐκάθητο στεφανίσκον ἴων πλέκουσα — περιθεὶς ἐφίλησεν: *& accedens Daphnis ad Chloen, quae corollam ex violis nectebat, eam ſibi imponens baſiavit.* Eleganter &, ni fallimur, vere Villoiſonus pro περιθεὶς conjecit περιχυθεὶς, hac ſententia, *eique (ſc. Chloae) circumfuſus, eam baſiavit*: ſeu, *& Chloen amplexus osculatus est.*

Ib. 86. Dicitur de canibus, quae Echo, puellam, diſcerperunt: καὶ ῥίπτουσιν εἰς πᾶσαν γῆν ἔτι ᾀδούσαν τὰ μέλη. Καὶ τὰ μέλη γῆ, χαριζομένη Νύμφαις, ἔκρυψε πάντα. Haec est lectio plerorumque librorum, quos ſecutus est Mollius. Hinc Wytten-

bachius, qui ferre non poſſet, μέλη bis diverſo dici ſenſu, altero pro *carminibus*, altero pro *membris*, poſterius ita corrigebat: Καὶ ταῦτα μὲν Γῆ χαριζομένη cet. Huc cum accederet lectio aliorum librorum, qui pro ᾀδούσαι praeberent ᾄδοντα, Villoiſonus totum locum haud improbabili conjectura ita refinxit: ῥίπτουσιν εἰς πᾶσαν γῆν ἔτι ᾄδοντα τὰ μέλη. καὶ τὰ μὲν ἡ Γῆ, χαριζομένη Νύμφαις, ἔκρυψε πάντα· i. e. *disjiciunt membra per totam terram; quae membra Terra in gratiam Nympharum abſcondidit.* Comparatur Virgilianum de Orpheo, Georg. IV, 525.

Tum quoque marmorea caput a cervice revulſum
Gurgite quum media portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,
Ah, miſeram Eurydicen, anima fugiente, vocabat.

Ib. p. 88. Δάφνις — ἀποθανεῖσθαι, μηκέτι νεμούσης Χλόης, λέγων. Ita reſtituit Villoiſonus ex codicibus regiis duobus, verſione Amyoti, & correctione Bernardi ad Syneſ. de Febr. p. 42. Vulgo legitur — μηκέτι μενούσης Χλόης, λ.

Ib. p. 20. Operae pretium est, Mollii ſtuporem ex uno hoc cognoscere ſpecimine. Nymphae, quae per ſomnium conſolantur Daphnidem de Chloe, dicunt: Γάμου μὲν μέλει τῆς Χλόης ἄλλῳ θεῷ. Quid vero Mollius? Hic ſtultisſima mutatione in

tex-

textum invexit ἀλόης pro Χλόης; eamque lectionem & defendere explicando conatus est, & in verſione ita expreſſit: *alii Deo conjugii amaror curae est.* Recte addit Villoiſonus: *ſuſpicor Mollium, hominem vaniſſimum & ridiculum Thraſonem, ineptum illud & inſulſum* ἀλόης, *quod nusquam invenire potuit, de ſuo dedisſe, & veram lectionem dedita opera pervertisſe, ut certae emendationis gloriolam caperet.*

Ib. p. 92. Εἰλημμένος δὲ τῶν τρισχιλίων. *Potitus vero M M M drachmis.* Valckenarius corrigit, εἰλημμένων. Dicitur illo ſenſu λαβόμενος τινὸς, non vero εἰλημμένος τινὸς.

Ib. p. 97. Γυμνοὶ πάντες ἦσαν οἱ κλάδοι, καὶ ἓν μῆλον ἐπέθετο. Villoiſonus conjecit ἐπέκειτο. Huetius, cujus notis adſcriptis exemplo edito, quod ſervatur in bibliotheca regia Pariſienſi, uſus est Villoiſonus: Huetius igitur conjecerat, ἐλίπετο. Sed hoc ſenſu media forma non uſu frequentatur. Wyttenbachius ἐλείπετο in paſſiva forma correxit. Atque ſic etiam legisſe videtur Amyotus.

Ib. Deinceps de eodem pomo dicitur, ἵνα πέσῃ χαμαὶ —— ἢ χρόνος δαπανήσῃ κείμενον, βλεπόμενον ἐπαινούμενον. Τοῦτο Ἀφροδίτη κάλλους ἔλαβεν ἆθλον. Pro ἐπαινούμενον jam Jungermannus conjecerat πεπαινόμενον. Valckenarius ita conſtituit hunc locum: — κ. Βλέπει μὲν εὖ πεπαινόμενον. T. cet. Ceterum Wyttenbachius κείμενον non be-

ne

ne convenire judicans cum ſententia hujus loci, maluit χειμάμενον.

Ib. p. 98. Ὁμοίως ἔχομεν τοὺς σοὺς μάρτυρας· ἐκεῖνος ἦν ποιμὴν, αἰπόλος ἐγώ. Facilis est in univerſum hujus loci ſententia; quippe Daphnis cum Paride ſe confert: ſed in verbis est corruptela, quae dubiam facit auctoris manum. Villoiſonus modeste plures, ut ſolet, proponit correctiones, quarum ipſe nulla ſibi ſatisfacit. Forte Longus reliquerit, Ὅμοιον ἔχεις με σοῦ μάρτυρα.

L. IV. p. 100. Σκιά τε ἦν θέρους, καὶ ἦρος ἄνθη, καὶ μετοπώρου τρύγη, καὶ κατὰ πᾶσαν ὥραν ὀπώρα. Acuta neque invenusta est Hinlopenii correctio, καὶ μετοπώρου ὀπώρα, καὶ κατὰ πᾶσαν ὥραν τρυφή.

Ib. p. 103. Μειράκιον γὰρ εἰωθὸς αἶγας βλέπειν, καὶ ὄρος, καὶ γεωργοὺς, καὶ Χλόην, πρῶτον ἔμελλεν ὄψεσθαι δεσπότην. Placet nobis Hinlopenii correctio, legentis οἶς, *oves*, pro ὄρος. Editor tamen vulgatum tuetur.

Ib. p. 112. Λιγυρὸν ἔδωκε, *molle & ſtridulum inflavit*. Valckenarius vere emendavit ἐνέδωκε, quod proprium est in hac re.

Ib. p. 114. καὶ φυτοῦ τις ἠράσθη, καὶ ποταμοῦ, καὶ θηρίου. Commemoratur Valckenarii correctio, pro ποταμοῦ reponentis πετεινοῦ.

Ib. p. 115. Λευκὰ φιλήματα. Prior vox, quae

 vitio-

vitioſa est, duabus a Villoiſono tentatur conjecturis, altera γλυκεῖα, altera μαλακά. Melius est γλυκὺ φίλημα.

Ib. p. 119. Κομίζουσαν ἀπεστείλαμεν. Recte Villoiſonus corrigit κομίσουσαν.

Ib. οὐ ταῦτα ἡμεῖς συνεθήκαμεν ἰδίῳ παιδί. Correctio Editoris reponentis συνεκθήκαμεν, probanda est, quod ad ſententiam pertinet. Forma in proſa oratione minus ferenda est, eique ſubſtituenda συνεξεθήκαμεν.

Ib. p. 124. νῦν δὲ τὴν μὲν (Χλόην) Λάμπις ἁρπάσας οἴχεται, νυκτὸς δὲ γενομένης κοιμήσεται. Adfertur veriſſima Valckenarii emendatio συγκοιμήσεται.

Ib. p. 134. Sub finem libri, leni mutatione veram lectionem reſtituit Valckenarius, Ἀλλὰ καὶ ἄῤῥεν αἰγὶ παιδίον ὑπέθηκαν.

Satis hoc est ſpeciminum, ut judicari poſſit, quae ſit ratio atque vis operae, quae Longo hac editione navata est. Sed praeter has, quas commemoravimus, emendationes, & plures reliquas, quas omiſimus, magna est animadverſionum copia, quibus loci antiquorum Scriptorum vel ſimiles, vel a Longo imitatione expreſſi, notantur. Major etiam est earum, quibus verba dictionesque Longi explicantur; qua quidem in parte, veremur ne ſint, quibus nimium laborem poſuiſſe videatur Villoiſonus. Nobis

bis vero minime dubium eſt, quin haec copia ex quadam ingenii naturaeque liberalitate fluxerit. Hinc quoque factum eſt, ut nil omitteret, quod legentium intereſſe putaret, veluti ad calcem libri Odae quoque Horatianae exhibentur, de quibus diximus Bibl. Crit. P. III. p. 102. Neque facile quis hominum doctorum ad partes vocatur ſine honorifica mentione, & haud pauci in primariis ponuntur viris, qui, ut de Megarenſibus dixit Oraculum, nec tertii, nec quarti, & nullo potius ſunt numero. Laudanda eſt hujus liberalitatis ſocia humanitas & modeſtia, quae in judicandi verecundia cernitur, & longiſſime remota eſt cum a reprehendendi petulantia, tum a pronunciandi arrogantia. Ceterum ex ipſa materia ac forma harum animadverſionum facile apparet, Villoiſonum in Antiquitatis ſcientia & critica ratione ſedulo ſibi cavisſe a recentisſimi ſeculi levitate; contra omni ſtudio ſequi ſectam virorum ſimillimorum Caſaubonis, Scaligeris, Valeſiis, aliisque, qui Galliae olim certisſimam bonarum literarum laudem pepererunt.

IV.

Q. HORATII FLACCI *Opera. Recenſuit, varietate lectionis & perpetua adnotatione illuſtravit, M. Christianus David Jani. Tomus Primus. Lipſiae. ſumtibus S. L. Cruſii* 1778. 8 *maj.*

Speraveramus Heynium, V. Cl., abſoluta Virgilii ac Tibulli editione, ſimilem operam navaturum esſe Horatio. Nunc dolemus hanc ab eo provinciam in Janum esſe translatam, in quo voluntatem quidem & ſtudium, non vero facultatem, imitandae rationis Heynianae inesſe videmus.

Quid ſibi propoſuerit hac editione Janus, audiamus ipſum narrantem: —— „*videbam deesſe adhuc editionem, qua Horatius non ſolum perpetuo commentario optimisque interpretationibus collectis illuſtratus, ſed etiam cum ſpiritu ac ſenſu poëtico, plenaque ſermonis Latini poetici, inprimis lyrici, cognitione esſet expoſitus; quae doceret adolescentem cum ſenſu pulchri legere nobilisſimum poëtam, atque in quovis carmine non tantum intelligere ſingula, ſed etiam totum & ſingularum partium ad illud rationem recte tutoque* (quid tuto? an veluti hostem ex ſpecula?) *contueri, quae omnium, qui a primariis Horatii editoribus collati esſent, codi-*

cum

cum varietatem, praecipuasque virorum doctorum emendationes & conjecturas, plenius & accuratius exhiberet ac percenſeret; denique qua textus Horatianus quam & exactiſſimo & modeſtiſſimo inprimis judicio fieri poſſet, conſtitutus ederetur. Ad talem igitur editionem praeſtandam ut adſpirarem neceſſe eſſe videbam, ſi Horatium edere vellem." Huic rationi ſi opus, non dicam omnino, at ex parte aliqua reſponderet, eſſet quod ei gratias haberemus. Nunc contra accidit. In quo, quanta conſcientiae vis eſſet, ipſe oſtendit. Nam p. 1, *ſpem ſe tenuiſſe*, ait, *ut indulgentia virorum doctorum ſaltim probaret ſtudium, ſi ingenium rectumque judicium deſideraſſet.* Deinde p. 8. nobis declarat, *ſe magnum ſubinde timorem inceſſiſſe, ne nihil forte eorum omnium recte praeſtiterit.* Et aliis etiam locis tenuitatem ingenii doctrinaeque ingenue fatetur. Sed modeſtiam, dicat aliquis, editoris non noſti; non ex animi ſui ſententia locutus eſt. Atqui Janum remoto joco eſſe locutum, ex iis, quae in medium proferemus, adparebit.

Praefationi proximus eſt Elenchus codicum ſcriptorum ad quos adhuc Horatius recenſitus eſt: cui ſubjicitur commemoratio quorumdam codicum nondum collatorum. Sequitur Elenchus Editionum: Horatii vita a Suetonio conſcripta: Ejusdem vita ab ipſo Jano ad Coſſ. annos digeſta: tum diſputatiunculae quatuor, de moribus Horatii, de poëſi Lyrica, in primis Horatiana, de amicis Horatii,

& de ſcriptis ejus. Atque haec quidem praeludia, ſine praefatione, paginas implent ſedecim ſupra centum. Sunt in iis multa utilia tironibus, haud pauca tamen ex quibus adparet, Janum nullam dum judicandi maturitatem conſecutum eſſe. In praefatione Cruquium inter *principes haud dubie Horatii interpretes* refert, qui vix locus est in ultimis. De Horatii editionibus p. 50. ait, Danielem Heinſium *non multum poëtici ingenii habuiſſe:* qui, omnium eruditorum conſenſu, ſummum ſe poëtam pulcherrimis carminibus probavit. Ib. p. 39. ait, *Cuningghamus, ſi quid intelligo, ipſi Bentlejo anteferendus;* atqui, o Jane, ſi reliqua non melius intelligis, quam quantum interſit inter Bentlejum & Cuninghamum, nihil profecto intelligis! P. xi. Horatii amicos recenſet, ſic, ut omnia feſtinanter corraſiſſe videatur. Conferant harum literarum ſtudioſi ab eo dicta de Q. Dellio cum animadverſione Ruhnkeniana ad Vell. Pat. II, 84, 3, ut intelligant quid ſit temere effundere, quid accurate cogitateque ſcribere.

Codicum aliquot ſcriptorum, quibus antea nemo uſus erat, excerpta habuit Janus: Desſavienſium duorum: Menteliani e Sec. XI: quatuor Lipſienſium: duorum Altorfinorum: Franequerani, & Helmſtadienſis. Ex quibus, quae digna nobis videntur commemoratu, cum lectoribus noſtris communicabimus. Od. II, 4, 20, pro *matre pudenda*, cod. Lipſ. 3, habet *patre pudendo*. I, 14, 13, *Jactes & genus*

&

& *nomen inutile*, cod. Lipſ. 4. habet *Jactes tu generis nomen inutile*. I, 4, 10, pro *terram* cod. Altorf. 1. habet *terras*, quod Jano magis poëticum videtur. II, 15, 5. *Evincet ulmos, tum violaria &. cet*: idem cod. habet *ulmum*, quod Janus elegans eſſe judicat: aures vel paulum tritae notandis numeris vulgatam lectionem elegantiorem judicent. Ceterum II, 15, 5. codex pro *Pompeji* habet *Pompili*: & I, 1, 10, *vertitur* pro *verritur*; quod verbo notaſſe ſatis erat: ſed, ut ſcirent tirones falſas eſſe has lectiones, adjicitur exclamatio, *Turpis error! Stupide*. Aliquoties etiam ipſe ex ingenio conjecturam expromere audet: v. c. I, 21, 7. *Nigris aut Erymanthi Silvis*, legere malit *Cliyis*. Ib. v. 13, de Apolline & Diana:

Haec bellum lacrimoſum, hic miſeram famem
Peſtemque a populo, principe Caeſare, in
Perſas atque Britannos
Veſtra motus aget prece.

Quid ſi, ait Janus, *pro* motus *legendum quis putet* mitis? *ſane & aptius & magis poëticum hoc videtur*. De quibus, vel nobis tacentibus, quid ſtatuendum ſit, facile intelligi poteſt.

At, ſi in critica parte non magni fuit Jani opera, forte in explicando interpretandoque poëta cum laude verſatus eſt? Quantum hac in re praeſtiterit, age, videamus. Omnia fere referuntur ad explicandam vim pulchritudinemque poëticam: quod quidem,

ſi certa ratione modoque ſit, in primis utile eſt legentibus & jucundum. At vero Janus quid egit? Nimirum plerumque exclamat, *Docte! Exquiſite! Pulchre! Splendide! Magnifice.* Omnino ita in animum videtur induxisſe ſuum, ſe optimum interpretum Horatii fore, ſi omnem rationem exueret & fureret. Poëtarum interpres ne ſit nobis frigidus plumbeusque, qui ſpiritu ſenſuque poëtae non commoveatur & auferatur; ſed in ipſa interpretatione ad ſe redeat, judicii ſanitatem acumenque ſequatur, neque Corybantum more clamet. Sed exempla ante oculos legentium ponenda ſunt, quae ex Od. I, 1, ſumemus, v. 2. ſeqq.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisſe juvat, metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Hic Janus: „ *Vide*, inquit, *quam vivant & ſpirent omnia! currum, rotarum ſtrepitum, pulveris turbines, omnia coram cernis audisque!* — " Parce, Jane, videmus omnia, palmam, quin, ſi jubes, Deos ipſos. Tu quidem baccharis, ut ſcribas etiam, *Romanos a Virgilio terrae dominos dici.* Nos legimus Aen. I, 282, *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

V. 10.

Quidquid de Libycis verritur areis.

Janus,

Janus: *Hoc ſplendide extulit : Quidquid, i. e., quantum de Libycis verritur areis, omnes Libyae fructus.* Nos in *quidquid* non ſplendorem, ſed efficaciam & proprietatem videmus: ſic est apud Tibullum II, 2, 3:

Nec tibi malueris, totum quaecunque per orbem
Fortis arat valido ruſticus arva bove.
Nec tibi gemmarum quidquid felicibus Indis
Naſcitur, Eoi qua maris unda rubet.

V. 11.

Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros ——

Janus addit: *Imago ſuaviſſima!*

V. 24.

—— *bellaque matribus*
Deteſtata ——

Janus ita locum minime obſcurum illuſtrat: „*idea ingrata & triſtis, Cf. Stat. Th. III, 377. Matrum ſolemnis mentio in talibus, ut Virg. Aen. VIII, 556, quod orbantur filiis, neque earum luctu quidquam acerbius. Laudant Eurip. Hec. 653. Et ſunt tamen, qui gloriam bellicam quaerant,*" Quis hic non exclamet:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

V. 29.

Me doctarum ederae praemia frontium
Dis miscent ſuperis: —

Ut animadverteretur loci hujus pulchritudo, Janus his verbis monet: *Id prorſus magnifice expreſſit! Admirabilis ſententiarum ſublimitas, imaginum vita, verborum gratia. Miſcent Diis ſuperis, admovent ad caelicolas, ut animo ac ſenſu Deus ſim, beatoque ſuperorum concilio intereſſe mihi videar; h. e. vulgari ſermone: nihil mihi gloria poëtae, qua fruor, majus aut excelſius videtur.* Sed quis adeo interpres de lectorum atque adoleſcentum ingeniis deſperet, ut haec adjicienda cenſeat. Quin potius notet vim verbi *miscet* ex Graeca imitatione fluxiſſe, & adferat v. c. Pindaricum Ol. I, 34. *Κράτει δὲ προσέμιξε δεσπόταν.*

V. ult.

Sublimi feriam ſidera vertice.

Quantos hic fluctus in ſimpuvio excitat, quantas in nugis tragoëdias excitat bonus Janus? Atqui cum per ſe mens Horatii perſpicua est, tum unius loci Ovidiani comparatione magis illuſtratur quam Jani interpretatione. Quid igitur cauſſae fuit, quod Ovidiana verba loco notaret, non vero diſerte exhiberet. En Metam. VII, 60.

Aeſonidem mutaſſe velim: quo conjuge felix
Et Diis cara ferar, & vertice ſidera tangam.

Bo-

Bonas interpretationes aliis Interpretibus ſublegit, quibus deinde hanc gratiam refert, ut eos argutari & nugari dicat. Sic Od. II, 17, 7. explicationem verborum *Nec carus aeque* a Lambino ſumſit; addens ex ſenſu pulchritudinis intimo depromtam exclamationem, *Quam delicatus ſenſus!* denique hoc etiam ſolemne; *Non mirum in talibus argutari interpretes.* Similiter Od. II, 9, ult. *tua ne retardet Aura maritos*, ait Janus, interpretes in his verbis turbare & nugari: ipſe ea recte accipit de odore, quem equa vel juvenca emittit. Quis non credat, hanc explicationem ab ipſius Jani profectam eſſe ingenio? Sed totam ſuffuratus eſt J. M. Gesnero. Od. I, 13, 16. est annotatio de *quarta parte nectaris*, quae nobis eruditior videbatur quam pro Jani doctrina. Ubi evolvimus alios interpretes, hanc quoque Marcilio & Gesnero ſurreptam vidimus. Nobis liberalis & ingenui hominis videtur, laudare per quos profecerit; impudentis & protervi, inſultare iis, quos compilaverit. Quam acri praeditus ſit pulchritudinis ſenſu exiſtimare licet, v. c. ex animadverſione ad Od. I, 3, 18. *Qui ſiccis oculis monſtra natantia, Qui vidit mare turgidum*, ubi vulgatum *ſiccis* prae Bentlejano *rectis* tuetur: & Od. I, 6, 18. —— *nos praelia virginum ſectis in juvenes unguibus Cantamus*, interpretatur vulgatum hac, ſi Dis placet, exquiſita ratione: *iratae, ſaevae, ac tanto venuſtiores, involant in juvenum protervorum faciem,*

tam

tamquam eos laniaturae. Sed proh dolor! ſectae ſunt ungues, antequam ad convivium irent; nam ſunt puellae elegantes. Igitur, tam praeclara interpretatione fretus, Bentleji correctionem *ſtrictis* repudiat. Hoccine est Aeſtethicum agere? Hemſterhuſius quidem haec Bentlejana κατορθώματα adolescentibus in exemplum certae critices proponere ſolebat. Neque etiam Od. I, 7, 5.

Sunt quibus unum opus est intactae Palladis arces
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptam fronti praeponere olivam.

Neque hic igitur ſenſit venuſtatem veriſſimae lectionis,

—— *celebrare,*
Indeque decerptam frondi praeponere olivam.

quam lectionem primus ingenio reperit Joſephus Valartius, Horatium edens Pariſiis, 1770: quod fugiebat Jo. Schraderum, V. Cl., qui eodem modo correxit Emend. Cap. IV, p. 76. Quod etiam, ut id obiter moneamus, eidem viro docto evenit in emendando Horatio Serm. I, 1, 29, ubi *perfidus hic cautor* reponit, pro *perfidus hic caupo;* hanc enim lectionem, quae tamquam novum inventum jactatur, non ſolum idem Valartius, ſed jam ante quadraginta annos eruditus Anglus, apud Jo. Taylorum Element. Jur. Civil. p. 220., reſtituerat, & iisdem quibus

quibus Schraderus, rationibus exemplisque confirmarat.

Longum est feſtinationis negligentiaeque exempla, quae quavis fere pagina ſunt obvia, enumerare. Tale est, quod p. 27. dicit, *Macrobium Sat. II, 4, Bentlejum pro ſe adferre, feſtivum est.* Nihil dici potuit falſius; Macrobiani loci ne veſtigium quidem apud Bentlejum. Od. I, 2, 32. — *Erycina ridens, quam jocus circumvolat & Cupido*, imaginem hanc ductam esſe ait e Quinto Calabro V, 72: quod vix puero ignoscendum. Od. I, 3, 9, *Illi robur & aes triplex Circa pectus erat*, adfert ex Marcilio veteris poëtae dictum, κεῖνος ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν, quis tandem, qui ſe Horatii interpretem profiteatur, tam parum tritas habeat aures notandis Graecorum carminum generibus, quin continuo intelligat, hoc Pindaricum esſe. Od. II, 14, 26, *& mero Tinguet pavimentum ſuperbum*, commemorat Toupium Ep. Crit. p. 111. *ſuperbis* tueri. Sed quid causſae est, quod nullam faciat mentionem Graecae imitationis, quam idem Toupius ductam esſe oſtendit ex Jone Chio, Οἶνον ἔχων χειροῖν νιζέτω εἰς ἔδαφος. Est haec non ferenda negligentia in interprete, praeſertim Horatii, qui totus a Graecorum imitatione pendet; quemque nemo recte intelligere, ne dicam interpretari, potest, niſi qui Graecos ſcriptores multo uſu tritos habeat. A qua quidem laude tantum abest

Janus:

Janus, ut ejus linguae inſcitiam multis locis prodat; ubi ipſe Graecas locutiones fingit, quas Horatius expresſisſe videatur: v. c. p. 3. *Sunt quos juvat*, εἰσὶν οὓς τέρπεται, quis non vel paululum Graece doctus, vel tiro etiam, ſciat τέρπει dicendum esſe? *Grando dira* p. 16. ab eo Graece dicitur θεοχόλωτος: ſcilicet non reperiebat verbum Latinum, quod vim vocis *dira* ſatis exprimeret; aliud Graecum quaerebat; forte θεήλατος; ſed ſiniſtra ei fortuna monſtrum vocis obtulit. *Patiens vocari Caeſaris ultor:* Graece interpretatur, ὑποφέρων καλεῖσθαι Καίσαρος ἐκδικητής: puerum pudeat tam barbaram fabricari Graecam dictionem; *ultor* antiquis est τιμαρὸς; ὑποφέρων hoc ſenſu inauditum, pro quo quidem, Jane, ſi in Graecis verſatus esſes, in mentem facile tibi venisſet τλάς. *Choros ducit* p. 44, χοροὺς ἀρτύνει: augeantur Lexica hac nova loquendi forma. *Deterrere* p. 129, pro *terrere*, *fuit haud dubie ante oculos Graecum* παραπλήσσειν. Od. II, 11, 21, *Quis devium ſcortum eliciet domo Lyden?* haec ſunt inter alia ad explicandum adjecta: *devium*, *pro habitans in devia domo, in latebra*, κατάκλειστος. Audierat aliquid de virgine κατακλείστῳ apud Callimach. Fragm. 118: hoc infeliciter tranſtulit ad ſcortum. Od. II, 19, 2. ad verbum *pervicaces* addit: *forte in Graeco erat σκληραύχενας*: hoc quidem in V. & N. T. occurrit, & ſolent ita loqui Judaei

Grae-

Graeciſſantes, quos Janus legit, non veteres Graeci, quos legit Horatius.

Quod ſi hos errores novis in hoc genere obſervatis compenſaſſet Janus, poterat veniam impetrare ab aequis harum rerum judicibus. At vero novi adeo nil est, ut vetera etiam & a ſuperioribus prodita interpretibus multa negligeret. Quae quidem recoquere non est noſtri ſtomachi. Sponte multa, cuique, qui non, ut Janus, hospes ſit in Graecis poëtis, neceſſe est in mentem venire. Veluti Od. I, 9, 9. *Permitte Divis cetera*, Hom. Od. 1, 505, ἐπιτρέψον θεοῖσιν. I, 12, 24. multa congerens Graeca neglexit ἰοὺς ἀφύκτους Sophocl. Phil. 105, & ſimilia apud Valckenarium ad Eur. Hipp. p. 317. I, 13, 4, ſequ. non videmus memorari Sapphus nobilem locum, unde colorem duxit Horatius. Ad I, 17, 21. poterat conſulere, quae ab eodem Valckenario notata ſunt ad Eur. Phoen. v. 796. Ejusdem obſervationem ad ejus fabulae v. 1458, ſi legiſſet Janus, verius interpretatus eſſet, I, 28, 3, *pulveris exigui munera*.

Satis conſumſimus temporis in hujus libri deſcriptione. Hoc igitur erat cum ſenſu judicioque pulchri enarrare poëtam, atque Aeſtethicam exercere, prout vulgo in Germania dicitur, nomine barbaro & Graecis inaudito. Omnino ita maximam nos tribuimus laudem poëtarum interpretationibus, ut quaeque maxime interiorem ſenſum atque cauſſas pul-

pulchritudinis aperit. At hoc nec ſine Graecarum Latinarumque literarum cognitione interiore praeſtari poteſt; & faciendum eſt certa ratione, breviter, perſpicue, modoque tironibus accommodato. Nunc cum omnia undique corraderet atque conſtiparet Janus, etiam ipſa mole notarum tirones obruit, & obſcurus fit, quod in aliis ejusmodi editionibus quoque accidere vidimus. Nam, ut de magnitudine libri judicare poſſint lectores, tomus primus duos tantum complectitur Carminum libros, ac paginas explet 436; & ut perfectam ſuis numeris Horatii editionem nanciscantur tirones, duobus aliis voluminibus beabuntur.

H. W.

V.

V.

L'Expédition de Cyrus dans l'Aſie ſupérieure, & la Retraite des dix mille. Ouvrage traduit du Grec, avec des notes Historiques, Géographiques & Critiques. Par Mr. Larcher, de l'Académie des Sciences & Belles-Lettres de Dijon.

i. e.

XENOPHONTIS *libri, de expeditione Cyri Minoris, Gallice converſi & animadverſionibus historicis, geographicis, & criticis illuſtrati a Larchero, Acad. bon. lit. Divionenſis ſocio. Pariſiis. II voll. 12 maj. 1778.*

Quamquam non est provinciae noſtrae, commemorare omnes, quae prodeunt, veterum Scriptorum verſiones, quod ſciamus eas plerumque & negligenter factas eſſe, & Graecae Latinaeque linguae neglectum inducere, tamen ex reliquarum turba eximenda laudandaque est verſio haecce Larcheriana. Nam & Larcherus is est, quem non dubitemus omnium, qui noſtra aetate veteres Scriptores in linguas vertunt recentiores, antiquitatis linguaeque Graecae ſcien-

tiſſimum vocare: & eam navavit huic operi curam diligentiamque, ut ad veram Scriptoris mentem reddendam non ſolum uteretur editionum ſubſidiis, interpretum animadverſionibus, & criticorum obſervationibus, ſed tres etiam codices ſcriptos bibliothecae regiae Pariſienſis, multis locis, conſuleret. Quare cum hac interpretis diligentia haud parum medelae factum ſit his Xenophonteis libris, operae pretium duximus eam partem totam recenſere, ut harum literarum ſtudioſis, iis in quorum manus Larcherianus liber non perventurus esſet, noſtro labore conſuleretur.

L. I. p. 153, l. 12. (ed. Steph. A. 1581.) Ed. Welſ. I, 5, 15, σὺν τοῖς παροῦσι τῶν πλείστων ἥκειν ἐλαύνων. Cod. B. habet τῶν πίστων. h. e. quam recte veram judicat lectionem Larcherus: & nos antea ita correxeramus. Est haec ſolennis ſatraparum & amicorum Regis apud Perſas appellatio. Vid. Spanhem. ad Julian. Or. I. p 174.

Ib. Steph. p. 154, l. 4, μεταμεμέληταί σοι ἀφεῖσθαι. Welſ. I, 6, 7. habet μεταμεμελῆσθαί σ. ἀ. Melior est lectio Cod. B. μεταμέλει σοι τ. α. ἐ.

Ib. St. l. 15. Welſ. I, 6, 10. ἐλάβοντο τῆς ζώνης τὸν Ὀρόντην. Cod. B. habet ἔλαβον: quod tamen vulgato non eſt praeferendum.

Ib. St. p. 156. l. ult. τὸ δ᾽ ἐλλιμπανόμενον ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ μένω, συνετάττετο. Welſ. I, 8, 10, habet ἐν ὅτι ἐ. τ. α. μ. σ. Sed ὅτι, quod ſenſum impedit, abeſt a Cod. B.

Ib. Steph. 157. Welſ. I, 8, 14. Dicitur de Graecis; qui impetum curruum falcatorum eludebant, οἱ δὲ, ἐπεὶ προΐδοιεν, ἵϛαντο. Pro varia lectione in margine Steph. est διΐϛαντο, quod & verum est, & confirmatur auctoritate Cod. B.

Ib. St. p. 159, l. 25. Welſ. I, 9, 14. τοῦτο οὖν καὶ ἔπεμψε. Cod. B. habet τοῦτον, quod forte natum est ex τούτου.

Ib. St. p. 160, 19. Welſ. I, 10, 4. Rex cum ex averſa parte exercitum contra Graecos duceret, illi παρασκευάζονται ὡς ταύτῃ προσιόντος καὶ δεξόμενοι. Ita est in Cod. A: vulgo male προσιόντες.

Ib. St. l. 26, Welſ. I, 10, 6. verba in margine adjecta, πάλιν μὲν οὐκ ἀναϛρέφει, ſunt etiam in Codd. A. B.

L. II. Steph. p. 163. l. 36. Welſ. II, 2, 3. ἀπὸ δὲ τῆς μάχης ἐλέγοντο εἶναι εἰς Βαβυλῶνα ϛάδιοι ἑξήκοντα καὶ τρισχίλιοι. Secutus est Larcherus Codicem B, in quo veriſimilior est numerus ἑξήκοντα καὶ τριακόσιοι.

Ib. Steph. p. 164. l. 37. Welſ. II, 2, 10. Callidum fuit commentum Clearchi ad ſedandum Panicum terrorem, qui in Graeco exercitu ortus erat, cum juſſit praecones exclamare per caſtra, ὃς ἂν τὸν ἀφιέντα τὸν ὄνον εἰς τὰ ὅπλα καταμηνύσῃ, ὅτι λήψεται μισθὸν τάλαντον ἀργυρίου, *eum qui indicaverit, a quo fuerit immiſſus in exercitum aſinus, pro mercede talentum argenti accepturum.* Interpretes pleri que in

in voce ὄνον haeſerunt: quae tamen veriſſima eſt, & confirmatur codicum conſenſu. Hoc commentum Iphicrati tribuit Polyaenus III, 9; 4, qui ex Xenophonte corrigendus eſt. Conferendi ſunt Heinringa Obſ. p. 125. & Toupius Em. Suid. T. II. p. 174.

Ib. Steph. p. 165. l. 26. Welſ. II. 3, 7. καὶ εἴτις αὐτῷ δοκοίη τῶν πρὸς τοῦτο τεταγμένων βλακεύειν, ἐκλεγόμενος τὸν ἐπιτήδειον ἔπαισεν ἄν. Ita eſt in Cod. B. & Ed. Steph. Alii habent ἔπαυσεν. Larcherus ex conjectura ita legit ἐκλεγόμενος τόπον ἐπιτήδειον, ἔπαισεν αὐτόν: & vertit „ *S'il voyoit quelqu'un de ceux qu'il avoit chargés de la conſtruction de ces ponts, ſe conduire avec nonchalance & choiſir un lieu commode pour mettre le pied, il le frappoit de ſon bâton.*" Quae conjectura & acuta & veriſimilis nobis videtur.

Ib. St. p. 168, l. 19. Welſ. II, 4, 11. Ex conjectura non minus veriſimili additur negatio, ὀκνοῦντες μὴ οἱ Ἕλληνες (οὐ) διελθόντες τὴν γέφυραν μένοιεν ἐν τῇ νήσῳ: *de crainte que les Grecs ne paſſaſſent point le pont, & qu'ils ne reſtaſſent dans l'isle.*"

Ib. St. p. 171. l. 27. Welſ. II, 5, 12. τούς τε ἄνδρας αὐτοὺς οἷς ὤμνυτε, ὡς ἀπολωλέκατε. Larcherus ſecutus eſt codicem A, in quo abeſt ὡς.

L. III. Steph. p. 180. l. 1. Welſ. III, 2, 17.

ἵνα

ἵνα μὴ τὰ ζεύγη ἡμῶν ϛρατηγῇ. Larcherus mālit ἡμῖν.

Ib. St. l. 10, Welſ. III, 2. 19. λαβόντας δὲ τοὺς ἄρχοντας. Verior est lectio Cod. B. λαβόντες.

Ib. St. p. 181. l. 24. Welſ. III, 3, 6. οἵ τε γὰρ Κρῆτες βραχύτερα τῶν Περσῶν ἐτόξευον, καὶ ἅμα ψιλοὶ ὄντες εἴσω τῶν ὅπλων κατεκέκλειντο. In Cod. A est κατεκέκλῃντο; unde vere corrigit Larcherus κατεκέκλειντο, *incluſi erant*, & locum ita vertit: „*Car les archers de Crete ne tiroient pas ſi loin que les Perſes; & d'ailleurs comme ils étoient armés à la légere, ils ſe tenoient au milieu des troupes peſamment armées.*"

Ib. St. p. 182, l. 38. Welſ. III, 4, 5. Locum difficilem ita corrigit interpres: ἥλιος δὲ ὡς νεφέλη προκαλύψας ἠφάνισε; ex ingenio addens ὡς, ceterum νεφέλη pro νεφέλην ex Cod. A. aſſumens. Sed gravius ſubeſſe videtur vulnus.

Ib. St. p. 183, l. 15. Welſ. III, 4, 8. καὶ ἄλλαι τάξεις ἀπεχώρησαν. Addit ex conjectura αἱ post καί.

L. IV. St. p. 192. l. 36. Welſ. IV, 3, 21. κελεύει αὐτοῦ μεῖναι ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ, μὴ διαβάντας. Ita legendum, revocata negandi particula μὴ, ex codd. A. B. „*il leur fit dire de ſe tenir ſur le bord de la riviere, ſans la paſſer.*"

Ib. St. p. 193. l. 3. Welſ. IV, 3, 23. ἐπιμελησόμενοι, οἱ μὲν ὑποζυγίων, οἱ δὲ σκευοφόρων, οἱ δὲ εταίρων. Cod. B. habet ἑτέρων, quod ſequitur Larcherus.

Ib. St. p. 194. l. 39. Welſ. IV, 5, 4. οἱ δὲ ὀψὲ προϊόντες ξύλα οὐκ εἶχον. Codd. A. B. habent προσιόντες, quod verum est.

Ib. St. p. 198. l. 20. Welſ. IV, 6, 14. Larcherus in *Ariſtonymi* locum repoſuit *Chiriſophum*, cujus nomen est in margine Steph. & Codd. A. B.

Ib. St. p. 199. l. 36. Welſ. IV, 7, 10. Larchero verior videtur lectio codicis A. παρασάγγας μ', quam vulgatum παρασάγγας πέντήκοντα.

Ib. St. p. 200. l. 8. Welſ. IV, 7, 14. pro ἐπάγοι Cod. B. habet ὑπάγοι. Sed Larchero magis placet ἄγοι, quod in libro Etonenſi reperit Hutchinſonus.

L. V. St. p. 209, l. 31. Welſ. V, 5, 4. Numerum veriſimiliorem praebent Codd. B. C. παρασάγγαι ἑξακόσιοι καὶ εἴκοσι, ςάδιοι μύριοι καὶ ὀκτακισχίλιοι καὶ ἑξακόσιοι.

Ib. St. p. 211. l. 21. Welſ. V, 6, 3. Recte in Codd. B, C, est: οὐ γάρ ἐςιν ἄλλη, ἢ ᾗ τὰ κέρατα τοῦ ὄρους τῆς ὁδοῦ καθ' ἑκάτερά ἐςιν ὑψηλά. In reliquis omnibus libris perperam τῆς ὁδοῦ est ante τοῦ ὄρους. Igitur vere redditum est: „ *ce paſſage est unique, & ſe trouve entre deux ſommets tres-élevés*

yés de montaignes, qui bordént le chemin des deux côtés."

Ib. St. p. 216, l. ult. Welſ. V, 8, 4. Σὺ δ' εἴπας ὁπόσα γ' ἐβούλευ. Codd. A. B. habent σὺ δ' εἴπας ὁπόσα γε βούλεται. C. βούληται. Neque tamen difficultas tollitur.

Ib. St. p. 220, l. 27. Welſ. VI, 2, 1. Ἰασωνίαν ἀκτὴν, Larcherus malit Ἰ. ἄκραν; quod ita Geographi veteres eam vocant.

Ib. St. l. 28. Welſ. ib. Quod additur in margine Steph. ἔπειτα δὲ τοῦ Τίγριος est quoque in Codd. B, C. Sed, pro Τίγριος legendum eſſe Ἴριος, recte vidit Interpres.

L. VI. St. p. 223. l. 36. Welſ. VI, 4, 1. ἀλλ' ἢ Θρᾶκες; ἢ Βιθυνοί. Codd. B. C. ἀλλὰ Θρᾶκες Βιθυνοί, quod verius judicat Interpres.

Ib. St. p. 225, l. 24. Welſ. VI, 4, 20. μάχεσθαι, quod delendum cenſuerat Muretus, abest etiam a Codd. B, C. In Cod. A hic locus habet majorem lacunam.

Ib. St. p. 226, l. 29. Welſ. VI, 5, 8. Lectio marginis Steph. ὅτι βουλῆς· οὐκ ἄξιον εἴη διαβατέον, confirmatur conſenſu Codicis B, & augetur, addito εἰ post εἴη.

Ib. St. p. 229, l. 30. Welſ. VI, 9, 14. οὐ μέντοι, ἔφη, νομίζειν, οὐδ' εἰ παμπόνηρος ἦν Δέξιππος, βίᾳ χρῆναι πάσχειν αὐτοὺς, ἀλλὰ κριθέντα,

ὥσπερ καὶ ὑμεῖς νῦν ἀξιοῦτε, τῆς δίκης τυχεῖν. Haec est ſcriptura Codd. B, C. In editis eſt — Δέξιππος, δίκαια πάσχειν αὐτὸν —— ὥσπερ καὶ ὑμεῖς νῦν, ἀξιοῦται δίκης τυχεῖν. Forte δίκαια ortum est ex δεῖν βίαν, quod a Xenophonte profeſtum videtur. Bene Interpres: *Je penſe cependant, ajouta-t-il, que, quand même il ſeroit le plus méchant des hommes, on ne devoit point lui faire violence, mais le juger, comme vous demandez à l'être actuellement, & le punir, après l'avoir trouvé coupable."*

L. VII. St. p. 234, l. 30. Welſ. VII, 2, 8. Pro συλληφθήσεται Codd. B, C. habent συλλήψεται.

Ib. St. p. 238, l. 19. Welſ. VII, 3, 16. Μετὰ ταῦτα εἰσῆλθον Κερασουντᾶιοι, οἱ σημαίνουσιν αὐλοῖς τε καὶ σάλπιγξιν ὠμοβοίναις. Habet omnino *Ceraſuntaeorum* mentio aliquid vel vitii vel obſcuritatis. In Cod. B. est — εἰσῆλθον κέρασι τε οἷοι σημαίνουσιν αὐλοῦντες καὶ σάλπιγξιν ὠμοβοίναις. Atque ita etiam habet Cod. C, niſi quod pro οἷοι est οἵοις. Larcherus hanc ponit conjecturam, μετὰ ταῦτα εἰσῆλθον οἱ κέρασι ἐσήμηνον αὐλοῖς τε καὶ σ. ὠ. Aliam correctionem ſecutus est vertendo: „*On fit entrer enſuite des gens, dont les uns ſonnerent une charge avec des flûtes, comme ſi c'eût été avec des cornes, & les autres avec des trompêtes de peaux de bœufs crues.*"

Ib.

Ib. St. p. 242. l. 2. Welſ. VII, 5, 8. Ἐνταῦθα εὑρίσκονται πολλαὶ μὲν κλίναι, πολλὰ δὲ κιβώτια, πολλαὶ δὲ βίβλοι, καὶ τἄλλα ὅσα ἐν ξυλίνοις τεύχεσι ναύκληροι ἄγουσιν. Larchero diſplicet βίβλοι, pro quo malit βυβλία, & vertit *beaucoup de cordages*: *funiculorum*, *rudentium*, *reſtium*. De quo non ſtatuimus. Venit nobis in mentem ſimilis loci ex Theopompo, quem Longinus ſervavit, de Subl. S. 43; de quo vid. Bibl. Crit. P. III. p. 40.

Ib. St. p. 249, l. 20. Welſ. VII, 8, 4. ἐπορεύοντο διὰ τῆς Τροίας. Lectionem, quae eſt in margine Steph., Τρῳάδος, habent etiam Codd. B. C.

Nil dicimus de reliquarum animadverſionum copia, quibus illuſtrantur res geographicae & hiſtoricae, quarum lectio, ut eſt utilisſima iis in quorum gratiam ſcriptae ſunt, ita doctioribus jucundam habet recordationem. Addita eſt brevis diſputatiuncula, de ratione, qua veteres Graeci quasdam literas enunciarunt, contra Guiſii opinionem proditam in libro Gallice ſcripto, *Voyage litteraire de la Grece*. Ceterum cum haec Xenophontea operis verſio jam in eo esſet ut ederetur, alia prodiit Pariſiis item Gallice facta; quam Larcherus haud mediocriter laudat a diligente interpretatione rerum militarium.

VI.

S. JULII FRONTINI *Libri quatuor Strategematicon. Cum notis integris Franciſci Modii, Godeſcalci Stewechii, Petri Scriverii, & Samuelis Tennulii. — Curante Franciſco Oudendorpio, cet. Editio Altera, multo auctior & emendatior. Lugduni Batavorum. Apud Sam. & Joann. Luchtmans.* 1779. 8 *maj.*

Quod est in libri hujus inſcriptione, eum eſſe multo quam antea emendatiorem & auctiorem, ex re atque vero dicitur, non ex vulgari conſuetudine, qua plerumque editionibus iteratis haec adjiciuntur verba, quamquam aut nihil aut parum novae dotis accesſerit. Qui vero etiam ſciunt, ut ſciunt profecto non alieni ab his literis omnes, quanta fuerit in Franc. Oudendorpio quamque accurata Latinae linguae & veteris Historiae ſcientia, facile existiment de ſecundis ejus in Frontinum curis. Et vero ipſe Oudendorpius novas animadverſiones non obiter, ut vulgo fit, ad libri ſui marginem adnotaverat, ſed peculiariter & diligenter perſcripſerat, additis quoque conjecturis, quas, perlecto ejus Frontino, per literas cum eo communicaverat Buherius, ſe-

ſenatus Divionenſis praeſes. Has igitur copias bibliopolis, qui diſtracta vetere editione novam inſtituebant, impertiit, & praefatus est, editionisque curam: ſuſcepit Cornelius Oudendorpius, Franc. fil. V. R, pagi Sasſenhemienſis, prope Leidam, ſacerdos. Adjectae ſunt Jani Parrhaſii notulae ex libro If. Vosſii deſcriptae, & Jo. Fred. Herelii animadverſiones, ex editione Schwebelii A. 1772, audaces illae quidem, ſed doctae & ingenioſae. Nam ex ipſius Schwebelii notis nil adſumtum est, cum ne ejus editionis bibliopola defraudaretur, tum quod ita esſent contextae Oudendorpianis, ut ab iis ſine jactura ſententiae disjungi non posſent. Sed ut intelligatur, quid praeſtitum ſit altera hac editione, quaedam novarum animadverſionum exempla depromemus ex primo Libro.

I, 1, 7. *Mithridates — latius & usque ad applicitas hosti valles pabulatus, colloquia quoque cum pluribus avertendae ſuspicionis causſa in posterum conſtituit.* Petrus D'Orvillius corrigebat, — *ad adplicita hoſtis vallo pabulatus*; ut *loca* ſubintelligerentur. Quam ipſam vocem adjicit Oudendorpius, quippe quae a ſequente *colloquia* abſorpta videatur. Buherius legebat, — *ad adplicitas hosti vallos.*

I, 1, 9. *Claudius Nero, quum cuperet Hasdrubalem copiasque ejus, antequam Hannibali fratri jungerentur, excidi.* Vulgo erat *occidere*: ſed omnes libri habent *excidi*, quod Oudendorpius receperat, & nunc

nunc tuetur contra Arntzenium ad Aur. Vict. vir. illuſtr. c. 23. qui *occidere* retinere maluerat. Hac occaſione emendatur Florus II, 20. *Craſſi quoque Praetoris excidit exercitus*: quae est lectio codicis Leidenſis: vulgo *caedit*, vel *cecidit*.

I, 1, 10. — *contendit*, *falſum ad eos rumorem*. Antea jam docuerat, ſanam eſſe vulgatam, & eleganter omitti *perlatum eſſe*. Nunc novis rationibus ſententiam confirmat, & ſimilem medicinam adhibet Livio XLV, 1. *Conſuli tabellarius, qui ſe ex Macedonia venire diceret, laureatas literas*: illud, quod in editis est, *reddidit* & *reddidiſſe dicitur*, eleganter ſubintelligitur.

I, 2, 7. *Aemilius Paullus Coſ. bello Hetruſco apud oppidum Coloniam demiſſurus exercitum in planiciem*. Primum rationibus hiſtoricis confirmatur, *Aemilium*, de quo agatur, non eſſe *Paullum*, ſed *Papum*. Ita enim ſaepiſſime turbarunt librarii in cognominibus, ut pro obſcuriori ponerent celebrius. Sic. I, 4, 1. eundem *Aem. Paullum*, quem ante Oudendorpius mutare voluerat in *Aem. Papum*, nunc certioribus rationibus mutat in *Aem. Barbulam*. I, 12, 3. est *T. Sempronius Gracchus*: perperam; est enim ejus in locum ponendus *T. Sempronius Sophus*; ſed auctor, judice Oudendorpio, talibus in locis nude poſuerat nomen; reliqua librariis debentur. Ceterum pro *Colonia* probatur *Cortona*, quod est ex emendatione Ph. Cluverii, Ital. Ant. II, 3. p. 573.

I, 4, 3.

I, 4, 3. *Ageſilaus — tenentibus anguſtias Thebanis, per quas transeundum habebat, flexit iter.* Lectio denuo confirmatur, & ad eandem rationem corrigitur Auctor Dialogi de corrupta Eloqu. cap. 1. *ut aut de ingeniis noſtris male exiſtimandum habeam:* vulgo est *exiſtimandum ſit.* Sic. I, 5, 1. *Q. Sertorius, in Hispania, quum, a terga inſtante hoſte, flumen trajicere haberet*; monet Oudendorpius, nondum fuiſſe Frontini aetate eam ſermonis corruptionem, ut *habere* cum infinitivo pro *neceſſe habere* diceretur; igitur hoc ipſum, *neceſſe*, judicat excidiſſe librariorum negligentia. Nobis vero mirum accidit, quod non item h. l. *trajiciendum* correxerit. Ceterum emendatur Valerius Flaccus I, 672. — *ſeu volvitur axis Vi ſuperum, ſeu ſidere opus, tollique viciſſim, Pontus habet.*

I, 4, 7. Seneca corrigitur, Herc. Fur. V. 753. —— *adluit mentem latex*, pro *abluit*; dicitur enim de Tantalo. Hippol. 1233. *Me ludat amnis ora vicina alluens*, vindicatur pro *abluens*, quod perperam tuebatur Schroderus.

I, 4, 8. *Cn. Pompejus, quum flumen tranſire propter obpoſitum hoſtium exercitum non poſſet, adſidue producere & reducere in caſtra inſtituit: deinde in eandem perſuaſionem hoſte perducto, ne ullam viam ad progreſſum Romanorum tenerent, repente impetu facto, tranſitum rapuit.* Buherius ita corrigit: — *deinde in eam tandem perſuaſionem hoſte perducto, ſe illam viam* ad

ad proceſſum Romanorum tenere. Ex qua correctione retinet Oudendorpius *eam tandem*: ceterum Lipſii conjecturam, *ne ullam vim ad progreſſum Romanorum timeret*, probaret, ſi quid ex libris haberet auctoritatis.

I, 5, 16. *Numidae ad augendum ſui contemtum ſibi equis, & per ludibrium ſpectaculo eſſe affectaverunt.* Libri multi habent *equos*; unde in eam opinionem inducitur Oudendorpius, ſcriptum ab auctore fuiſſe *equo*; &, ita Latine dici, demonſtrat.

I, 6, 2. —— *hoſtibus tergum ejus in itinere prementibus, dum, flumine interveniente, non ita magno ut tranſitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate.* Oudendorpio videtur in *dum* latere nomen flavii, *Trinio* vel *Bradano*. Ceterum corrigitur Vitruvius V, 2. ex cod. Voſſ. & Franequer: *ut vox ab imis* (vulgo *iis*) *morata, priusquam in aera data diſſipabitur, auribus erit intellecta.*

I, 9, 2. *Se autem his, qui contuliſſent, pollicitus eſt, conſummata victoria, ampla inſuper praemia daturum. Quae ſua perſuaſio Romanis alacritatem adtulit & fiduciam.* Acuta & veriſimillima correctio eſt Oudendorpii, pro *Quae ſua* conjicientis *Quaeſtus.* Mox, pro *patrata victoria*, corrigit *parta victoria.*

I, 12, 2. *C. Caeſar quum forte conſcendens navem lapſus eſſet, Teneo te, terra mater, inquit: qua interpretatione effecit, ut repetiturus illas, a quibus proficiſcebatur, terras videretur.* Exquiſitum eſt, quod pro *illas* probatur, *Italas.* I, 12, 5.

I, 12, 5. *Sepulcra enim funeribus ornantur.* Est pars dicti, quo Epaminondas triſte omen callide interpretabatur. Vera est Buherii correctio: *Sep. e. muneribus ornantur.*

I, 12, 7. *Idem (Epaminondas) inſtante adverſus Lacedaemonios pugna, quum ſedile, in quo reſederat, ſuccubuiſſet, & id vulgo pro triſti ſignificatione confuſi milites interpretarentur; Immo, inquit, vetamur ſedere.* Hoc in loco varietas est lectionis quam ita componit Buherius, ut ſententia etiam verior exiſtat: — *& id vulgo pro triſti exciperetur ſignificatione, ne confuſi ſic milites interpretarentur cet.*

Atque hae paucae, ex multis ad primum librum obſervationibus, ſatis habent indicii de reliquarum copia & praeſtantia. Nos quidem ſaepius optavimus, ut ſimilis tandem opera navaretur Polyaeno, ſocio Frontini in eodem ſcriptionis genere. Quod genus cum totum ſit ductum ex Hiſtoricis, iisque partim perditis, ad explicandos difficiles Antiquitatis locos ſubſidia praebet egregia. Ceterum brevi majus etiam opus ingenii ſtudiique Oudendorpiani prodibit, Appuleji Metamorphoſeon libri, quorum editionem adminiſtrat D. Ruhnkenius, cujus quoque in Frontino repetendo haud exiguae fuerunt partes.

VII.

VII.

ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΟΣ ΩΙΔΑΙ. *Anacreontis Carmina. E MSS. Codd. & doctorum Virorum conjecturis emendata, Argentorati* 1778. 12 *min.*

Ut magnam habet venuſtatem hic libellus ab arte chalcographica, ita eum haud contemnendis criticis dotibus ornavit editor, Brunckius, V. Cl. Primum exhibentur Anacreontis, quae feruntur, Odaria, priora ſexaginta & unum; exceptis 48, 59, quorum illud est Baſilii, hoc Juliani, quae cum alio Baſilii Ἀνάχρεων ἰδών με, quod in editionibus est 65, & Theocriti in mortuum Adonin, deinceps ſequuntur. Proxima ſunt Sapphus fragmenta, & unum Erinnes, quod Romae laudes habet: Ariſtotelis Paean: denique diverſorum poëtarum Apophthegmata & Scolia. Obſervationes, exceptis aliquot ad Sapphum, omnes pertinent ad Anacreontem, ſuntque a p. 93. usque ad 128, in qua libellus deſinit. Earum partim ſunt ipſius Brunckii: partim Salmaſii, quae nunc primum eduntur, ex ſchedis, ut videtur, Divionenſibus: partim aliorum virorum doctorum, ex eorum ſcriptis diligenter collectae a Brunckio, & ad Poetam emendandum docte ſcienterque adhibitae. Sed age

age nonnullas commemoremus. Od. VII. Ὑακινθίνῃ μὲ ῥάβδῳ Χαλεπὸς Ἔρως ῥαπίζων, elegans est correctio, prodita jam in Analectis p. 13, quae nunc in textum recepta est, pro Χαλεπῶς Ἔρως βαδίζων. Od. IX, 9, pro, Τίς ἐςι σοὶ μεληδών; in quo mire ſe torſerunt editores, in textum recipitur correctio Jac. Tollii, Τίς εἶς; τί σοι μέλει δέ. Od. XIV. Τί γὰρ βάλωμεν ἔξω: ita ex cod. Vat. nunc reſtituit, in quo non est βάλοιμεν, ut Barneſius contendit, qui ejus codicis parum accuratam habuerat collationem. Sic ex eodem cod. Vat. Brunckius Od. XVII, 1, ponit τορεύων pro τορεύσας: 6, Βαθύνας pro βαθύνον: 8, ἀμάξαν pro ἀμάξας. Porro duobus verſibus augetur hoc Odarium, quos ex vetuſto codice protulerat Weſſelingius Obſ. p. 59. Od. XVIII. Exhibetur v. 3, Τὰ τερπνὰ τὴν πρῶθ' ἡμῖν, ex cod. Vat.: v. 8, venuſtiſſima lectio, quae partim Salmaſio, partim Brunckio, debetur, inducta est, Μὴ τῶν παρ' οἴνῳ τελετῶν, pro vulgari Τῶν τελετῶν παραινῶ. Od. XXIII, 6, Εἰ δ' οὐδὲ τὸ πρίασθαι Τὸ ζῆν ἔνεςι θνητοῖς: pro οὐδὲ τὸ Daviſius ad Cic. N. D. II, 47, legere maluit οὐδέπω: melius de ſuo repoſuit Brunckius οὔτι πω. Od. XXXVIII, v. 10, Καρποῖσι γαῖα προκύπτει, tamquam ſpurius uncinis includitur. Od. LIII, 2, Μέλπομαι ῥόδον θερινόν, ex Salmaſii conjectura receptum est ῥ. τερεινόν: v. 5, ex ejuſdem corre-

ctione eſt χάρημα, pro χάρμα: & p. 24. νοσοῦσιν ἀρκεῖ pro νοσοῦσιν ἀ: & v. 29. φύσιν pro φύῃ, utrumque ex Cod. Vat. Od. LIV., v. 5. Περίμεινόν με Κυβήβα, memoratur Salmaſii correctio Παραμαίνομαι Κυβήβᾳ: & ejuſdem v. 10. ῥόον ὀπώρης pro ῥοιὰν ὀπώρης.

Adjectum eſt epiſtolium R. Bentleji ad Fr. Gazonum, qui cum Anacreontica Sapphicaque odaria Gallice verteret, a Bentlejo ſententiam de duobus locis obſcuris exquiſivit. Ex hac igitur Gallica verſione, cui auctor nomen indidit, *les Odes d'Anacreon & de Sappho en vers François par le Poëte ſans fard*, hoc Bentleji epiſtolium recudi fecit Brunckius. Duae in eo ſunt obſervationes: prior ad Od. XIII, in cujus v. 3, legitur βοῶσαν, v. 7. πιόντας & v. 8. μεμηνότας βοᾶσαι. Poſterior habet explicationem Odarii XLV. Ultima verba haec ſunt: „ Haec αὐτοσχεδιαστὶ & ex tempore tibi exaravi, quibus utere tuo arbitratu. Multa quidem in aliis Anacreontis locis emendatione indigent; non pauca etiam ſunt ſpuria, quae a genuinis dignoſcere paucorum erit hominum, cet. Cantabrigiae. die xx Nov. MDCCXI."

De ſingulis odariis non ſignificavit Brunckius, utrum ea ab Anacreonte profecta putaret, nec ne: univerſe notavit p. 108. haud pauca in iis eſſe ſpuria, & diſerte XXXVII, XLVIII, & L. Ceterum animadverſiones ejus, ex interiore Graecae linguae

ſcientia

ſcientia & venuſtatis poëticae ſenſu profectae, laudem etiam habent accuratae diligentiae: quam quilibet agnoſcet, qui eas cum iis quae in Analectis ſunt comparet. Nam lectionis cujusque mutatae ratio redditur, Criticorum variis libris proditae correctiones accurate memorantur, ſcriptura codicis Vaticani & conjecturae Salmaſii diligenter & uberius adferuntur. Quam criſeos rationem ſperamus Brunckium, V. Cl., adhibiturum etiam Sophocli, cujus editione cum maxime occupari eum audivimus.

VIII.

IMMAN. JO. GERH. SCHELLERI. *Praecepta ſtili bene Latini, in primis Ciceroniani, ſeu Eloquentiae Romanae, quatenus haec noſtris temporibus in dicendo & ſcribendo uſurpari poteſt: ſumma diligentia maximoque perſpicuitatis ſtudio tradita & illuſtrata. Pars Prior. Lipſiae. Sumtibus Caſpari Fritſch.* 1779. 8.

Facultas bene Latine ſcribendi duabus continetur cauſſis, lectione optimorum Scriptorum diligenti, & exercitatione ſcribendi. Sed exercitationem ipſam ratione ac praeceptis regi, in primis eſt utile. Igitur haud defuerunt viri docti, qui ejusmodi praecepta peculiaribus libris conſignarent: meliore tamen illi conſilio quam eventu. Nam homines, ut ſunt dicunturque proclives a labore ad deſidiam, per libellos iſtos de ſtilo Latino praeclare conſultum putantes otio ſuo, ita eos continuo exoſculati ſunt iisque adhaeſerunt, ut ipſam Scriptorum lectionem & ſcribendi exercitationem fere negligerent. Et videmus etiam nunc frigere juvenum plerorumque animos ad ſcholas eas, quibus Scriptores veteres pro-

ſae

ſae orationis explicantur, omnemque eos ſpem in Heinecciano aut ſimili reponere libello, ad eumque, cum ſcribendi neceſsitas venit, tamquam ad ſacram anchoram confugere. Quae quidem anchora quam ſit levis & nullius ponderis, tum demum ipſo facto experiuntur, cum ſudando aeſtuandoque nihil proficiunt & miſere fluctuant. Atque iste error haud postrema nobis videtur eſſe cauſſa hujus, qui nunc est, Latinae linguae cum ignoratione neglectus. Nam ante hos ducentos annos, cum homo non plebejus fere quisque bene Latine ſcriberet, certe a noſtrae barbarie aetatis longe abeſſet, nulla ferebantur compendia ſtili Latini, ipſi Scriptores lectitabantur, ex iisque illa facultas ſanitasque orationis hauriebatur. Et profecto ita ſe res habet, ut ad ſcribendi facultatem nihil ſola praecepta valeant, multum lectio & exercitatio, plurimum conjuncta cum lectione exercitationeque praecepta.

Quare nos minime ſumus ii, qui omnes hujusmodi libellos ex manibus eorum, qui Latine ſcribere cupiunt, excusſos velimus: contra, magnam iis tribuimus laudem utilitatis, ſi quidem & a viris, qui ingenio & Latinitatis ſcientia valeant, conſcripta ſint, & a discentibus recte ad uſum conferantur. Atque huncce Schellerianum librum omnibus aliis ſtili Latini compendiis longe longeque anteponimus. Ne vero laetentur homines ignavi, ſuaeque ignaviae praeſi-

dium hocce libello paratum eſſe ſperent, ſciant nemini eum prodeſſe, niſi qui ipſorum uſu Scriptorum aliquam Latinitatis ſcientiam aſſecutus ſit.

Et primo quidem Schellerum laudamus ab ipſo conſilio conſcribendi novi de hoc argumento libri. Nam cum exempla Heineccianí libelli, qui hucusque apud homines ſemilatinos regnaſſet, & multis editionibus repetitus, & virorum doctorum atque adeo Gesneri animadverſionibus auctus commendatusque eſſet; hujus igitur exemplis divenditis, rogatus a bibliopola Schellerus, ut vel novis eum augeret animadverſionibus, vel alium in hoc genere librum ipſe conſcriberet; recte judicavit, melius ſe conſulturum diſcentium ſtudiis, ſi praecepta ſtili Latini ipſe conſignaret. Habet omnino Heineccius cum in tota ratione parum diligentiae & *ſubtilitatis*, tum in eo maxime labitur, quod omnia praecepta refert ad elegantiam, ut vocatur, eamque ponit in uſu verborum, dictionum, formarum, exquiſitiorum, & alteram Latinitatis partem, quae est in ſimplicitate & proprietate, negligit; cum neutram penitus perſpectam habuiſſe videatur. Verius meliusque ſtili praecepta deſcripſit Schellerus, qui omnia ad eloquentiam retulit, ejusque, auctore Cicerone, tres fecit partes, perſpicuitatem, ſuavitatem, gravitatem, quarum leges rationesque tradentur poſteriore hujus libri parte. Parte priore, quam in manibus habemus,

ea

ea exponuntur, quae communia ſunt tribus illis eloquentiae virtutibus, & ſine quibus intelligi ſequentia non poſſunt, & multa quae ad rationem proprietatemque Latinae linguae pertinent. Atque haec triplex diſtributio non tantum antiquitatis, ſed utilitatis quoque, habet commendationem. Nam cum proprie duplex ſit, judice Theophrasto, orationis officium, quorum alterum ad intelligendum modo refertur, in quo valet perſpicuitas, alterum ad animi ſenſum, in quo ſuavitas & gravitas dominantur; horum posterius varium est, & multis partibus ita concretum, quae cogitatione magis quam re disjungantur; tamen quia ſine materiae diſtributione disciplinae ſibi conſtare non poſſunt, commode in duas has formas distributum est; ſuavitatis & gravitatis. Perſpicuitatis ratio ad Grammaticam artem pertinet, ſuavitatis gravitatisque praecepta Rhetoricae ſubjecta ſunt; utrumque complexus est Schellerus. Nam & in hac parte multa egregie praecipiuntur, quae vulgo in libellis grammaticis vel omittuntur, vel perperam traduntur: veluti de uſu & ordine vocabulorum, de conſtructione, de conſecutione temporum, & de connexione enunciationum, & alia multa.

Veriſſime igitur Schellerus judicavit, univerſum ſtili officium non ſola definiri Latinitate, quam vulgo puritatem vocant, & perperam ponunt in ver-

bis formiſque exquiſitioribus & remotis a vulgari conſuetudine. Nam habet quidem eam vim Latinitas, ut ſine ejus ſcientia nemo quisquam Latine ſcribere poſſit, neque vero tantam, ut ejus ſcientia quis praeditus bene continuo Latine ſcribat. *Quis* enim, ut hoc utamur, dubitet, quin Hegeſias, qui ab inepto dicendi genere vituperatur, oratione Graeca, nec ea barbara, uſus ſit. Et ex Latinis, *qui* ſuperſunt, non omnes qui pure Latine, *iidem bene* Latine ſcripſerunt. Cujus rei exemplum est in Valerio v. c. Maximo. Aureae vulgo aetati haec laus tribuitur. Quae quidem aetas aureae cognomen ob id ipſum invenit, quod ea bene ſcribendi ſtudium maxime floruit. Sed tamen, ſi cum ejus aetatis Scriptoribus loquantur, bene ſe loqui putant homines. Atqui fuerunt Ciceronis aetate *Amafanius* & alii, qui male ſcriberent, & pejus etiam multo *multis* poſteriorum aetatum Scriptoribus. Quid igitur est bene Latine ſcribere? Nimirum hoc duabus continetur partibus; altera, Latine ſcribendo, ut verba & compoſitio ad linguae Latinae conſuetudinem rationemque exacta ſint: altera, bene ſcribendo, ut perſpicuitatis, ſuavitatis, gravitatisque ratio habeatur.

Magna ubique apparet in hoc libro Latinitatis ſcientia, in primis ejus partis, quae ad compoſitionem pertinet: probitas etiam, accurata diligentia, Dialecticum acu-

acumen, veritatis ſimplicitatisque ſtudium. Ornatum quidem orationis, qui ex tropis petitur, nimis repudiare videtur Schellerus, cum figuras formasque multas, quas diuturna conſuetudo Veterum confirmavit, a ſeria oratione abesſe vult. Heineccium tamen ex vero reprehendit, qui verbis formisque multis indefinitam elegantiam tribuit, quae non ſunt niſi propriae certis quibusdam rebus; unde factum est, ut falſa elegantiae commendatione decepti tirones has formulas ubique intrudere vellent. Omnino magna est hominum temeritas & negligentia in uſu vocis *elegantiae*, cui univerſae pulchritudinis poteſtatem ſubjiciunt; cum & origine ſua & veterum uſu hanc habeat vim, ut de iis dicatur, quae cum judicio ac delectu, & ad rem accommodate, fiunt. Ex ſimplicitatis ſtudio etiam profectum est judicium illud, quod veremur, ut omnibus probetur, nullam esſe in ſingulis verbis pulchritudinem, eamque ex plurium verborum contextu demum existere. Recte quidem, ſi ex Dialecticorum ratione hoc interpretemur, qui in ſingulis ideis nil Veri ponunt, Verum omne ex idearum comparatione nasci ajunt. Sed tamen verba non item, ut ideae, ſola per ſe ſpectari posſunt; ſemper cum verbi cogitatione etiam ejus rei, quae verbo ſignificatur, & comparatio ſaepisſime verbi cum re ſignificata, in mente verſantur; igitur ſi v. c. *murmur* de rivo, aut *ſerpere* de

igne cogitatur, neceſſe est hoc placere atque adeo pulchrum eſſe.

Non est, quod ſingula hujus libri capita enarremus. Satis est quod de eo diximus. Quod quidem eo valet, ut eum tamquam utiliſſimum & neceſſarium commendemus iis, qui accuratam ſtili Latini ſcientiam conſequi cupiunt.

Ceterum, partem ſecundam nuperrime prodiiſſe, audivimus. Neque tamen donec ea ad nos perlata eſſet, ipſius libri commemorationem differre voluimus; neque committere, quin ejus utilitas primo quoque tempore ad noſtratium cognitionem perveniret.

RELATIONES BREVIORES.

I. J. D. A LENNEP, *Eloquentiae & Linguae Graecae in Academia Groeningana Profeſſor. in Analogiam Linguae Graecae: cui praemiſſa ejusdem Viri docti Oratio de Linguarum Analogia.* 8. Magnam fuiſſe in Lennepio ſcientiam Graecae linguae, cum univerſae, tum originum atque Analogiae, monuimus in cenſura Epiſtolarum Phalaridis, quae exſtat ſecunda parte hujus Bibliothecae. Cumque hic primus ſit, qui de Analogia prodeat, libellus, erunt fortaſſe haud pauci, qui totam hanc rationem ex praeceptis Hemſterhuſianis accurate explicitam eſſe opinentur. At vero multum abest libellus ab ea perfectione. Primum enim ipſe Lennepius non id egerat, ut Analogiae doctrinam omnem accurate exponeret, & certo rationis vinculo connecteret, ſed ut ejus quaſi viam discipulis ſuis aperiret, quam ipſi ſuo ſtudio perſequerentur. Deinde exemplum ſcriptum, quod bibliopola typis exprimendum curavit, ab homine fuit minime Latine, nedum Graece, docto: quod patet ex copia errorum vitiorumque ſcriptionis; niſi forte ea tribuenda ſit, feſtinanti typographorum operae. Ceterum vel ſic tamen

men libellus commendandus est & tironibus ad aſſequendam, & provectioribus ad augendam, rectam Graecarum originum rationem.

II. JOH. CHRISTIANI BIEL, *Past. quond. ad D. Ulrici & Joan. Brunsvic. Novus Theſaurus Philologicus; ſive Lexicon in LXX & alios Interpretes & Scriptores Apocryphos Veteris Testamenti. Ex B. Auctoris Mſto edidit ac praefatus est E. H. Mutzenbecher, V. D. M. Eccl. Luth. Haganae. Pars Prima. A. — E. Hagae Comitum.* (8 maj. pagg. 690.) *Sumtibus J. A. Bouvink.* 1779. Magnam iniit gratiam apud Philologiae ſacrae ſtudioſos editor Cl., quod Bielianum hoc opus ex tenebris vindicavit & in lucem publicam emiſit. Nam Bielius, edito A. 1740. hujus Lexici ſpecimine, *tantam* ejus apud viros doctos exſpectationem excitaverat, *quantam* maximam excitare potest libri alicujus utilitas ac praeſtantia. Verum ea exſpectatio, mortuo Bielio A. 1745, in dies diutius protrahi coepit: & jam ad irritum cecidiſſe videbatur, cum inſtauraretur a Nicolao Barkeyo, V. S. R. (Symb. Lit. Hag. Faſc. I, Claſſ. II.), cujus etiam in maturanda libri editione magnae fuerunt partes. Omnino diligentiam in deſcriptione perfectioneque hujus operis inſignem poſuit Bielius. Nam voces omnes complexus est non ſolum verſionis LXX, ſed eas quoque, quae in fragmentis Aquilae, Symmachi, Theodotionis, & reliquorum Interpretum exſtant. Porro textus Hebraicus

braicus & Chaldaicus, & exempla ex N. T. conſtanter ubique memorantur; ut eorum Dialectorum ac variarum ſignificationum ratio atque conſenſus primo quaſi obtutu in oculos incurrat. Denique interpretationes ex Lexicis veteribus, cum editis, tum ineditis etiam, Gloſſariisque in libros ſacros Graecos, tum obſervationibus recentiorum Philologorum, ſuo quaeque loco adferuntur; & haud raro elegantioris doctrinae animadverſiones expromuntur. Itaque facile intelligitur, praecipuum eſſe ſubſidium in hoc libro ad intelligendam dictionem Novi Teſtamenti, quippe quae tota pendet ab Hebraica ratione & Alexandrinae verſionis conſuetudine.

III. JO. GOTTLOB. BOEHMII, *de Litteratura Lipſienſi Opuſcula Academica. Accedunt Rich. Croci Britanni Encomium Academiae Lipſienſis, & H. Strom. Averbachii Sermo Panegyricus Petro Moſellano dictus, cum Moſellani Reſponſione.* 8. *Lipſiae* 1779. Niſi argumentum hujus libelli conjunctum eſſet cum noſtrae ſcriptionis conſilio, commemorandus erat vel propter orationis bonitatem atque elegantiam; quae profecto ejusmodi eſt, ut eloquentiae adeo Profeſſores pleroſque hac laude ſuperet auctor. Nunc argumentum etiam tale eſt, quod humanitatis ſtudioſis omnibus jucundum eſſe debeat. Nam praeter tres illas Orationes, quae in libelli inſcriptione ſignificantur, ſeptem ſunt opuſcula ipſius Boehmii; quorum unum hactenus fuit ineditum, *Oratio* nimirum

de

de Georgio, Saxoniae duce, Literarum patre, Academiae Lipſicae altero conditore; reliquae antea ſingillatim editae. Hae ſunt: Orationes, *De bonarum literarum Sec. XVI. ineunte, in Saxonia efflorescentium ſtatu: De Mauricii, Ducis Elect. Sax., in Academiam Lipſicam inſigni favore: De Augusti, Ducis Elect. Saxoniae, ſingulari in literarum & artium ſtudia favore: De ſtudii & doctrinae Historiarum publicae, in Academia Lipſica ortu: De Philippi Melanthonis, in Academiam Lipſicam inſignibus meritis: De Richardo Croco, Britanno, Graecarum literarum in Academia Lipſica inſtauratore.* Averbachii & P. Moſellani orationes, quamquam olim deſcriptae ſunt literarum typis, tamen noſtra aetate vix reperiuntur: Boehmius certe eas ex ſcriptis edidit exemplis, quae cum aliis ſchedis Moſellani, in ejus manus peruenerunt. *Has*, inquit, *ut rurſus in conſpectum producerem, feci etiam hoc conſilio, ut intelligerent nostri, quanto cum apparatu eloquentiae res tum acta ſit ac celebrata, quae, ut nunc ſunt tempora, apud nos fere friget.* Ceterum eadem elegantiae laude commendatur noviſſima Boehmiana ſcriptio, quae hoc ipſo anno, forma quarta, prodiit, *de Caroli V. Imp. erga rem Evangelicam, praecipue in Saxonia, lenitate.* Est profecto Boehmius, V. Cl., unus ex parvo illo Historicorum numero, qui antiquam retineant venuſtatem: quorum exemplum ut apud ceteros vim aliquam habeat, vehementer optamus.

IV.

IV. CAII CRISPI SALLUSTII, *Quae exſtant: cura Jo. Jac. Hottingeri. Turici. Typis Orelli, Gesneri, Fueſſl. & Socc.* 8. 1778. Singularem hic liber venuſtatem ab arte chalcographica habet; ut gratiſſimum harum literarum amantibus facturi ſint bibliopolae, viri honeſtiſſimi, ſi, quod oſtendunt, perficiant, ad eandem rationem reliquis edendis Scriptoribus Latinis. Neque vero non laudandum est ſtudium Jo. Jac. Hottingeri, elegantis ingenii & doctrinae viri, quo & pollicitus est, & praeſtitit operam ſuam bibliopolis in hoc exſequendo conſilio. Quod quidem ſtudium ſatis habebat laudis, ſi contineretur accuratae deſcriptionis ejusque curae finibus. Nunc Varietas Lectionis etiam adjecta est p 359 -- 443, excerpta ex copiis editionum Cortii & Havercampi. Ceterum cum hanc operam accommodare voluerit editor ad uſus *hominum elegantiorum & liberalioris ingenii juvenum*, non dubitamus, quin plenius certiusque huic ſatisfieri poſſit conſilio, ſi varietas lectionis & interpretum criſis ea tantum commemoretur, qua locorum difficilium obſcurorumque ſententia aperiatur.

V. C. VALERII CATULLI, *Epithalamium de Nuptiis Pelei & Thetidos, varietate lectionis & perpetua adnotatione illuſtratum a Frid. Guil. Doeringio. Praefatus est M. Frid. Gottlieb. Barth. Numburgi.* 8. 1778. Cum ſua bonitate, tum magis etiam auctoris juventute, hic libellus commendatur. Est enim

id

id aetatis Doeringius, ut recens, decurſis ſcholarum ſtadiis, Academica ſtudia ingreſſus ſit: & eam prodidit diligentiam doctrinamque, quae in provectioribus & viris etiam laudem habeat non contemnendam. Quare non dubitamus, eum, ſi eadem via continuo ad interiorem Veterum intelligentiam pergat, praecipuam in his literis laudem conſecuturum.

VI. ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΟΡΕΣΤΗΣ, *ex recenſione J. Barneſii, varietate lectionis & animadverſionibus illuſtravit J. F. Facius. Praefatus est. Chr. Gottl. Heyne.* 8. *Coburgi.* 1778. Hunc libellum quominus ſilentio praeteriremus, factum est, non quod ejus eſſet aliqua magnopere laus ab arte critica: ſed quod nollemus eum a tironum notitia cohibere, quorum ingeniis uſuique accommodatus est. *Habet* enim explicationem dictionum obſcuriorum locorumque difficiliorum, cum ex diligenti lectione hujus & aliarum tragoediarum natam, tum ex recentiorum Criticorum libris petitam. Adjecta est verſio Latina, qua Graeca oratio, ita reddita est, ut tam ſingulorum verborum vis, quam conſtructionis ratio appareret. Ceterum digna est lectu praefatio Heynii, V. Cl., quae conſumitur in explicanda vi atque utilitate Graecarum literarum, & earum neglectus cauſſis aperiundis.

VII. DES. ERASMI, *Epistolae familiares ad Bonif. Amerbachium, J. V. D. ac Prof. Baſil. cum nonnullis aliis ad Eraſmum ſpectantibus. Omnia,*

teſta-

teſtamento excepto, nunc primum edita ex MSS. ori-ginalibus in bibliotheca publica Academiae Baſilienſis ſervatis. Baſiliae. 1779. 8. *min.* Gratiſſimum liberatae civitati munus fecit edendis his epiſtolis earum editor, qui praefatiunculam quidem iis praemiſit, neque tamen nomen ſuum ſignificavit. Eas ante aliquot annos inter alias ſchedas in conclavi S. Templi forte repererat & in bibliotheca publica repoſuerat Emanuel Merian., Eccleſiae Baſilienſis antiſtes. Habent omnino certas Erasmiani ſtili notas, cum a rebus ipſis, tum a promta paratque ſcriptionis facilitate & feſtivitate: & res habent novas, quibus Ejus vitae loci expleri poſſint haud pauci. Numero ſunt 99. Nam proxima, quae eſt Jac. Sadoleti ad Erasmum reſponſionemque continet ad eum, exſtat etiam in Erasmianis T. III. p. 1495, ed. Leidenſis. Bonif. Amerbachium quanti fecerit Erasmus, cum aliunde conſtat, tum ex his etiam epistolis. v. c. Ep. 3. *Amo & te*, inquit, *& totum hoc Amerbachiorum nomen. De te ſummam ſpem concepi ex tuis literis, vel Politianum, vel Zaſium illum alterum Politianum, referentibus.* Ejusmodi quoque illud est in Ep. 12. „ *Rogo ſignifices, quid debeam pharmacopolae. Opus est frequenter opera amicorum, pecunia nondum opus est. Si non pateris me ſolvere, fiet, ut non auſim tibi quidquam poſthac committere. Deſunt mihi calami ſcriptorii, ſi tibi ſuperest*

unus aut alter, mitte; habeo duos ex tuo dono, ſed nimium graciles. Quod meus es, & meus eſſe cupis, Vir egregie, isthuc, mihi crede, facis mutuum. Ego Bonifacium amicum in magna felicitatis parte duco." Porro ſummae familiaritatis conjunctionisque indicium est Ep. 80. „ *Sum animi prorſus ancipitis: Caeſar, Regina, totaque aula revocat me in Brabantiam, miſſo etiam viatico. Si e Neapoli mitteres bigam tectam, mox advolarem, experturus, an corpus ferat coeli mutationem. De pretio ne labores; habeo plus ſatis pecuniarum. Velim id quam primum fieri, nec id ſumtu tuo. Nimis impudenter utor tua bonitate. Tu tamen equo praecedes, nunciaturus bigam venturam, ut paremus lagenam vini Burgundiaci. Aut ſi non est commodum, fac ſciam. Tempus urget. Hodie dimiſi, qui petit Sadoletum. Videtur bonus, vel hoc argumento, quod recuſavit pecuniam. Vale. Postrid. Jacob. 1533. Eraſmus a coena.*" Neque vero injucundum est cognitu, quid morae rixaeque intercesserit, antequam praefatio ad Demosthenem Hervagianum extorqueretur: Ep. 73. „ *Hervagius a me discesſit iratus. Ad te deferetur querimonia: ſed rem accipe. Praeſente Episcopio egit mecum, ut praefarer in Demosthenem. Respondi, me in hoc nimium indulſiſſe typographis, posthac nolle proſtituere nomen meum ſimili modo. Ille inſtabat. Pernegavi. Interim Episcopius petiit epistolam ad Goclenium de Ammiano. Dum*

hanc

Nunc ſcribo, Hervagius obturbat, oro te, oro te. Juſſi illum valere, addens: Scis mentem meam; quid opus est pluribus verbis? Abiit. Nam comites illorum urgebant. Miſi post famulum, qui mitigaret reſponſum, diceretque, me de praefatione deliberaturum. Ibi ſtomachum ſuum effudit in ſinum famuli; ſe huc veniſſe te auctore, ut de multis mecum communicaret. At ſatis diu ſumus confabulati, quum ille tantum de praefatione loqueretur, de qua numquam cogitaram. Nam de aliis quibusdam illi ſcripſeram. Et ſi volebat mecum colloqui, non poteram ſimul & epiſtolam ſcribere, & cum illo confabulari. Quod ſi ſerio iratus est, facile feram, modo ne posthac mihi obturbet. Bene vale cum tibi chariſſimis. Frib. 8. die Julii 1532. Agnoscis tuum."
De Commentario Melanchthonis in Epistolam ad Romanos non nimis honorifice judicatur; Ep. 79.
,, *Venditur isthic commentarius novus Philippi Melanchthonis in Epistolam ad Romanos, in quo ſibi placet, & multa praeclare dicta fateor, ſed in multis displicet. Torquet multa, arroganter rejicit Origenem & Augustinum; non pauca tranſilit. Legi quaterniones aliquot. Videtur fuiſſe nactus epit. aliquod Theologi Scholaſtici, cujus argumentum* (hic ergo est operatum). *Parvo emitur. Non eſſet ingratum, ſi mitterer Sadoleto, ſed admonito, ut aurum legat e ſtercore.* Sunt hae epistolae, paucis exceptis, Friburgo ſcriptae, ultimis vitae annis. His accedunt

 duae

duae duorum Pontificum epiſtolae: altera Leonis X ad Eraſmum ipſum de immunitatibus Eccleſiaſticis ei conceſſis in gratiam Henrici VIII. Regis: altera Pauli III, ad Mariam Hungariae reginam & Belgii gubernatricem, de conferenda in Eraſmum Praepoſitura Daventrienſi.

VIII. VIBIUS SEQUESTER *de Fluminibus, Fontibus, Lacubus, Nemoribus, Paludibus, Montibus, Gentibus, quorum apud Poetas mentio fit. Lectionis varietatem & integras doctorum commentationes adjecit, & ſuas, Jer. Jac. Oberlinus. In Univ. Argent. Eloq. Lat. adj. cet. Argentorati.* 1778. 8. Repetitae ſunt animadverſiones omnes editionis Heſſelianae, quae prodiit Rotterodami, 1711. Multum praeterea novae dotis Vibio ipſe *adjecit* Oberlinus, V. Cl. Primum ipſe contextus denuo *exactus* est ad fidem codicum ſcriptorum, cum Pariſienſium duorum, quos in Oberlini gratiam excuſſit Pahinus de la Blancherie, tum unius Mediolanenſis, cujus lectiones ediderat Abr. Gronovius in *Variis Geographicis* 8. *Lugd. Bat.* 1739. Deinde animadverſiones acceſſerunt haud paucae viri doctiſſimi L. B. de S. Croix, multo tamen plures ipſius Oberlini: de harum copia inde poteſt exiſtimari, quod cum ſuperioris editionis animadverſionibus, quae haud adeo multae ſunt, paginas explent circiter quadrigenas. Igitur virorum doctorum obſervationibus

effe-

effectum est, ut Vibius, qui brevi & jejuno contineretur nominum indice, neque aliquam ipſe doctrinae auctoritatem haberet, nunc haud parum conferre poſſit emolumenti ad rerum geographicarum pleniorem cognitionem. Ceterum, quod putat Oberlinus, editionem Aldinam Anni 1518 per errorem citari a J. Gronovio in Theſ. G. A; contra ſe res habet; quippe ipſam eam editionem in manibus habemus. Habet ea mendum idem, quod in ſequentes editiones operarum vitio invectum eſſe credebamus; ita quippe est in ipſo praefationis initio: *Quanto ingenio ac ſtudio, fili cariſſime, apud pleros que poetas fluminum mentio habita est, tanto labore ſum ſecutus eorum & regiones & vocabula & qualitates in literas dirigenis, quod ipſi tibi non inutile factu ſcio fore.* His in verbis *digerens* ponendum pro *dirigens*. Sic enim paulo post ipſe Vibius: *ſicut omnium huic libello in literas digeſta nomina ſubjeci.*

IX. TH. CHRISTOPH. HARLES. *Introductio in Historiam Graecae Linguae. 8. Altenburgi 1778.* Quamquam multi ſunt in hoc genere libri vel majores vel minores, tamen qui Historiae literariae officio ſatisfaciat, nos quidem hucusque cognovimus nullum. Duae ſunt in primis partes a quibus laborent: altera, quod Scriptores etiam graves, quorum cum operibus memoria fere periit, haud pauci ſilentio praetereuntur: altera, quod totum hoc ar-

gumentum, tamquam a corpore membrum, divellitur a reliqua hiſtoria, ſine qua nec artium disciplinarumque initia & progresſus, nec ingeniorum, quae in quoque genere elaborarunt, vires atque laudes, intelligi posſunt. Atqui, dicat quis, alterum quidem caveri non poſſe, quin in tali opere propter ipſam rerum multitudinem loci relinquantur vacui, quos legentium ſua quisque diligentia explere debeat: alterum vero paratam habere medicinam in libris iis, quibus gentium hiſtoria vel peculiariter, vel univerſe, traditur. Sed nos librum quaerimus accommodatum ingeniis tironum, brevem illum quidem, ſed tamen accurate ſcriptum: deinde quotus quisque liber eſt de hiſtoria Graeca Romanave, quin potius in rebus externis ac bellicis, quam internis ac civilibus, & omnino iis, quae viri habuerunt ad artium disciplinarumque incrementa & conditionem, verſetur. His igitur & aliis in partibus quamquam cum reliquis in hoc genere compendiis laboret liber Harleſianus, tamen, ut nunc eſt, eum copia & deſcriptione prae ceteris accommodatum eſſe ad uſus tironum judicamus. Tempus complectitur ab initiis Graecarum literarum usque ad captam a Turcis Conſtantinopolin. Partibus conſtat duabus, quarum altera, eaque longe major, paginarum circiter 600, eſt de Scriptoribus rerum externarum, f. profanis, altera de Scriptoribus ſacris atque eccleſiaſticis & de

de toto eo loco, qui Philologia Graeca eccleſiastica continetur. In ordine temporis distributioneque materiae ſecutus est in primis Saxium, V. Cl.: ex cujus utilisſimo libro, *Onomastici Literarii* nomine appellato, multa ſe profeciſſe, gratus fatetur Harleſius. In enumerandis ſcriptis editionibusque recentisſimis, praeſertim in Germania factis, copioſus est: non item in antiquioribus, & quae apud alias gentes prodierunt. Ceterum quominus cum rebus tum oratione diligentior esſet, non adeo facultas eum defeciſſe quam feſtinatio prohibuiſſe, videtur.

INDEX
AUCTORUM.

Cum eorum, quorum editiones & ſcripta recenſentur, tum quorum loci a nobis illuſtrantur & corriguntur, in IV. Partibus Voluminis Primi, Bibliothecae Criticae.

ABULFEDA. Ejus Deſcriptio Aegypti ex ed. J. D. Michaelis. P. II. 77. ſeq.

—— vita, ſtudia & ſcripta. ib. 87. ſeq.

—— emendatur & illuſtratur. ib. p. 106. ſeq.

ACHILLES TATIUS. Ejus Hiſtoria Amatoria ex ed. Bodeni. P. II. 43.

—— — Ejus fabulae vitia. ib. 56 ſeq.

—— — — argumentum. ib. 44-56.

—— — emendatur & illuſtratur. ib. 59-62.

AELIANUS. Hist. Anim. emendatur P. III. 47, 49.

AESCHYLUS. Emendationes in ejus Agam. P. III. 107.

AESOPUS. vid. Babrius.

AMPHILOCHIUS. Ejus Oratio una. P. III. 97.

ANACREON. Ejus Carmina ex ed. R. F. P. Brunck. P. IV. 112.

ANTHOLOGIA. ſ. Analecta Veterum poëtarum Graecorum, ex ed. R. F. Ph. Brunck. P. II. 20.

APOLLONIUS RHODIUS. ex edit. J. Shaw. P. III. 113.

ARRIANUS. vid. Epictetus.

ASCLEPIADES. Ej. Epigr. emendatur. P. II. 35.

ATHENION. ap. Athenaeum emend. P. II. 61.

BABRIUS. Scriptor fabularum Aeſopicarum. De eo Thirrwitti Diſſertatio. P. II. 120.

—— Ejus fragmentum notatur. ib. 127.

BASILIUS. M. Ejus Orationes aliquot. P. III. 97.

BENTLEJUS (R.) Ejus Diſſertationes Phalarideae. P. II. 63.

BIB-

BIELIUS. Ej. Theſ. Phil. P. IV. 124.

BOEHMIUS. Ej. de Literatura Lipſienſi Opuſcula Academica. P. IV. 125.

BRYANT. Ejus Syſtema Novum Mythol. P. I. 64.

BURMANNUS, SEC. Ejus mors. P. III. 139.

CATULLI. Epithalamium: ex ed. Doeringii. P. IV. 127.

CICERO. Ejus Opera omnia ex ed. J. A. Erneſti. P. I. II. III.

— de Oratore ad Q. Fratrem emendatur & illuſtratur. P. I. 14-29.

— Ejus in eloquentia poſitum ſtudium P. II. 1. ſeq.

— Orationes in Verrem emendantur & illuſtrantur. ib. 8-19.

— Ejus philoſophiae ratio & poſitum in ea ſtudium. P. III. 1. ſeq.

— Libri de Nat. Deorum illuſtrantur & emendantur. ib. 19-22.

— — de Officiis illuſtrantur & emendantur. ib. 22-30.

— Ej. de Oratore ad Q. Fratrem ex ed. Harlejii. P. III. 95.

COCCEJI Lexicon & Comment. Sermonis Hebr. & Chald. ex edit. Schultzii. P. II. 125.

CONRADI. Opuſcula e Jure Civili. P. III. 132.

DATHIUS (Jo. Aug.). Ej. editio Philologiae S. Glaſſii. P. III. 121.

DEMETRII Cydone Epiſtolae. P. III. 98.

EPICTETUS. Ejus Enchiridion ex edit. Heynii. P. II. 113.

ERASMI Epiſtolae ineditae. P. IV. 128. ſeq.

EURIPIDES. Ejus quae exſtant omnia ex ed. S. Muſgravii. P. IV. 1. ſeq.

— — ſtudia & mores. ib. p. 6. ſeq.

— — tragoediae ratio. p. 10. ſeq.

— — Hecuba emendatur & illuſtratur. p. 16-44.

— Ejus fabula, Oreſtes, ex ed. Facii. P. IV. 128.

FRONTINUS. Ejus Libri Strategematicon. ex editione Fr. Oudendorpii altera & auctiore. P. IV. 106.

GLASSIUS. Ejus Philologia S. edita opera Dathii. P. III. 121.

GLYCAE (Mich.). Epiſtolae. P. III. 98.

GREGORIUS Theſſalonicenſis. Ejus Orationes X. P. III 97.

HAR-

HARLESII Introductio in Hiſtoriam Graecae Linguae. P. IV. 133.
HOMERUS. Ejus duo reperti Hymni. P. III. 98. ſeq.
—— emendatur. P. II. 32.
HORATIUS. ex ed. Jani cenſetur. P. IV. 84.
—— explicatur. ib. & ſeq.
—— Ejus Odae ſpuriae. P. III. 99.
IOANNES CHRYSOSTOMUS. Ejus Oratio una. P. III. 97.
IOANNES DAMASCENUS. Ejus fragmentum. P. III. 97.
ISOCRATES. Ejus Epiſtolae. P. III. 98.
KENNICOTTUS. Ejus editio V. T. Hebraici. P. I. 79.
LARCHERUS. (Socius Academiae Inſcript. & Bonar. Lit. Pariſ.) Ejus diſſertatio de Venere. P. III. 104.
—— Ej. Verſio Gallica Anabaſeos Xenophonteae. P. IV. 97.
LENNEPIUS. J. D. Ejus editio epiſtolarum Phalaridis. P. II. 63.
—— —— Dictata de Analogia, poſt mortem ejus ab homine ignoto negligenter edita. P. IV. 123.
LEONIDAE. Epigr. emendatur. P. II. 35.
LIBANIUS. a Reiskia edendus. P. III. p. 100.
LONGINUS. de Ejus vita & ſcriptis Diſſertatio Ruhnkenii. P. I. 116.
—— Libri de Sublimitate & Fragm. ex editione J. Toupii. P. III. 32. ſeq.
—— —— emendatur & illuſtratur. Ib. 38. 47-52.
LONGUS. Ejus Paſtoralium laus. P. II. 43, 56. P. IV. p. 68.
—— —— editio Villoiſoni. P. IV. 67.
—— —— editio Bodeni. P. III. 102.
MARCELLUS Sidetes. P. III. 89.
MATTHAEI. (J. Fr.) Moſcuenſis. Prof. Catalogus codicum ſcriptorum Moſcuenſium. P. III. 95.
—— Ejusdem alia opuſcula. ib.
MELEAGER. Epigrammata ejus emendantur. P. II. 28, 29, 30, 32.
MICHAELIS (J. Dav.) editor Abulfedae, ejus criſeos ratio. P. II. 103-112.
MIMNERMUS emendatur. P. II. 32.

MUSGRAVIUS (Sam.) editor Euripidis. P. III. 108. P. IV. p. 1. ſeq.

NUMMI Veteres Iuliani. P. III. 117.

——— ——— Sultzeriani. ib. 120.

OPPIANUS. Ejus Carmina ex ed. Schneideri. P. III. 92.

PHALARIS. Epiſtolae, quae feruntur ejus nomine, ex ed. Lennepii. P. II. 63.

PINDARUS. Ejus carminum fragmenta ex ed. Schneideri. P. III. 92.

PLATO. Philebus & Sympoſium ex ed. Fiſcheri P. I. 28. ſeq.

——— Sympoſii argumentum. ib. 35 - 46.

——— ——— loca emendantur & illuſtrantur. ib. 45 - 52.

PLUTARCHUS. Libellus, qui ei tribuitur, de liberorum educatione ex ed. Schneideri. P. III. 89.

——— Fragmenta quaedam. ib. 16. 90.

PROPERTIUS. ex ed. Barthii. P. III. 110.

REISKIAE editio orationis Libanii. P. III. 100.

RUHNKENII Disſertatio de vita & ſcriptis Longini P. I. 116.

——— Animadverſiones in Longini librum de Subl. P. III. 32. & ſeq.

RUHNKENII editio Velleji Paterculi. P. IV. p. 45.

SALLUSTIUS. ex ed. Hottingeri. P. IV. p. 127.

SCHELLERI. Praecepta Stili bene Latini. P. IV. 116.

SCHNEIDERUS. P. III. 89 - 95.

SCHULTZIUS. P. III. 125.

SEYBOLDUS. Chreſtomathiam Graecam poeticam edidit. P. III. 102.

SIMONIDES emendatur. P. II. 33.

SOPHOCLIS editiones, quae exſpectantur. P. III. 109. P. IV. 115.

STE CROIX. Cenſura Veterum Scriptorum de rebus Alexandri M. P. II. 129.

TESTAMENTUM VETUS. Hebraice, ex ed. Kennikotti. P. I. 79.

THIRRWIT. Ejus disſertatio de Fragmentis Babrii. P. II. 120.

TIBULLUS. ex ed. Heynii. P. III. p. 53.

——— emendatur & illuſtratur. P. III. 61 - 87.

TOUPIUS. Ejus editio operum Longini P. III. 32. ſeq.

VELLEIUS PATERCULUS ex edit. Ruhnkenii. P. IV. p. 45.

emen-

——— emendatur ex conjectura E. H. Eldikii. ib. p. 61

VIBIUS SEQUESTER. ex edit. Oberlini. P. IV. 132.

VAN VOORST. Diſſertatio Philologica, de correctione Masorethica, qua particula negans in ajentem, & contra, mutatur. P. III. 129.

XENOPHON. Ejus Libri de Expeditione Cyri Gallice verſi a Larchero. P. IV. 97.

——— emendatur & illuſtratur. P. IV. ib. ſeq.

XIPHILINI. Orationes. P. III. 97.